COMMENTARIA IN SACROSANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

Ex omnibus D. Augustini operibus collecta

PER

Fratrem IACOBVM A LOGENHAGEN, Ordinis sancti Saluatoris Teneræmondæ.

ANTVERPIÆ,

Apud Antonium Tilenium Brechtanum ad intersigne Struthionis.

clɔ. Iɔ. LXXIII.

Cum Priuilegio ad sexennium.

Genes.47 Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum ſunt, parui & mali: & non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt. Sic &
1.Para.19 Regius Propheta Dauid, poſtquam cum ſuis obtuliſſet eximiam illam oblationẽ, (magnam dico vim auri, argenti, æris, fer-
Pſalm.118 ri, ac pretioſorum lapidum) ad conſtructionem Templi Domini, cernens ſe terræ incolam, & quæ obtulerat non ex ſuo, ſed ex Dei dono obtuliſſe, gratias agens
1.para.29 inter cetera dixit: Quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri: Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. Qui-
1. Petr. 2. bus aſtipulãtur Petrus, in priori ſua, capite 2. & Paulus Hebr.11. vno conſenſu teſtantes apertè, omnes nos in hoc mundo eſſe peregrinos, hoſpites & viatores. Quod cùm ita ſe habeat, cõpertumque ſit hanc vitam, viam eſſe tædioſam, laborioſam, atque anguſtijs plenam, (militia
Iob 7. eſt enim vita hominis ſuper terram, & ſi-

cut

cut dies mercenarij dies eius) necesse est vt aliquo eam releuemus remedio: præsentius autem remedium nullũ est, quàm frequẽs & diligẽs sacræ scripturæ lectio. Quod luculenter testatur Ionathas Iudæorum summus Sacerdos & Dux, scribens Spartiatis in hunc modum: Nos enim cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renouare fraternitatẽ & amicitiã &c. hinc Paulus discipulum suum Thimotheum admonuit, vt attenderet lectioni, exhortationi, doctrinæ. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Et, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. In his (vt D. Ioannes Chrysost. testatur) ignorans inuenit quid discat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris iustitiæ cibos, qui & si pinguem non fa-

1. Mach. 12

1. Tim. 7.

2. Tim. 3.

Rom. 15.

Chrisost. super Mat. oĩ. praeparata sunt.

 ciunt

ciunt animam, mori tamen non permittunt: qui autem magni animi eſt, inuenit ibi ſpiritales eſcas, quæ perducãt eum prope ad Angelorum naturam: qui verò vulneratus eſt à diabolo, inuenit ibi cibos medicinales, & ſalutem per pœniten
1. Mach. 1. tiam. Quia ergo in illa tempora incidimus, in quibus mala multiplicata ſunt in terra, ſubuerſa pietatis dogmata, turbati pietatis ritus, contempta Canonum exacta iudicia, & multa eſt peccati licentia: nihil tutiùs exiſtimaui, quàm eodem mihimetipſi ſubuenire remedio: Cumque domini noſtri Ieſu Chriſti teſtamentum in manibus ſumpſiſſem, vt illud iugi lectione altius infigerẽ memoriæ, eiuſque ſalutaria ſemper præ oculis haberẽ man-
Coloſ. 3. data, incidiſſemque in Lucam Medicum (cuius laus eſt in Euangelio) placuit hũc mihi comitem aſſumere in via, vt quemadmodum Tobiam iuniorem quondam
Tob. 12. medicina Dei, Raphael (inquam) Angelus, ſanum duxit atque reduxit, boniſque omnibus repleuit, ita me hic medicus Dei, Diuus (inquam) Lucas, viam vitæ demonſtraret, per ſemitam manda-

torum

torum Dei deduceret, ab infestatione dæmonis eiusque asseclarum liberaret, & bonis cœlestibus ïpleret. Sed cùm aliquando occurrerẽt quædã difficilia intellectu vt & in alijs sacræ Scripturæ locis (teste Petro) fieri solet, statui aliquem ex Patribus consulere: instinctuque diuini (vt mihi videtur) numinis, incidi in opera sancti patris nostri Augustini Episcopi, Ecclesiæ luminis, atque hæreticorum, schismaticorumque mallei: & animaduertẽs eum non pauca eiusdem D. Lucæ loca enodare, necessarium duxi hunc à capite vsque ad calcem perlegere, & quæ occurrerẽt expositiones intentioni meæ consonæ diligentius annotare. Gaudens mihi euenisse quod Eunucho Aethiopi, qui erat super õnes gazas Candacis Reginæ, Apostolorum tempore euenerat: vt sicuti ille reuertens ab adoratione, propter quam venerat Ierusalem, sedensque supra currum suum, ac legens Isaiam Prophetam & minime intelligens instructus fuit à Philippo, ita ego, in his quæ mihi velata erant, instruerer à D. Augustino. Cùm verò opere cõplessem, quod animo

2. Petr. 3.

Act. 8.

cõceperã, cernẽs me quæ necessaria mihi videbantur iã ãnotasse, et ad iustũ volumẽ deduxisse, ea quę collegerã pijs doctisq; viris ostendi, vt qui sine talium iudicio atque consilio nihil agendũ putarẽ qui cùm eadẽ perspexissent, dignaq; iudicarẽt vt in lucẽ emitterẽtur, vt id ad vtilitatẽ multorũ fieri curarẽ adhortati sunt quib⁹ morẽ gerere duxi honestũ, cœpiq; protinus animo reuoluere cuius sub noĩe hæc mea ãnotata euulgarẽ, cuiusq; tutelæ eadẽ cõmittere possem, occurritq; cõtinuo R. tua dignitas, Pater inprimis colẽde ac Visitator vigilantisſime, vt quę tam eximia doctrina, quã singulari prudẽtia: tam vigili cura, quã optimę vitę innocentia facile eadẽ ab oblatrantiũ defendere poterit insultibus: quare tuę amplitudini hunc meũ laborẽ dedico, eumq: vt æqui boniq; cõsulere dignetur, oro quã possũ humillime, Deus Opt. Max. R. tuã dominationẽ diu nobis & Reip. christianę seruare dignetur incolumẽ. Tenerętmondę ex monasterio nostro sanctę Birgittæ.

Reuerendiss. tuæ celsitudinis obedientiss. atq; studiosiss.
Fr. Iacobus à Logenhagen Antuerpianus.

QVOD DEO ET MIHI.

PROOEMIVM IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

CVM sint quatuor Euangelistæ, Matthæus, Ioannes, Marcus & Lucas, duo sunt ex illis duodecim Apostolis, id est, Matthæus & Ioannes, sed illorum præcessio infœcunda non fuit, vt consequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apostolorum non pares, sed suppares fuerunt. Ideo iam voluit Spiritus sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Euangelium scribendum duos, ne putaretur gratia euangelizandi vsque ad Apostolos peruenisse, & in illis fontem gratiæ defecisse. Quod autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam Sacerdotis, neutri dubitauerũt ibi enim à Sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis. Ibi cognatio Mariæ et Elizabeth commemoratur. Ibi Sacramenta primi Sacerdotij in infante Christo impleta narrantur. Et quæcunque alia possunt diligenter aduerti, quibus appareat Lucam intentionem circa Sacerdotis personam habuisse.

Tomo.10. Augustin. De Tempore. Serm. 146.

Tomo 4. De Cõsensu Euang. Libro.1. cap.6.

PRAEFATIO IPSIVS LVCAE in ſuum Euangelium.

*Q*VONIAM *quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum, ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, Viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.*

Tom. Quarto De Conſenſu Euã. Libro. 4. Cap. 8. HOc principium ad Euangelij narrationem nõdum pertinet. Admonet autẽ vt nouerimus eundem Lucam etiam illũ librum ſcripſiſſe, qui Actus Apoſtolorum vocatur, non ſolum quia Theophili nomen etiam illic ineſt, nam poſſet fieri vt & alius aliquis Theophilus eſſet, & ſi idem ipſe eſſet, ab alio ad illum aliquid ſcriberetur, ſicut à Luca Euangelium: ſed quia et ibi ita exorſus eſt, vt diceret: *Act. 1.* *Primum quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, vſq; in diem quo Apoſtolos elegit per Spiritum ſanctum, mandans, iuſsit prædicare Euangelium.* Dedit intelligi, quod iam ſcripſerit Euangelij librum, vnum ex quatuor, quorum eſt in Eccleſia ſublimis autoritas. Nec ideo quia dixit, de õnibus ſe feciſſe ſermonem quæ Ieſus cœpit facere & docere, vſque in diem quo mandauit Apoſtolis: *Ibidem.* putari debet omnia ſcripſiſſe in Euãgelio ſuo, quæ Ieſus cũ Apoſtolis in terra verſatus fecit & dixit, ne ſit contrarium Ioanni qui ait: *Ioann. 12.* Multa alia feciſſe Ieſum, quæ ſi ſcriberentur, mundum totum non potuiſſe capere illos libros. Cùm etiam conſtet ab alijs Euangeliſtis non pauca narrata, quæ Lucas ipſe narrando non attigit. De omnibus ergo ſermonem fecit, eligendo de omnibus vnde faceret ſermonem, quæ iudicauit apta & cõgrua ſufficere

officio

officio dispensationis suæ. Et quod dicit, *Multos conatos ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum:* videtur significare nonnullos qui non potuerunt hoc susceptum munus implere. Ideo autem dicit: sibi visum esse ex ordine diligenter scribere, quoniam multi conati sunt, sed eos debemus accipere quorum in Ecclesia nulla extat auctoritas, quia id quod conati sunt implere, minimè potuerunt. Iste autem non solum vsque ad Resurrectionem, Ascensionemque Domini perduxit narrationem suam: vt in quattuor auctoribus Euangelicæ scripturæ dignum labore suo haberet locum: verumetiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentiũ vel audientium ita scripsit, vt solus eius liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaq; Apostolorum ausi sunt scribere. Eo quippe tempore scripserunt Marcus & Lucas, quo non solum ab Ecclesia Christi, verumetiam ab ipsis adhuc in carne manẽtibus Apostolis probari potuerunt.

Inci-

INCIPIT SACROSANCtum Iesu Christi Euangelium, secundum LVCAM.

IN CAPVT PRIMVM ARGVMENTVM.

Elizabeth Ioanne concepto, à Maria prægnante visitata, filium parit, Zacharia patre prius muto, prophetante.

CAPVT PRIMVM.

Tomo 3. De Mirabilibus sacræ scrip. lib. 3. ca. 1.

FVit in diebus Herodis Regis Iudaeæ] Anno scilicet quadragesimo primo Octauiani Augusti Cæsaris. [*Sacerdos quidam nomine Zacharias de Vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.*] Dictum hoc est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conuersationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum iustè posset in accusationis & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conspectu Zacharias & eius vxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed vt apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem iustitiæ in qua verè atque omnino immaculati perfectique viuemus: Nam & Apostolus Paulus dixit: Secundum iustitiam quæ ex lege est, se fuisse sine querela. In qua lege etiam Zacharias sine querela conuersabatur. Sed hanc Apostolus iustitiam in stercoribus & detrimentis deputauit in cõparatione iustitiæ quam speramus

Tomo 7. Cõtra Pelagium et Celestium de gratia Christi lib. 2. cap. 48.

Philip. 3.

Philip. 3.

ſperamus & quam nunc eſurire et ſitire debemus, Matt. 5.
vt ea quandoque ſaturemur in ſpecie, quæ nunc
eſt fide, quãdiu Iuſtus ex fide viuit. Beati, fratres, Abacuc. 2.
quos in ſeculo iſto aliqua culpa nõ percutit, nullũ Rom. 1.
vulnerat crimen. Beati planè iſti quos vlla non Tomo. 10.
potuit aliquando tangere querela. [*Incedentes*, in- De Sãctis
quit, *in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine que* Serm. 22.
rela.] Si pueritia, ſi adoleſcẽtia, ſi iuuentus eorum
extitit ſine querela (vbi tamen ſolet maximè eſſe
querela) qualis eſſe potuit eorum ſenectus? Si ta-
le fuit initium, qualis eſſe potuit finis. [*Et non e-
rat illis filius.*] Non dixit: Non erant illis filij, ſed, *Non
erat illis filius*: quia ſingularis futurus erat, qui e- Ibidem.
rat de talibus naſciturus. Audi Dominum dicen-
tem: Nõ eſt maior inter natos mulierum Ioanne Matt. 11.
Baptiſta. [*eo quod eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſ-
ſent in diebus ſuis.*] Erat quidem Elizabeth ſterilis cor Tomo. 10.
pore, ſed fœcunda virtutibus. Tarda ſoboli, ſed De Sãctis
non tarda Deo. Nõ germine clauſa, ſed tempore: Serm. 22.
Non negata pignoribus, ſed ſeruata miſterio. Fra-
tres, Elizabeth ſanctę partus non ablatus eſt, ſed
dilatus, donec tranſiret tempus carnis, paſſio cor-
poris, coniugij neceſſitas, voluptatis cauſa, ſenſus
cupiditatis, & totum quod humanum, confundit
grauat, onerat conſcientiam. Mundabatur enim
longo tempore ſacrificij domus, ſanctitatis hoſpi
tium, metatum metatoris Chriſti, Angeli domi-
cilium, aula Spiritus ſancti, dei templum. Dei tẽ- 1. Corin. 3
plum eſtis (inquit Apoſtolus) et Spiritus dei habi
tat in vobis. Denique vbi tota corporis ſedata
eſt querela, & in toto facti ſunt ſine querela: vox
ſterilitatis fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit,
parit caſtitas, naſcitur maior homine, par Ange-
lis; Tuba cœli, preco Chriſti, arcanum patris, filij
nuncius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorũ venia,
Iudæorum

Iudæorũ correctio, vocatio Gentiũ: Et, vt propriè dicã, Legis & Gratiæ fibula, quæ diploidẽ summi sacerdotis sancto patri iungebat in corpore. Euãgelista ergo virtutes patris et matris describit, vt ex generantium meritis dignitas germinis nosceretur, & probaretur maior homine, qui ortu suo excedebat leges natiuitatis humanæ [*Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.*] Gabriel, scilicet, vnus eorum qui astant in conspectu Domini. [*Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia quoniam exaudita est deprecatio tua.*] hoc attendendũ est quam non est verisimile, vt cùm pro populi peccatis, vel salute, vel redemptione ille offerret (siquidem populus expectabat eum offerentem) quod potuerit relictis votis publicis, homo senex, vxorem habens anum, pro accipiendis filijs orare: præsertim quia nemo orat accipere, quod se accepturum esse desperat. Vsqueadeo autẽ ille iam se habiturum filios desperabat, vt hoc Angelo promittente nõ crederet. Ergo quod ei dicitur: [*Exaudita est oratio tua,*] pro populo intelligendum est: cuius populi quoniam salus et redemptio, et peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nunciatur Zachariæ filius nascitur⁹, quia præcursor Christi destinabatur. [*Et vxor tua Elizabeth*] Huc vsque sterilis, & satis grandeua, concipiet, & [*pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in eius natiuitate gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinũ & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.*] Quoniã quamuis

Tomo.3. De Mirabi lib. sac. script. Lib.3. Ca 1

Tomo.4. Questionũ Euangel Libro.2. Cap 1.

Tomo.3. De Mirabil. sacr. script. Lib.3. Ca.1

nis seminatus à patre, tamē Spiritū sanctū in vtero formatus accepit. Videtis fratres quemadmodū Ioannes ante peruenit ad cœlum, quàm tangeret terram, ante accepit Diuinum Spiritum, quàm humanum. Ante suscepit Diuina munera, quàm humana corporis mēbra. Ante cœpit Deo viuere, quàm sibi. Immo ante vixit ille Domino, quàm Deus viueret illi. Iuxta illud Apost. Iam nō ego viuo, sed viuit in me Christus. *[Et multos filiorum Israel conuertet ad dominū Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante ipsum in spiritu et virtute Eliae.]* Nō ergo Elias, sed in spiritu & virtute Eliæ. Quid est in spiritu & virtute Eliæ? In eodē Spiritu sancto vice Eliæ. Quare vice Eliæ? quia quod Elias secūdo, hoc Ioēs in primo aduētu fuit. Dictus est verò Eliæ spiritus, scilicet Spiritus sāctus, quē accepit Elias. *[vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum:]* incredula mēte, parum his dictis fidem accōmodās, *[Vnde hoc sciā? Ego enim sum senex, & vxor mea]* isto officio iuuētute priuata, ꝓuecta ętate *[processit in diebus suis.]* Attamen Angelus in ista nequaquam excusatione depulsus, non caussa inuidiæ vel perfidiæ illatum munus retraxit, sed quo à Domino quod dicebatur, impleretur, conuentioris suæ vindictæ subiectum, mutum Sacerdotem dereliquit: Donec nascente postmodum puero, ligatæ linguæ vinculum solutum est, cùm nomen filij scribere tentans, Ioannes (dixit) est nomen eius. *[Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo.]* Quod autem Zachariæ non credenti Angelo, ab eodem Angelo dicitur: Et ecce eris tacens donec impleantur

Tomo. 3. De Trinitate Lib 15. cap. 26
Tomo. 10. De Sāctis Sermo. 22
Galat. 2.
Tomo. 9. Expositiō. in Euang. Ioan. Tractatu 4.
Tomo. 3. De Trinit. li. 5. ca. 14.
Tomo. 3. De Mirabil sacræ scripturæ Libro. 3. Capit. 1.
Luc. 1.
Tomo. 4. Quæst. Euang. Lib. 2. Cap. 1.

tur hæc in tempore suo: Intelligendum est significasse, quod prophetia vsq; ad Ioannẽ tanquã à sono sileret intelligibili: quia nõ est intellecta donec in Domino cõpleretur. [*Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis & permansit mutus.*] Conueniente autem dispensatione factum est, vt Ioãnes, qui postea hominib⁹ victu et vestitu & loco, exẽpla pœnitentiæ præberet, & pœnitẽtiã prædicans: ex cõceptionis tẽpore pater pœnitentiæ modũ sibi ab Angelo impositũ, donec ille nasceretur sustineret. Aliter quoq; congruens hoc signũ euenerat: vti qui dũ regnũ cœlorũ nasciturus cõciperet: antiquæ Legis & Prophetarũ prædicator sacerdos silentio damnaretur: quoniam Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ex eo autem Regnũ Dei euangelizatur. [*Et factum est vt impleti sunt dies officii eius, abijt in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.*] Occultabat se Elizabeth mensibus quinque. Sexto autem mense visitatur à Maria matre Domini, & exultans infans in vtero eius, tanquã primo aduentu Domini, quo in humilitate apparere dignatus est, prophetia se manifestare incipiat: Sed tanquã in vtero, id est, nondum tam euidenter vt omnes sicut in lucem manifestum esse fateantur: Quod futurum creditur secundo aduentu Domini, quo in claritate venturus est, cuius aduẽtus præcursor speratur Elias, sicut huius Ioannes fuit. Et ideo dicitur à Domino. Elias iam venit, & multa ei homines fecerunt, & si vultis scire ipse est Ioannes Baptista, qui venturus est. Quia in eodem spiritu & in eadem virtute &

Tomo.3. De mirabil. sacræ script. Libro 3. cap. 1

Matt. 11.

Tomo.4. Octuaginta trium. Quest. Quest. 58.

Matt. 17.

& tanquã præcedentis præconis officio & hic iã venit, & ille venturus est. Propterea & istum Ioannẽ per spiritum quo pater eius vates impletus est, dicitur præcursorem Domini futurũ in spiritu & virtute Eliæ. [*In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.*] In mense sexto missus est quidam magnus Christi paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius: sed Angelus Gabriel, facie rutilãs, veste coruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili. Saluatoris nostri aduentus Gabriel nuncius missus: vt nouam in carne natiuitatem filij Dei prædicaret: in qua forma serui Domino sociata, hostem potenter deuinceret, fortis in illo, non tamen violenta ad inferendam iniuriam, sed efficax ad iustitiam obtinendam. Propterea Gabriel missus est, vnus de maioribus cœlorũ Angelis: sed ideo Gabriel dicitur, quia fortior cunctis erat. Gabriel enim, fortitudo interpretatur. [*Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*] A salutione incipit, qui salutem in lingua portauit. Sileat nunc à fœminis, sileat tortuosi serpentis malè suadibilis sibilus: ad matrem Domini nostri Angelus est loquutus: [*Aue* (inquit) *gratia plena, Dominus tecũ*]. Gratia refertur pro culpa: plena dicitur non vacua. Impleta est ergo gratia, & euacuata est culpa. Hoc modo et ipsa venerabilis virgo nostra in suo cantico plausit: Esurientes impleuit bonis, & Diuites dimisit inanes [*Aue gratia plena, Dominus tecum.*] Dominus (inquit) tecum, sed plus quam mecum. In me autem licet sit Dominus, memetipsum creauit Dominus: per te autẽ genitus est Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero

Tomo. 10 De Temp. Serm. 18.

Tomo 10. Ad fratres in Herem. Ser. 20.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 21.

Luc. 1.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 18.

tuo;adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formosus de vtero tuo, tanquam
Psalm.18. sponsus de thalamo suo, egrediatur Rex de cubiculo suo, procedat Princeps ex aula regali, ita vt virginitatem tuam non faciat violari. [*Dominus*
Tomo.10. De Tēpore Sermone. 21. *tecum.*] Tecum in corde, tecum in ventre, tecum in auxilio. Gratulare virgo, Christus Rex è cœlo suo venit in vtero tuo. Ex sinu Patris, in vterum dignatur descendere matris: sed nec regionē suam maiestas infinita deseruit, nec eum virginalis aula dum accepit, inclusit. Fides à terra in cœlum erecta est, huic Christus insedit, & per ipsam in templum pudoris intrauit. [*Benedicta tu in mulieribus,*] quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Ede inculpabilis fœmina inuiolabilem virum, ac sic & fœminam
Genes.3. saluabis & virum. Eua mater generis nostri poenā intulit mundo. Genitrix Domini nostri salutem et fœminæ gessit & viro. Auctrix peccati maledicta auctrix meriti benedicta. Ita enim ad eam cœlestis nūtius infit: [*Benedicta tu in mulieribus.*] Genere sexuali omnes appellantur equidem communiter mulieres, sed sunt etiam incorrupta virginitate pudoris proprietate distantes. Illa occidendo obfuit, ista viuificando profuit, percussit illa, at ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia cōmutatur, &
Tomo.10. De Tēpore Sermone. 15. fides pro perfidia recompensatur. *Summa.*

Cùm dixit [*Aue*] salutationem illi cœlestē exhibuit. Cùm dixit: [*gratia plena,*] ostendit ex in-
Genes. 3. tegro iram exclusam primæ sententiæ, et plenam benedictionis gratiam restitutam. Cùm dixit [*Benedicta tu inter mulieres*] virginitatis eius benedictū fructum expressit: vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunque perseuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. [*Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset*

ista salutatio.] Deniq; post illius benedicibilis saluta- Tomo. 10. De Temp. Serm. 21.
tionis & præsagiũ et triumphũ, tacita secum virgo mentis altercatione confligit, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Nuncius interim cœlestis exequitur. [*Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum.*] Ne (inquit) ad conspectum meum mater Domini mei terrearis, ego conceptio- Tomo. 10. De Temp. Serm. 9.
nis tuæ minister adueni: Ipse me misit ad te, qui ex te nasciturus est. Ipse tibi per me annuntiat gaudium, cui placuit in vtero tuo cum humana natura mysticum sociare coniugium. [*Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*] Ecce concipies & paries filium, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius mundi Saluatorē. Ne inquit, timeas. Abijce abs te omnē metum seculi, quæ conceptura es gaudiũ mundi. Reuolue Maria propheticã lectionem. Neque enim te scientia potest præterire diuinorũ librorũ, quæ ipsam plenitudinem parituEsai. 7.
ra es Prophetarũ: Recole in libro Esaiæ Prophetæ, virginē quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti. Tu ibi præsignata es virgo, tu ecce concipies in vtero, non de viro, sed de Spiritu sancto, et grauida eris, & incorrupta manebis. Paries filiũ, & virginitatis non patieris detrimentum. [*Hic erit magnus, & filius altißimi vocabitur.*] Hic natus quem omniũ sponTomo. 3. De Mirab. Sacr. script. Libro. 3. Cap. 2.
dent oracula Prophetarũ, [*erit magnus*] in cõspectu Domini, in æternum *filius altißimi vocabitur* ore cũctorum credentiũ. [*Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*] Secundum quid Regni eius non Tomo. 6. Ad Orosiũ cont. Priscillia. & Origenist. cap. 7.
erit finis, nisi secundum id quod regnabit in domo Iacob? Nam hoc quod ait, [*in æternum,*] propter ipsam ambiguitatem exposuit, addendo, [*regni eius non erit finis:*] ne quisquã [*æternum,*] hic sic acciperet quemadmodum seculum, finem quandolibet

habiturum. Nunquid autem regnum in domo Iacob & in sede Dauid intelligi potest, nisi in Ecclesia & in eo populo qui est regnum eius, de quo etiam dicit Apostolus: Cum tradiderit regnũ Deo & Patri, id est, cum perduxerit Sanctos suos ad cõtemplationem patris vtique & ad suam secundum id quod Deus est æqualis Patri. Non enim sic tradit vt ipse amittat, quia & Pater dedit filio habere vitam in semetipso, nec vtique amisit ipse. Ac per hoc si regni eius non erit finis, profecto Sancti eius qui sunt regnum eius, cum illo sine fine regnabũt.

1. Corin. 15

Ioan. 5.

Tomo. 5. De Ciui. Dei. li. 22 cap. 1.

Non ita, vt alijs moriẽdo decedentibus, alijs succedentibus oriendo, species in ea perpetuitatis permaneat: Sicut in arbore quæ perenni fronde vestitur, & eadem videtur viriditas permanere, dum labentibus & cadentibus folijs subinde alia quæ nascuntur, faciem obseruant opacitatis: sed omnes in ea Ciues erunt immortales, adipiscentibus, & hominibus quod nunquã sancti Angeli perdiderunt. Quod autem illo loco dicit Apostolus: Deinde finis cum tradiderit regnum Deo & Patri ibi finem non consumentem, sed perficientem significat. Sicut dictũ est: Finis enim Legis Christus ad iustitiam omni credenti: quod Lex perficiatur, non quod aboleatur. Quod & illic significat, vbi ait: Non veni legem soluere, sed adimplere. [*Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*] Quod profecto non diceret, nisi deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitica rum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto: non violenter ablaturo, sed potius contra violẽtos custodituro, quod illa iam vouerat. Quãquã etiam si hoc solum dixisset [*Quomodo fiet istud?*] nec addidisset: quoniam virum non [*cognosco:*] nõ quæsisset vtique promissum sibi filium quomodo

Tomo. 6. Ad oros. contr. Priscill. & Origenist. cap. 7.

1. Corin. 15

Roma. 10.

Matt. 5.

Tomo. 6. De Sancta virginit. cap. 4.

Matt. 1.

fœmi-

foemina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi virgo permanere, in qua dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem deo dicauit, cùm adhuc quid esset cõceptura nesciret: vt in terreno mortalique corpore cœlestis vitæ imitatio, voto fieret non præcepto: amore eligendi, non necessitate seruiendi. Ita Christus nascendo de virgine, quæ antequã sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere: virginitatem sanctam approbare maluit quàm imperare. Ac sic etiam in ipsa fœmina in qua formam serui accepit, virginitatẽ esse liberam voluit. Non est ergo virginis Mariæ diffidentia quod ait: [*Quomodo fiet istud?*] Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret inquirit. Ac si dicat: Desponsata sum homini iusto, si cum illo non conuenero, vnde erit quod generabo? Sed si potest fieri vt concipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meum. Omnibus enim modis exopto me ego Deo meo vt habeam prolem, & non perdam pudorem. At illa dum sciscitatur modum, audit auctorem sobolis Deum. [*Et respondens Angelus, dixit ei:*] O Maria virgo Dei, sponsa Dei, dilecta Dei, famula Dei, mater Dei: si hunc à me modum requiris quomodo virgo concipias, virgo parias, & post partum virgo permaneas, vel quomodo fiat in te qui fecit te, audi me & ne perturberis: [*Spiritus sanctus superueniet in te.*] Ne dubites ergo quia virũ nescis: quod enim dixi, quia concipies, Spiritus sanctus superueniens in te operabitur vt concipias sine viro. [*& virtus altissimi obumbrabit tibi,*] Altissimi virtus, sine dubio Christus

Philip. 2.
Philip. 2. Tomo. 5. De Ciuita. Dei. lib. 16 cap. 24.
Tomo. 10. De Tẽpore Serm. 18.
Ibidem. Serm. 21. Tomo. 10. De Tẽpore Sermo. 18.
Tomo. 4. Questionũ Noui & veteris Testamẽti. Cap. 51.

est: hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superueniens ergo spiritus sanctus in virginem, sanctificauit eam, opere suo efficiens corpus sanctum ex ea: in quo virtus, quæ dicitur Dei filius, nasceretur cuius obumbratio in virginem, hoc est, vt de imensitate Diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quãtũ posset capere natura humana: quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, virtus Dei esset
Tomo.10. qui Dei virtus necnon & Deus. Nihil enim de deo
De Tẽpore est, quod non dicatur Deus. Quasi dicat: Ita te
Serm.18. virtus altissimi obumbrabit, vt nec æstum patiaris libidinis, & mater sis Creatoris.
Tomo. 10. [*Ideóque & quod*
De Sanctis *nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*] Verè sanc-
Serm.14. tum, & sanctum sanctorũ. Vnde & illa sancta san-
Exod.26. ctorum dicuntur, quæ illa seruabant, quibus ille figurabatur qui veraciter solus Sanctus sanctorũ dicitur. Hic enim idẽ est de quo Angelus Gabriel
Daniel.9. Danieli loquitur inter cetera quæ futura ostendit dicens: Et impleatur visio & Prophetia, & vnga-
Tomo. 4. tur Sanctus sanctorum. [*Et ecce Elizabeth cognata tua,*]
Quest. su- Intelligitur de Tribu Leui & filiabus Aaron ali-
per Iudicũ quam nupsisse in Tribum Iudam, vnde ita fieret in-
lib.7. ter ambas illa cognatio: vt Domini caro non solũ
Questione de Regia, verumetiam de Sacerdotali stirpe pro-
47. pagaretur. Elizabeth namque filia fuit Sanctæ Is-
Tomo.10. maræ quæ quidẽ Ismara soror fuit carnalis Sanctæ
Ad frẽs in Annæ matris Dominæ nostræ, [*& ipsa concepit Filium*
Herem, *in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis,*
Ser.25. *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*] Expãdat
Tomo.10. nũc fides splẽdentis vteri pulchra tentoria, obum-
De Temp. bret virtus, spiritus sibilet naturali calore depulso
Serm. 21. tenuis virginẽ aura refoueat, & fluente refrigerio spiramentis coelestibus ventiletur, aluus virginalis sertis verecũdiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis vio-

la

la rutilet, purpurei ſpargãtur flores, et vario nitore depictus Chriſti Thalamus exornetur. Reſponde iam virgo ſacra. Vitam quid tricas mundo? Aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, inde eſt quod nuntius iſte moratur. Iam audiſti: [*Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi.*] vt prolem gignas, & virginitatem nõ perdas. Ianua coeli quondam per Adam clauſa, iam ſonuit, per ipſam nuntius iſte proceſſit: Deus in porta eſt, Angelum quem moraris expectat. O beata Maria, ſeculum omne captiuum, tuum depræcatur aſſenſum: Te Deo mundus ſuæ fidei obſidem facit, per te parentum ſuorum iniurias abſtergi deprecatur. Ipſe prior qui offenſus eſt miſit; clauſtrum, quod iniquitas noſtra coelo infixerat, reſerauit. Eſt nobis aditus ſi aſſenſus tuus fuerit accommodatus. Et nobis ſuccurris & tibi, quia nobis poena ſucceſſit; & tibi nuptias filio ſuo in tuo thalamo Pater præparabit. Deus in ipſis ſponſalibus gaudijs relaxat, quicquid eum offenderat mundus. O & tu Angele tanti Regis nuntie, & ſecreti Diuini Legate, qui ex palatio Imperatoriæ Maieſtatis reddis indulgentiam criminoſis, vitam mortuis, & pacem ſacram attuliſti captiuis, vrge virginem non de Dei munere diffidentem, ſed de muneris magnitudine cogitatem. Faue partibus ſeculi, conſcius ſecretorum coeli: lætabũtur ſocij tui ſi negotium iuueris mundi. Nos à veſtro conſortio impietatis mucro diuiſit, per vos de reditu noſtro tractatur. Inſpice ſqualentem noſtri carceris miſeriam, & loquere feſtinus ad Mariam: Vſquequo moraris o virgo nuntium feſtinantem? Intuere Deum in coeli me veſtibulo ſuſtinentẽ: reſponde verbum, & ſuſcipe filiũ. Da fidem, & ſenti virtutẽ. Pande ſinus roſeos virgo perpetua, fides tua modo aut aperit coelum,

Geneſ. 3.

De Mirab. sacræ scrip Lib. 3. cap. 2. aut claudit. Quibus verbis auditis, orans virgo, accommandata fide, sine vllo incredulitatis au[t] inobedientiæ obiectu consensit. [*Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*] *Tomo.10. De Temp. Serm. 21.* Introeat Rex in cubiculum suum. Hoc dicto, statim adueniente Spiritu sancto in virginem, omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum in ad*Tomo.9. In Expositio super Magnif.* uentu Dei implente, dubium non est, cœlestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis, quam miram atque inenarrabilem suauitatem virgo ipsa conce pit: quando illud æternum lumen, cum toto Maie statis suæ fulgore in eam descendit: Et quem non capit mundus, totum se intra viscera virginis collo cauit. Audacter pronuncio, quod nec ipsa plenè explicare potuit, quod capere potuit. Sed Spiritu sancto docente didicerat sic sua per humilitatem *Tomo. 10. De Temp. Serm. 9.* tegere. [*Et discessit ab illa Angelus.*] Mox igitur Angelus virginis accepto consensu, coelestis regionis accolas repetiuit. Et ecce subito secretum virginis ineffabilis potentia penetrauit. *Ibidem. Serm. 21.* Reuertitur sine mora nuntius, & nuptialem thronum ingreditur Christus. Accepit stolam carnis in thalamo virginis, intra thesaurum maiestatis sacculum carnis cessit. Diuinitati sponsatur homo, præmium accipit caro. [*Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in mõtana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius.*] Et *Tomo.10. De sanctis Serm. 22.* in vtero virginis venisse nuntiat Christum. Feruẽs nuntius, qui ante gestiuit nuntiare, quàm viuere. Impatiens Dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad Regem: Ante rapuit arma, quàm membra: Ante aciem petit, quàm lucem: Et vt vinceret mundũ, vicit ante naturã. Ipse enim sine visceribus viscera matris exuscitat, & quia tardabat

corpus

corpus, solo spiritu implet officium Euangelizantis. Intelligens enim Ioannes matrem Domini sui venisse ad suam matrem: inter ipsas angustias vteri adhuc positus, motu salutauit, quem voce non poterat. O omnipotentia nascentis, o magnificentia de coelo ad terram descendentis. Adhuc in vtero portabatur, & ex vtero matris à Ioanne baptista salutabatur. [*Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth,*] Et qualis & quanta esset quæ ad se venerat agnouit: & quàm se indignam eius visitatione indicaret aperuit, [*& exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*] Hoc vt diceret, sicut Euangelista præloquutus est, repleta est Spiritu sancto: quo procul dubio reuelãte cognouit quid illa exultatio infãtis significasset: Id est, illius venisse matrem, cuius præcursor ipse & demonstrator esset futurus. Potuit ergo esse ista significatio rei tantæ à maioribus cognoscendę, non à paruullo cognitæ. Nam neque cum hoc ante in Euãgelio narraretur, dictum est, Credidit infans in vtero eius, sed, exultauit. Neque ipsa dixit. Exultauit in fide infans in vtero meo, sed, exultauit in gaudio. Videmus autem exultationem nõ solum paruulorum, sed etiam pecorum: non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hæc planè inusitata & noua extitit, quia in vtero, & ad eius aduentũ, quę hominũ Saluatorẽ fuerat paritura. Ideo mira, ideo in magnis signis deputanda. Ideo hæc exultatio, & tanquã matri Domini reddita resalutatio, tanquã solẽt miracula fieri, facta est diuinit⁹ in infãte

Tomo. 6. Contra Iud. pagã. & Arrian cap. 14.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 13.

Tomo 9. Expos. sup Magnific.

Tomo. 2. De prȩsen. Dei ad Dardanũ Ep 57. cap. 10.

non humanitùs ab infante, Quanquam etiam si vsque adeo est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire: quod in alijs paruulis ætas expectatur vt possint: etiam hoc in miraculis habendum Diuinæ potentiæ non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum rationabiliter est loquuti: Nec ideo sunt admoniti homines in deliberationibus suis, etiam asinina expectare consilia. Quocirca, nec quod factum est in Ioanne comtemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de paruulis figo: Imo id in illo propterea mirabiliter prædico quia in alijs non inuenio. Habet quidem aliquid simile etiam illa in Rebeccæ vtero lucta geminorum. Verùm & hoc vsqueadeo prodigium fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quæreret, & audiret duobus illis infantulis duos populos fuisse figuratos. [*Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*] Vidisti maiestatem, gustasti suauitatem: ideo quod intus hauseras, foras propinasti, & in iustitia eius exultasti. [*Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo.*] Anima magnificat, spiritus exultat. Et iterum [*In deo salutari meo.*] Deus, potentiam: salutaris, misericordiam notat. Duo quippe sunt quæ Angelorum & hominum beati spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt: Incomprehensibilis scilicet Maiestas dei & ineffabilis bonitas. Quarum altera castum timorem gerit, altera Dilectionem parit. Pro Maiestate venerantur Deum, & pro bonitate amant: ne vel dilectio sine reuerentia dissoluta sit, vel reuerentia sine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur: vt inextinguibiliter per admirationē ardeat dilectio, & suauiter in dilectione

Numer. 22 *Genes. 25.* *Tomo. 9. Super Magnif. Exp.*

dilectione ferueat admiratio. Nam quia eum quē vident, perfectè comprehendere nunquā sufficiūt in eo quasi per admirationem euigilant. Quanto autem perspicatiùs intuentur, tanto ardentiùs amant, quod vera dulcedo est. Vera autem dulcedo quanto perfectiùs sentitur, tanto desiderabiliùs appetitur. Ad hanc contemplationis lucem Mariæ mens eleuata fuerat, quæ cœlestis patriæ dulcedinem in verbis expressit, quam ineffabiliter comhendit. Nam cum se magnificare Dominum præbuit, reddendam vniuersis æterni muneris maiestatem, interna visione contueri se manifestè declarauit. Cùm verò se in suo salutari exultare asseruit, gustū se internæ dulcedinis percepisse ostendit. Vnde vtrunque professa est, & Dominum & Saluatorem: vt pro potestate, qua omni suæ creaturæ dominatur, iure metuendum ostenderet: Pro bonitate verò, quia misericorditer quosdam saluat, dignum dilectione demonstraret. Veritas in Domino, & in Saluatore misericordia. Veritas enim ad Dominum pertinet, Misericordia autem ad Saluatorem. In veritate seruat tenorem iustitiæ Quia autem & quædam errantia gratuito ad vitam colligit, & reparat ad saluationem, propterea magnificamus Dominum & exultamus in salutari quia quibus est reuerenda Iudicis iustitia, dulcis est misericordia Saluatoris. Propterea inquit Maria [*Magnificat anima mea Dominū. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*] Notandum quod quidam neque in Deo exultauit neque à Deo. Nam qui in carnis voluptate exultāt, aut qui exultant cum malefecerint, isti nec in Deo, nec à Deo exultant: nec bonū est vnde exultant. Et quia de malo ad malū exultant suum gaudium in malignitate constituunt, ideo minimè in Deo exultāt. Sunt alij qui acceptis gratiæ

Circa finē Prouer. 2.

gratiæ donis abutuntur, & ea quæ propter salutē animæ data sunt, ad carnis vsum, & gaudia seculi conuertunt. Acceptis enim donis gaudent: quia neque in Deo, neque propter Deū diligunt, quod à deo acceperunt. Qui autem gratia accepta, ad amorem Dei, idipsum conuertunt quod ab ipso acceperunt: isti profecto à Deo & in Deo exultant & exultare probantur. E contra ergo vt suum gaudium solidum esse monstraret, illud neque ad vanitatem conuersum esse se Dei dona diligere in Deo, & pro respectu gratiæ qua præuenta erat in suo salutari exultare perhibuit, dicens: [*Magnificat anima mea Dominū. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*] Vnus & idem spiritus, & ad seipsum spiritus dicitur & ad corpus anima Spiritus naturalem spiritalem habuit admirationem, anima corporalem: quare anima dicitur spiritus, & è conuerso. Ideo anima humana, quia & esse in corpore habet & extra corpus, anima vocatur & spiritus. Anima dicitur, inquantum est vita corporis. Spiritus autem inquantum est substantia spiritualis. In qua vita anima perditur, vt spiritus saluus fiat, cum hæc vita despicitur, vt postmodum à Deo vita æterna tribuatur. Sed suo nominauit, quia in salutari suo. Omnipotens enī Deus, potestate qua vniuersæ creaturæ suæ dominatur, Dn̄s ōniū est: sed pietate qua quosdā tantū, sed non omnes ad vitā reparat, Saluator omniū nō est. Nā dominatio eius ad oēs æqualiter respicit, bonitas verò ad quosdā tantùm. Ergo beata virgo, quia singulariter se electā videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi priuilegio quodam electionis Diuinæ confirmata fiducialiter ipsū quem pro salute mundi filiū conceperat, suum etiam cum læticia & exultatione Saluatorem vocat. [*Quia respexit humilitatem*

ancillæ

ancillæ suæ] Hæc est gratia exultationis suæ, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ac si dicat, Quia de eius gratia exulto, ideo ab ipso est quod exulto. Et quia eius dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto: Respectus Dei tribus modis accipi solet, videlicet secundũ cognitionem, secundum gratiam, secundum iudicium. De primo Apostolus: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Sed per gratiam Deus non omnes respicit: Quia oculi Domini super iustos, &c. De tertio in fine dicitur: Nescio vos. Oculi domini bonos & malos contemplantur. Videre Dei per cognitionem, est nihil eorum quæ sunt ignorare. Videre per gratiam, Dona misericordiæ impendere. Videre per iudicium, vnumquemque secundum opera sua, vel ad gloriã, vel ad pœnam destinare. Quid sit respicere, respicere plus est quàm videre. Respicere per gratiã, est pri⁹ abiectos & derelictos visitare: cum bona placatus per misericordiam substracta restituit, rursum per respectum gratiæ ad eum se conuertit. Bene ergo Maria solam in se humilitatẽ Dominum respexisse testatur: quia Diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit. Nam in ea verbum patris cum corporis substantiam quam sibi vniret, assumpsit, quasi ad eam, quam prius abiecerat, naturam sublimandam per misericordiam respexit: Quia se humilitatis quod erat ancilla cogitauit, ideo quod non erat, sublimitatis mater esse meruit, quia humilitatem ostendit seruitutis. Seruitus quatuor modis variatur. Secundum conditionem seruitus, qua omnia Diuinæ seruituti debẽt esse obnoxia, quia opus factori suo, hoc ex conditione sua debet, quod eius dispositione obtem-

Hebr. 4.
Psalm. 33.
Matt. 25.
.1.
.2.
.3.
Genes. 3.
Ioan. 1.
.1.

perea

peret & instituta sequatur: vt sicut ab ipso factum est, ita non nisi ab ipso, & secundũ ipsum incedat.
2. Secundum necessitatem Deo seruire dicuntur prauæ volũtates, quæ cum eius iussionibus contraire nituntur, per ineffabilem tamen eius dispositionẽ arctantur, vt nihil sine eius nutu ad effectũ perducere queant.
3. Seruiunt nolentes eius dispositioni, qui volentes subiecti non sunt eius præcepto. Seruitus cum timore est, quando Diuina præcepta non ex dilectione implemus, sed ex formidine.
4. Quarta seruitus est, quando voluntariè eius iussionibus obtemperamus, quum ipsum qui iubet diligimus, nec aliud in nostra seruitute extra ipsum commodum quærimus, quàm vt secundum ipsum
Genes. 3. ambulantes, ad ipsum peruenire valeamus. Seruitutem secundum conditionem parentes nostri in paradiso Conditori exhibere noluerunt, quando in superbia elati despexerunt esse sub illo, ad quod fuerant conditi: & voluerunt peruersi, esse in maiestate consimiles, qui non erant in natura æquales. Eua propter superbiam creaturam Dei se esse & opus Dei non considerans, Deo parificari voluit: Maria autem suo factori humiliter se subdens, ancillam se nominauit. Et idcirco illa abiecta & hæc electa est. Superbam despexit, & humilem respexit Id quod superba perdidit, humilis recepit. Ideo ait [*Respexit humilitatem ancillæ suæ.*] Sed serui Dei aliquando cum etiam humilitatem habent, humiliationem non habẽt: nunquã verò humiliationem sine humilitate, humilitatem sine humiliatione habẽt, qui licet coram hominibus foris despicabiles non appareãt, intus tamen humilitatis meritũ coram Deo inuiolatũ obseruant. Ergo Maria quæ apud Dominum humilis erat, & apud homines propter Deum abiecta, in vtroque se esse respectam

testatur: quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & eius humiliatio apud homines in gloriam cõmutata. Vnde sequitur: [*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationis.*] Vsque ad illud apud homines opprobrium sterilitatis portauerat, quia integritatẽ virginitatis thoro maritali præponebat. Sed vnde in priori generatione carnali quasi maledictionis sententiam sustinuit, inde nũc ab omni generatione mortali benedictionem col laudabiliter recepi. Quia ab õni generatione pro fructu fœcunditatis meæ beata vocor. [*Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*] Magnum Ioan. 1.
fuit, vt virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit vt Dei Patris verbum, carne sua indutum, vtero gestaret. Magnum fuit, dum se ancillam confessa est, vt mater fieret sui plasmatoris. [*Qui potens est.*] Quia credi potest eius potentia, potentem confessa est, sed quanta aut qualis cõprehendi non potest. Confessa est potentiam, discutere non præsumpsit: quia sciri non conuenit quanta est, quia infinita est. Omne quod præuidit se facturum, facit: nec aliquid quod non præuidit fieri non dubium, sed fieri necesse est. Maria non autem in se, aut in me, aut per me fecit magna, sed inquit, [*mihi.*] Quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriam singulariter est ordinatum. Et ideo dixit [*magna.*] quia mysterium incarnationis verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil enim vnquã magis mirum factum est quàm vt Deus fieret homo, & natura incomprehensibilis corporis substãtiã sic sibi vniret, vt nec minus in ea esset, quàm in se erat ĩmensa: nec minor in se extiterat, quã in illa fuit creata, hæc ergo sunt magna. [*Et ideo sanctum nomen eius.*] Quod est nomẽ eius? Fama eius, nomẽ eius

cognitio

cognitio eius: fides, nomē eius. Hoc nomē ſāctum eſt, cum ſanctis eſt, cum ſanctis gloriatur, à ſanctis benedicitur, à peruerſis blaſphematur. Quia dum verbum in carne naſcitur, gloria Dei per verbum in hominibus declaratur. [*Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.*] Miſericordiam (inquā) Mariæ fecit, nō tamē ſingulariter, ſed vni excellenter: Veruntamē ōnibus timētibus negatio excluditur. [*Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*] Hæc eſt illa miſericordia, quam timentibus ſe exhibuit Deus, quia verbum ſuum per aſſumptam carnem in hunc mundum miſit, vt per ipſum aëreas poteſtates potenti virtute debellaret, & genus humanum ab earum poteſtate redimeret. Ipſi enim ſuperbi ſunt quos diſperſit, eijciens eos foras à cordibus hominum, atque ſpolia eorum dirumpens, per illam quæ, prius in hominibus principabatur virtutem diſſipauit, & hoc [*in brachio ſuo*] id eſt, per Filij humilitatem diabolum vicit. Brachium eius filius eſt. Ipſa infirmitas, potentia fuit, quia per illam diabolus victus eſt. Et hoc [*mente cordis ſui,*] Id eſt, profundo conſilio ſuo diſperſit eos. Profundum conſilium fuit, vt pro me Deus fierit homo, & innocens pateretur, vt redimeretur nocens. Et in his erat conſilium, nec poterat illud diabolus præuidere, ſed captus eſt hamo Leuiathan. Vel per ſuperbos, Iudæos intelligere poſſumus, qui humilem aduentum Chriſti ſuperbè contempſerunt, quos abiecit. Vnde ſubditur, [*Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*] Potentes, quia filij regni qui videbantur, abiecit: & Gentes per humilem confeſſionem in conſortium regni atq; in filiorum adoptionem aſſumpſit, Ac malignos ſpiritus à cordibus hominum abiecit, & humiles, id eſt homines humiliatos exaltauit. Mens

Luc.11.

etiam

etiam cordis, est viuax & permanens dispositio
æternæ occultæque prædestinationis. Ipse est liber
vitæ. Idem est ergo mēs, quod liber. Tribus modis
aliquis in libro scribitur: Secundū præsciētiā, secū
dū causā, & secundum operationem. Quantum ad 1.
primū prædestinati sunt scripti, nō delētur vnquā,
licet ad tēpus, quasi periturus quis à via videatur,
errare permittitur. Secundum causam scripti sunt 2.
qui à via veritatis cœpta ad errores declinando
redeunt. Tales autem sunt aliquando, qui digni
saluatione existerent, si tales vsque in finem perma
nerent. Secundum operationem: quorum opera 3.
secundum humanum iudicium talia apparent,
propter quæ digni videantur scribi in Libro vitæ,
qui tamen ea quæ præuidebantur agere bona dese
runt: hi secundum præscientiam nunquā fuerunt
in libro vitæ: [*Deposuit,*] &c. Prius Angelum de *Esai.14.*
coelo, & hominē de paradiso superbitate proie- *Genes.3.*
cit: & postea hominem per poenitentiam humili
andum ad pristinam gloriam præparauit. Sed &
quotidie superbos quosque detrahendo gratiam
suam deponit: Et postea eosdē humiliatos, gratiā
priorem restaurans, exaltat. De quo autē illud est
quod sequitur? [*Esurientes impleuit bonis & diuites dimisit
inanes.*] Esuriētes vocat eos, qui se vero bono egere
cognoscūt. Diuites eos ītelligere vult, qui superbi
sunt, & se præ alijs in donis gratiarū abūdare exi-
stimant. Ergo sicut humiles modica de se sentiēdo,
maiorē gratiā merentur accipere: ita superbi de se
præsumendo, etiam ea quæ acceperūt, amittunt.
[*Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.*]
Suscepit, sicut medicus ægrotum, [*Israel puerum suum.*]
Id est, humilē & innocētem suscepit, vt sanaret in-
firmū, & redimeret captiuū: vt iustificaret impiū,
& saluaret iustum. [*Suscepit Israel,*] Non quē inuenit

Iſrael, ſed vt faceret Iſrael. [*Recordatus miſericordiæ,*] quam olim promiſit, ſed diu diſtulerat. [*Sicut loquutus eſt ad patres noſtros,*] Vel, patribus noſtris, [*Abraham & ſemini eius in ſecula.*] Miſericors in promittendo, verax in exhibendo: quia ſine debito promiſit & ſine dolo exhibuit: [*Sicut loquutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſecula. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.*]

Tomo.4. 83. Queſt. Queſt.58. Peractis autem Maria cum Elizabeth menſibus tribus, diſcedit. Quo numero videtur mihi ſignificari fides Trinitatis, & Baptiſma In nomini Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: quo per humilem Domini aduentum genus humanum imbuitur, & futuro aduentu claritatis eius extollitur. [*Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.*]

Tomo.8. Pſal.132 Octauo, ſcilicet, Calendas Iulias, cum iam incipiunt minui dies, ſicut tradit Eccleſia. [*Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.*]

Tomo.7. Contra Iulianum Pelagian. li.6.cap.3. Geneſ.17. Antiquis patribus hoc fuit Diuinitùs præceptum, vt octauo die circuncideret paruulos, ad ſignificandam regenerationem quæ fit in Chriſto: qui poſt diem ſeptimum ſabbati, quo die iacuit in ſepulchro, traditus propter delicta noſtra ſequenti, id eſt, octauo die in hebdomadibus reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Quod ſacramētum Circuncifionis in figura præceſſiſſe Baptiſmatis, quis vel mediocriter ſacris litteris eruditus ignoret? cùm apertiſſimè de Chriſto dicat Apoſtolus:

Coloſſ. 2. Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis, in quo etiam circuncisi eſtis, circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circuncisione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo: in quo & conſurrexiſtis per fidem operationis Dei qui

qui suscitauit illum à mortuis: & vos cum essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, viuificauit cum illo, donans nobis omnia delicta. Huius ergo circuncisionis non manufactę, quę nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circuncisio manufacta quæ data est Abrahæ. [*Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.*] Ioannes, gratia Dei interpretatur. [*Apertum est autem ilico os eius & lingua eius.*] Dicitur lingua illud frustũ carnis & membrũ quod in ore mouetur cũ quo verba distĩguimus. Et lingua quod per linguã fit: sicut dicimus aliã linguã Græcã aliam Latinã. Non enim caro diuersa est, sed sonus. [*Et loquebatur benedicens Deum*] Declinemus itaq; & nos semper à vitijs, & ad virtutes tendamus: nec superflui sermones procedant ex ore nostro, quia pro ociosis sermonibus reddituri sumus rationẽ in die Iudicij: Nec ad maledicendum quenquam consuescamus linguam nostram, quæ ad benedicendum & laudandum Deum creata est: quia cõsuetudo quæ longiùs fuerit protracta & confirmata, non cum paruo labore vitatur, vel expellitur. [*Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudeæ, diuulgabantur omnia verba hæc.*] Montes dicuntur, multum excelsa loca terrarum [*& posuerunt omnes qui audierãt in corde suo, dicentes. Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.*] Manus Dei potestas Dei est. Vnde probamus quia & manus Dei, potestas Dei dicta est? Nam diabolus qui tentauit Iob, hoc ait Deo: Mitte manum tuã & tange omnia quæ habet. Quid est, mitte manum tuam: nisi, da potestatem? Euidentiùs audi

Tomo. 9. In Apoca. Homi. 1.
Tomo. 8. Psalm. 50
Tomo. 4. De saluta. Document cap. 42.
Matth. 12.
Tomo. 8. Psalm 126
Tomo. 8. Psalm. 118 & 120.
Iob. 1.

frater, ne fortè carnali sensu adhuc cogites, quia membris distinctus est Deus. Audi euidenter quo modo dicatur manus potestas. Ait quodam loco
Prouer. 18 scriptura: Mors & vita in manibus linguæ. Nouimus linguas frusta quædam carnis in ore mouentur, & percutiendo palatum & dentes distinguũt sonos quibus loquimur. Ostendantur mihi manus linguæ. Lingua ergo non habet manus, sed
Prouer. 18 habet & manus. Quæ sunt manus linguæ? Pote
Matt. 12. stas linguæ. Quid est, Mors & vita in manibus linguæ? Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condẽnaberis. Ergo manus potestas est. [*Et Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus,*] Hic est dominus, de quo Regius Pro
Tomo. 8.
Psalm 69 pheta, ait: Dixi Domino, Deus meus es tu. Quare?
Psalm. 15. Quia bonorum meorum non eges. Ille non eget
Psalmo 55 nostri, nos egemus ipsius: Ideo verus Dominus. [*Deus Israel,*] Omniũ quidem Deus est: sed eorum
Psalm. 98 Deus propriè dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum incolunt. Domus Iudæorum & propago illa Abrahæ secundum carnem, solet dici, Domus Israel, & Israel Ia-
Genes. 25. cob. Iacob enim filius Isaac, Isaac autem ipse filius
Genes. 35. Abrahæ. Ergo Iacob nepos Abrahæ fuit, & de Iacob duodecim filij, & de duodecim filijs vniuersa propago Iudæorum. [*Israel*] autem nomen electi
Psalm. 49 onis est: Non vocaberis ait, Iacob: sed vocaberis
Genes. 32. Israel, quod interpretatur videns Deum. Illi ergo
Psalm. 75. digni sunt [*Israel*] dici, qui meruerũt Christũ intelligere Deũ, in carne positũ: vt nõ quod viderẽt cõ
Tomo. 8. tẽnerẽt, sed ꝙ nõ videbãt, adorarẽt. [*quia visitauit*]
Psal. 138. Diuinitas, enim Patri æqualis, facta est particeps mortalitatis nostræ, nõ de suo sed de nostro: vt & nos efficeremur participes Diuinitatis eius, non de nostro, sed de ipsius, [*& fecit redemptionem plebis suæ.*]
Israel

Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub *Tomo.8.*
peccato, redimere se ab iniquitatibus non potuit. *Psal.129.*
Ille potuit redimere, qui se nõ potuit vẽdere. Qui
non cõmisit peccatũ, ipse est redẽptor à peccato,
ipse redemit plebẽ suã. [*Et erexit cornu salutis nobis, in
domo Dauid pueri sui.*] Dauid interpretatur, fortis ma *Psalmo 34.*
nu, vel, desiderabilis. [*Sicut loquutus est per os sanctorum
qui à seculo sunt Prophetarum eius.*] Ipse enim se in Pro- *Psal. 142.*
phetis prædicabat, quoniam ipse est verbum Dei *Ioan.1.*
nec illi tale aliquid dicebant, nisi pleni verbo Dei.
Annuntiabant ergo Christum pleni Christo: & il-
li eum venturum præcedebant, quos præceden-
tes non deserebat. Neque ideo fecit Christus, quia
Prophetæ prædixerant: sed ideo Prophetæ predi- *Psal.93.*
xerunt, quia ille facturus erat. [*Salutem ex inimicis no
stris, & de manu*] Id est, de potestate, [*omnium qui ode
runt nos.*] diaboli, scilicet, & angelorum eius. Ip- 72. *Psal.30.*
si enim inimici nostri sunt, ipsi nobis inuident re-
gnum cœlorum: Ipsi nolunt vt nos ascenda- *Apocal.12*
mus, vnde illi deiecti sunt. [*Ad faciendam misericordiã
cum patribus nostris*] Misericordia dicitur, quia non 60.
merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam,
vt peccata omnia nobis dimitteret, & vitam eter
nam promitteret. [*& memorari Testamenti sui sancti.*]
Tunc dicitur Deus meminisse, quando facit: Tunc *Tomo.8.*
obliuisci, quando non facit. [*Testamentum*] sanè *Psal.87.*
in scripturis non illud solum dicitur quod non va- 82.
let nisi Testatoribus mortuis, sed omne pactum, *Genes.31.*
& placitum, testamentum vocabant. Nam Iacob
& Laban testamentum fecerunt, quod vtique etiã
inter viuos valeret: & innumerabilia talia in Diui
nis leguntur eloquijs. *Iusiurandum quod iurauit ad Abra
ham patrem nostrum, daturum se nobis.*] Dei iuratio, pro
missionis est confirmatio. Quid est ergo, [*quod iura *Psalm.88.*
uit?*] Nisi, Quod promissum per seipsum firmauit. 131.

Psalm 70 [*Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati*] Non
meritis nostris, sed ipsius gratia [*seruiamus illi.*]
115. Secundum quod omnis creatura subdita Creato
ri est: & verissimo Domino, verissimum debet fa-
Psal. 110. mulatum. [*In sanctitate & iustitia coram ipso,*] Sed iu-
stitiam homo non operatur, nisi iustificatus: Cre-
dens autem in eum qui iustificat impium, à fide in
cipit: vt bona opera, non præcedentia, quod me-
ruit, sed consequentia, quod accepit ostendant.
93. Neque enim est alia iustitia hominis in hac vita nisi
Galat. 5. ex fide viuere quæ per dilectionem operatur.
Psal. 118. [*omnibus diebus nostris.*] Id est, per omne tēpus: Vt
& 12. dies pro tempore intelligatur. [*Et tu puer Propheta
Altissimi vocaberis præibis enim ante faciem Domini parare vias
eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem pecca
torum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visi-
tauit nos oriens ex alto. Illuminare ijs qui in tenebris & in vmbra*
Tomo. 8. *mortis sedent,*] Nulla quippe creatura, quamuis rati
Psal. 118. onalis & ītellectualis, à seipsa illuminatur, sed par-
7. ticipatione sempiternæ veritatis, accenditur. Iam
Psal. 138. verò tenebris significari peccata, & in Propheta
1. Ioan. 2. inuenitur, qui dicit: Et tenebrę tuæ tanquā meri-
Roma. 13. dies erunt. Et in Apostolo dicente: Qui odit fra-
trem suum, in tenebris est. Et illud præcipuè: Abij
ciamus opera tenebrarum, & induamur arma lu-
cis. Non quod aliqua sit natura tenebrarū. Omnis
enim natura, in quantum natura est, esse cogitur:
Esse autē ad lucē pertinet: nō esse ad tenebras. Qui
ergo deserit eū à quo fact⁹ est, & īclinat in id, vnde
fact⁹ est, in nihilū, in hoc peccato tenebratur: & ta-
mē nō penit⁹ perit, sed in īfimis ordinatur. [*ad diri-*
Tomo. 8. *gendos pedes nostros in viam pacis.*] Nam pax est vinculū
Psal. 149. sanctæ societatis, cōpago spiritualis, ædificiū de la
pidibus viuis. [*Puer autem crescebat & confortabatur spi-
ritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.*]

Sed

Sed non omnes qui ſunt ex Iſrael, hi ſunt Iſra- *Tomo.8.*
elitæ ſed in Iſaac (inquit) vocabitur tibi ſe- *Pſalm.73*
men: hoc eſt, non hi qui filij carnis, ij filij Dei: ſed *Rom. 9.*
filij promiſſionis deputantur in ſemine. Sunt ergo *Geneſ.21.*
quidam Iſraelitæ, ex quibus erat ille, de quo dictũ
eſt: Ecce verè Iſraelita in quo dolus non eſt. Non *Ioan. 1.*
ſecundum hoc dico quod & nos Iſraelitæ ſumus
quia & nos ſemen Abrahæ ſumus. Gentibus quip-
pe loquebatur Apoſtolus cum diceret: Ergo ſemẽ
Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem here- *Galat.3.*
des. Secũdum hoc ergo omnes Iſraelitæ qui ſequi
mur veſtigia fidei patris noſtri Abrahæ. Sed illo
modo hic intelligamus Iſraelis vocem, quo
modo dixit Apoſtolus: Nam & Iſraelita
ſum ex ſemine Abrahæ, de tribu Ben- *Rom.11.*
iamin. Hìc ergo intelligamus,
quod Prophetæ dixerunt, Reli *Rom.9.*
quiæ ſalue fient. *Iſai.10.*

SECVNDI CAPITIS ARGVMENTVM.

Chriſtus in Bethleem natus à Paſtoribus viſitatur, octaua circunciditur die, in Templum delatus à Simeone & Anna cognoſcitur, & duodecimo ætatis anno à parentibus reperitur.

CAPVT SECVNDVM.

Factum eſt autem in diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit

autem & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnãte. Factũ est autẽ cũ essent ibi, impleti sunt dies vt pareret.]

Tomo. 3. De Mirab. sacr. scri. lib. 3. cap. 3.

Igitur quadragesimo secundo anno Octauiani Augusti Cæsaris tẽporibus Herodis Regis Iudæorum, ablato ex Iudæis omni dominandi potestate: In oppido Iudææ Bethlehẽ, de Dauid stirpe, ex virgine Maria, Iesus Christus Dominus nascitur. Quod competenter euenerat, vt cùm Regum & Pontificum ex Iacob stirpe descendentium succes-

Genes. 49

sio consumpta fuerat, qui in æternum Rex est & Pontifex tunc nasceretur. [*Et peperit.*] Octauo

Tomo. 8. Psal. 132.

Calendas Ianuarias, quando iam dies incipiũt crescere. [*filium suum primogenitum.*] Sine damno suæ virginitatis, quem sine viri semine, & carnalis oblectamento voluptatis, conceperat. In quare quamuis contra cunctorum hominum conceptionis cõsuetudinem absque viri semine factum opus ostenditur: non tamen extra naturam de muliebri vtero sumpta substantia carnis nascebatur. Ex natura naturaliter naturam suscepit, qui, cooperante spiritu, ex materna, quamuis sola, carne, veram carnis substantiam humanæ, exceptis vitiorum passionibus, integram contulit. Quam rem ne sine exemplo naturę alicuius, velut nouã in Dei creaturis, dimittamus, multa animantia absque parentum coitu progigni cõprobamus: Qualiter apes sine patribus fotu materni corporis tantum modo crescunt, & omnia illiusmodi volatilia, foetus suos taliter concipiunt. Sed & multæ aues absque maribus oua gignere possunt. Et talẽ conceptum in multis generibus esse, physiologi aiũt. In sola quoque carne sine patre vermis nascitur, cui se Dominus hac de causa similem dicere

Tomo 3. De Mirab. sacræ scrip Lib. 3. cap. 2.

per

per Prophetam non dedignatur. Quod ergo in multis rebus more consueto Dominus operatur: quid naturę contrarium dicendum est, si quando ipse voluit, vt in virginali vtero Spiritus sancti dispensatione filius, sine viri coitu nasceretur? Neque sic est natus ex virgine, vt & Diuinitatis initium homo nascendo acceperit: quasi antequam nasceretur ex virgine, Deus non fuerit (sicut Arthemō & Berillus, & Marcellius docuerunt) sed ęternus deus, & homo ex virgine natus est. Quare Christus de fœmina natus sit? Deus cum liberat, non partem aliquam liberat, sed totum liberat, quod fortè in periculo est. Sapientia ergo & virtus Dei, qui dicitur vnigenitus, homine suscepto, liberationē hominis indicauit. Hominis autem liberatio in vtroque sexu debuit apparare. Ergo quia virū debebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat vt fœminei sexus liberatio huic appareret, quod ille vir de fœmina natus est. [*& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*] Nascens Christus non inuenit locum in Diuersorio, per quem omnis creatus est locus. Et velut peregrinus nascitur, qui totius orbis est Dominus, vt nos cœlestis patriæ faceret esse municipes. Pannis abuoluitur, vt scissam humani generis vnitatem, suo redintegraret in corpore, totumque immortalitatis vestimentum purpureo sanguinis colore, fulgens in cœlestia regna deferret. Nascitur, fratres, vt ipsam quam prius homo vitiauerat, melioraret naturam. Iacet in pannis, sed regnat in cœlis: humiliatur in cunabulis, sed in nubibus tonat. In præsepe ponitur, quia omnis caro fœnum, Esaia dicente monstratur. Quas itaque laudes charitati Dei dicamus, quas gratias agamus, qui nos ita dilexit vt propter nos fieret

Psalm. 21. — *Tomo. 4. De Ecclesiast. dogmat ca. 3.* — *Tomo. 4. Octoginta trium quæstion. Quæst. 11.* — *1. Corin. 11.* — *Tomo. 10. De Tēpore Serm. 24.* — *Genes. 3.* — *Isai. 40.* — *Tomo. 10. De Tēpore Serm. 25.*

in tempore, per quem facta sunt tempora: & multis seruis suis in mundo minor esset ætate, ipso mundo antiquior sine vetustate: homo fieret, qui hominem fecit: crearetur ex matre quam creauit, portaretur manibus quas formauit, sugeret vbera quę impleuit: in præsepi muta vagiret infantia, verbum, sine quo muta est humana eloquentia? Vide homo quid pro te factus est Deus. Doctrinā tandem humilitatis agnosce, etiam nondum loquente doctore. Tu quondam in paradiso tam facundus fuisti, vt omni animæ viuæ nomina impo
Genes. 2.
neres, propter te autem creator tuus infans iacebat, & nomine suo nec matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio te perdidisti, obedientiam negligendo. Ille obediens in angustissimum diuersorium mortalis venit, vt mortuum quæreret moriēdo. Tu cum esses homo Deus esse voluisti vt perires. Ille cū esset Deus homo esse voluit, vt quod perierat, inueniret. Tantùm te pressit humana superbia, vt te non posset sublimare nisi Diuina gratia. Celebremus ergo cū gaudio diē quo peperit Maria Christū, & coniugata coniugij creatorem, & virgo virginū principē: & data marito, & mater non de marito sed castior quàm si de marito, Virgo ante coniugiū, virgo in cōiugio, virgo prægnās, virgo lactās, sanctæ quippe matri omnipotēs filius nullo modo virginitatē natus abstulit, quā nasciturus elegit. Bona est enim fœcunditas in coniugio, sed melior integritas in sanctimonio. Homo igitur Christus qui vtrunque præstare possit vt Deus, nunquam sic daret matri bonum quod coniuges diligunt, vt auferret melius propter quod virgines matres esse contemnunt. [*Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini*
Genes. 3. *Philip. 2.* *Genesi. 3.* *Philip. 2.*

stetit

ſtetit iuxta illos] Angelus officij nomē eſt, nō naturæ. Nam Angelus Græcè, qui Latinè nuntius appellatur. [*& claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Angeli paſtoribus annuntiant, ſtella Magos inuitat. Ruſticitas paſtorum, admonitionē exigit Angelorum. Curioſitas Magorum, inſtructa eſt lingua cœlorū. [*Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantiū Deum, & dicentiū: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*] Non Diuiſoribus ſanctæ vnitatis. Quod vtique nato in terris Chriſto non ſonaret ore Angelico, niſi Deus hoc vellet ītelligi, eos eſſe in vnitate corporis Chriſti, qui ſūt in pace Chriſti. Eos aūt eſſe in pace Chriſti, qui ſūt bonæ volūtatis. Volūtas autē eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendū, vel adipiſcendum. Bona verò voluntas eſt, qua appetimus rectè perfectéque viuere, & ad ſummam ſapientiam peruenire. Nunquid dixerunt Angeli: Pax diuitibus hominibus in terra? Sed pax in terra hominibꝰ bonæ volūtatis. In vidua magna volūtas. In Zachæo magna volūtas, in Zachæo charitas magna. Suſcepit Dn̄m hoſpitio, gaudēs ſuſcepit, & dimidiū ſui patrimonij promiſit ſe daturū, & ſi cui aliquid abſtulerat, quadruplum redditurum: vt ītelligas propterea ſibi eum tenuiſſe dimidium, non vt haberet quod poſſideret, ſed vt haberet vnde debita redderet. Magna voluntas, Multum dedit multum ſeminauit. Ergo vidua illa quæ duo minuta miſit, parum ſeminauit? Immo tantū quantum Zachæus. Minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat. Miſit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zachæus

Tom. 6. Tract. de eo quod dict. eſt. ego ſū.
Tomo 9. De Symbolo ad Cathecum Libr. 4.
Matt. 2.
Tomo. 6. De quinque Hereſibus cap. 6
Tomo. 7. De Baptiſ. cōt. Dona. lib. 4. ca. 7
Tomo. 4. Viginti vnius ſentē tia. ſēt. 14
Tomo. 1. de Libero Arbitrio lib. 1. cap. 12.
Tomo. 8. Pſal. 125.
Luc. 21.
Luc. 19.
Luc. 21.

dimidium patrimonij sui. Si attendas quid dederunt, diuersa inuenies: Si attendas vnde dederunt, paria inuenies. Quicquid habuit illa dedit, et quod habuit dedit ille. Fac aliquem vel non habere duos nummos. Est aliquid vilius quod seminemus, vt
Matt. 10. metamus illam messem? Est. Calicem aquæ frigidæ qui dederit discipulo, nõ perdet mercedem suam. Calix aquæ frigidę, non duobus nummis, sed gratis constat. Tamen aliquando sic gratis constat vt habeat illum alius, & alius non habeat: Si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet: tantum dedit (si de plena charitate dedit, quod dedit) tantum dedit, quantũ illa in duobus nummis, quantum Zachęus in dimidio rerum suarum. Nõ enim sine causa addidit, frigidæ, vt pauperẽ ostenderet.
Matt. 10. Ideo dixit, Calicem aquæ frigidæ, ne quis vel inde causaretur quod lignum nõ habuerit vnde calefaceret aquam. Calicem aquę frigidæ qui dederit vni ex minimis, non perdet mercedẽ suã. Quid si nec hoc habeat? Securus sit. Et si nec hoc habet, [*Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.*] Tantum illud timeat, ne habeat, & nõ faciat. [*Et factum est vt dis-*
Tomo. 8. *cesserunt ab eis Angeli in cœlum.*] *Obserua.* Spiritus Angeli
Psal. 103. sunt, & cũ spirit⁹ sunt nõ sunt Angeli: cũ mittũtur fiunt Angeli. Angelus enim officij nomẽ est, non naturæ. Quęris nomẽ eius naturę, spiritus est: quęris officiũ, Angelus est. Ex eo ꝙ est, spirit⁹ est: ex eo ꝙ agit, Angelus est. Vide illud in homine. Nomen naturæ, homo: officij, miles. Nomen naturæ, vir: officij, pręco. Homo enim fit pręco, id est, quia homo erat, fit præco: non quia præco erat, fit homo. Sic ergo qui erãt iã spiritus cõditi à creatore Deo, facit eos Angelos, mittẽdo eos nũtiare ꝙ iusserit. [*Pastores loquebãtur ad inuicem. Trãseamus vsque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit*

ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positū in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant mirati sunt, & de ijs quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.] Quid est, [*glorificantes?*] gloriosum dicentes, non facientes. [*Et postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, Quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.*] Circuncisio octauæ diei, quæ patribus data est, prænuntiabat iustificationem nostram, & expoliationem carnalium concupiscentiarum per resurrectionem Domini nostri, quæ post septimum, id est, Sabbati diē, octauo die, id est Dominico facta est: qui dies tertius post sepulturam eius occurrit. Eandem tamen prænunciantem circūcisionem carnis, infans Christus accepit. Dominus enim humilitatis viam docens, Sacramenta quæ hic inuenit, prænuntiationis suæ, suscipere dignatus est: non ad suæ purgationis adiutorium, sed ad nostræ pietatis exemplum: vt, scilicet, ostenderet nobis quanta deuotione suscipere debemus ea quæ illum iam venisse testantur: quando ipse suscipere non dedignatus est, quæ illum venturum figurabant. [*Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et darent hostiam, secundum quod dictū est in Lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.*] Sanè aduertendū est, quam pauper Dominus nasci voluerit, vt non pro illo offeretur agnus & pullus columbinus, aut turtur, sed par turturū aut duo pulli columbini, sicut hic legitur: quod scriptura

Tomo.8. Psalm.39.

Tomo.7. Cōtr. lrās. Petiliani Lib.2. Cap.37.

Tomo. 4. Quæstionū sup. Leuiticum. Lib.3. Quæst.40.

Leuitici

Leuit, 12. Leuitici tunc iussit offerri, si non habuerit manus offerētis, quod satis est magnum. [*Et ecce homo erat in Ierusalem cui nomen Simeon. Et homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.*] Non vt signum esset adoptionis in eo, sed meritorum eius gratia. [*Et responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*] In tantum enim proficiebat in vita, vt dignus fieret in presenti etiam videre, quem liberatorem sperabat post mortem. [*Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem Legis pro eo.*] Vbi senex Simeon eum portari manibus matris vidit, Diuinam infantiam, pia senectus agnouit. [*Et ipse accepit eum in vlnas suas,*] Senex ille Simeon, senex ille in Euangelio seruatus annosus, accepit in manibus suis infantem, verbum Dei. Qui & in vtero esse dignatus est, in manibus senis esse dedignaretur? Ille in vtero virginis, qui in manibus senis: infirmus infans, & intra viscera, & in manibus senis, ad dandā nobis firmitatem, per quem facta sunt omnia: Et si omnia, & ipsa mater. Venit humilis, venit infirmus, sed indutus infirmitate mutanda: quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei, Apostolus ait; Erat ergo in manibus Senis. Ille quidem Christum ferebat, sed Senem Christus regebat. Regebat qui portabatur, ne ille ante promissum, à corpore solueretur. Quid tamen dixerit, quem tamen cōfessus fuerit, aduertite. Et quid ait Senex? Quid ait gratulans quod iam soluendus hinc esset, videns suis in manibus contineri à quo, & in quo, salus eius continebatur? [*Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei, salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad*

Tomo. 4. Question. veteris & Noui Test. Quest 123. Ibidem. Quest. 127

Tomo. 6. Cōt Iudæ Arria. & Paga. cap. 14.

Tomo 8. Psalm 66

2. Corint. 13.

Tomo. 6. Contr. Iudæ. Arriā. & paga. cap. 14.

Tomo. 8. Psalm. 66

reuelationem

reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.] Differebatur exire de seculo, vt videret natum per quem conditum est seculum. Agnouit infantem Senex, factus est in puero puer: Innouatus in ætate, qui plenus erat pietate. Simeon senex ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat à Domino, quod nō gustaret mortē, nisi videret Christum Deum natum. Natus est Christus, & impletum est desiderium senis, in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inueteratum inuenit. In isto quidem seculo diu esse nolebat, & Christū in hoc seculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, & dicens: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Salutare verò Dei, Christus est. O beatus ille Simeon qui quod sperauerat, vidit. Iam mortem suam pacem & requiem computabat. [*Et erat pater eius & mater eius mirantes super ijs quæ dicebantur de illo.*] Cùm Euangelista superius narret, non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria virgine natum Christum: Vnde eum patrem eius appellat, nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis ipsa copulatione coniugij? & ob hoc etiam Christi patrem multò coniunctiùs qui ex eius coniuge natus est, quàm si ei esset aliunde adoptatus. [*Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.*] Simeon vir sanctus, & diuinis oraculis commendatus, per Spiritum sanctum loquutus est, quid futurū esset hominibus ex causa Christi: vt ruina his esset, qui cùm sibi viderentur stare per obseruantiam & peritiam Legis, diffidentia tamen operum Christi caderent, desolati à promissione Patrum. Illis autem qui nullius prope digni-

Tomo. 10. De Tempo. Serm. 13.

Luc. 2.

Psalm. 84.

Tomo. 2. Epist. 120. De gratia noui Test. ad Honor. cap. 18.

Tomo 9. De consol. mort. capi. 4. serm. 2.

Tomo 4. De cōsens. Euāgelist. lib. 2. ca. 1

Tomo 4. Quest. vet. & no. test. Quest. 73.

tatis essent in Lege, credētibus verò in Christum, resurrectio in Israel: vt digni Deo fierent, qui prius indigni & inutiles erant: & reprobarentur, qui aliquid esse putabātur. Hoc est quod alio loco di-
Ioan.9. cit Dominus: In iudicio ego veni in hūc mundum: vt qui non vident, videant: & qui vidēt, cæci fiant. Deniq; non Legisdoctores, non Pharisæi, non Scribæ sequuti sunt Christum: sed piscatores, homines imperiti & rusticani. Hinc est vnde dicit dominus:
Matt.11. Pater gratias ago tibi, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. [*Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex*
Tomo.2. *multis cordibus cogitationes*] Hoc intelligendum puto,
Tomo 2. *Episto.59.* *Ad paulinum.* quia per Domini passionem, & insidiæ Iudæorum, & discipulorum infirmitas patuit. Tribulationem igitur, gladij nomine significatā esse, credibile est, quo materna anima vulnerata est doloris affectu.
Tomo.8. Passio quippe Domini quæ multis ruina fuit, & in
Psal.104. qua multorum cordium occulta patuerunt, quoniam expressum est quid de Domino sentiebant, & ipsam eius matrem, grauiter carnali orbitate percussam, sine dubio, contristauit. [*Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de ipso omnibus qui expectabant redemptionem Israel.*]
Tomo. 4. *De bono Viduitatis Cap.13.* Vides quemadmodum sancta vidua non solum eò prædicatur, quod vniuira fuerit, verum etiā quod paucos annos cū marito vixerit à virginitate sua, & vidualis continentiæ munus vsque ad tantam senectutem, tanta pietatis seruitute, perduxerit. [*Et vt perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reuersi sunt in Galileam in ciuitatem suam Nazareth.*] Quæritur quando

quando fieri potuerunt quæ contexit Matthæus de profectione in Ægyptum, atque inde regreſsione poſt Herodis mortem, vt iam in ciuitate Nazareth habitarent: quo eos Lucas, poſteaquã perfecerunt in templo circa puerum omnia ſecundum Legem Domini reuerſos eſſe commemorat. Hic proinde cognoſcendum eſt (quod deinceps ad cetera talia valeat, ne ſimiliter moueãt, animumque conturbent) ſic vnumquemq; Euangeliſtam contexere narrationem ſuam, vt tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, ſic ea quę vult dicere, illis quę dicebat adiungit, vt ipſa continuè ſequi videantur. Sed cùm alter ea dicit, quæ alter tacuit: diligenter ordo conſideratus indicat locum vbi ea potuerit, à quo prætermiſſa ſunt, trãſilire: vt ea quę dicere intenderat, ita ſuperioribus copularet, tanquam ipſa nullis interpoſitis ſequerentur. Ac per hoc intelligitur Matthæus, vbi ait, ſomnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, per aliam viam regreſſos in regionem ſuam: illic prætermiſiſſe quæ Lucas narrauit geſta circa Dominum in tẽplo, & dicta à Simeone & Anna: Vbi rurſus Lucas prætermittens profectionem in Aegyptum (quam narrat Matthæus) tanquã continuam contexuit regreſſionem ad ciuitatem Nazareth. [*Puer autem creſcebat & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.*] Non incõgruenter intelligimus [*ſapientiam*] in cognitione & dilectiõe eius quod ſemper eſt, atque incommutabiliter manet, quod Deus eſt.

Tomo. 4. De cõſẽſu Euangeli. Lib. 2. Cap. 5. Matt. 2.

Matt. 2.

Luc. 2.

Matt. 2.

Tomo. 8. Pſal. 135.

[*Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem in die ſolenni Paſchæ.*] An & hoc aliquis dicit: quomodo (ſicut Lucas narrat) ibant parentes eius per omnes annos pueritiæ Chriſti in Ieruſalem: ſi Archelai timore illuc prohibebantur accedere? hoc mihi di-

Tomo. 4. De cõſenſ. Euãgeliſt. Lib. 2. Cap. 10. Matt. 2.

D ſoluere

soluere non esset difficile, si aliquis Euangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, vt per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reuersuri, vbi tamen alijs diebus habitare metuerent: vt nec solennitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mãsione conspicui. Cũ verò etiam de regno Archelai quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerunt. Iste quoque intellectus patet: vt quod Lucas dicit, per omnes annos eos ascendere solitos in Ierusalem, tũc accipiamus factitatum, cùm iam non timeretur Archelaus. Quod si Archelai regnũ aliquanto diuturnius, vlla (præter Euangelium) Historia, prodit, cui fides adhibenda videatur: Illud quod superius dixi, suffecerit: quod ita timebant parentes pueri habitationem in Ierusalem, vt tamen propter Dei timorem festiuitatem solennem non prætermitterent, in qua latere facillimè possent. Neque enim incredibile est captatis temporibus oportunis, vel dierum vel horarum, accedere homines ad ea loca in quibus esse formidant.

Tomo.4. De Cõsens. Euãgelist. lib.2. cap.11. Matth.2. Luc.2.

Hinc etiã soluitur illa quæstio, si aliquem mouet: Cùm iam solicitus esset ille maior Herodes, perculsus Magorum nuntio, quod Rex Iudęorum natus fuisset: quomodo potuerunt completis diebus purgationis matris eius, tuto cum illo ascendere in Templum, vt fierent circa eum secundum Legem Domini, quæ Lucas cõmemorat. Quis enim non videat etiam illum vnum diem Regem, multis occupatum, latere potuisse? Si autem verisimile illud non videtur, quod Herodes, qui valde solicitus expectabat quid sibi Magi de puero renuntiarent, post tã multos dies se sensit illusum: vt transacto tempore purgationis matris eius, & peracta circa infantem solennitate primogenitorum in

templo

templo Ierusalem: Post etiã profectionem eorum in Aegyptum, in mentem illi venerit quærere animam pueri & necare tot paruulos. Si hoc ergo mouet, omitto dicere, quot & quantis occupationibus Regia cura discẽdi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione vel auerti omnino, vel impediri. Neque enim enumerari possunt causæ quibus hoc potuerit accidere: quas tamen multas & magnas esse potuisse, nemo ita rerũ humanarũ inexpertus est, vt aut neget, aut dubitet. Cuius enim cogitationi non occurrat, quam multa alia terribiliora Regi nũtiari potuerunt, seu vera seu falsa: aut qui Regem infantem post aliquot annos sibi, vel filijs suis aduersaturũ timuerat, aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus, ab illa cura mentem abreptã, in alijs proximè cauendis potiùs occuparet? Vt ergo hoc omittam, illud dico: posteaquam nihil Herodi Magi renuntiauerunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non inuenerunt quem natum putauerant, erubuisse ad se redire: atque ita eum timore depulso, ab inquirendo & persequendo puero, quieuisse. Cùm ergo post purgationem matris eius, in Ierusalem, cum illo venissent: & ea gesta essent in Templo (quæ à Luca narrantur) quia verba Simeonis & Annæ de illo prophetãtium, cùm cepissent ab eis qui audierant, prædicari, ad pristinam intentionem reuocatura erant animum Regis: admonitus per somnium Ioseph, cum infante & matre eius fugit in Aegyptũ. Deinde vulgatis rebus quæ in templo factæ dictæque fuerant, Herodes se à Magis sensit illusum: ac deinde ad Christi mortem cupiens peruenire, multos infantes (sicut Matthæus narrat) occidit. [Et *cùm factus esset annorũ duodecim, ascendentibus illis Ierosolimã,*]

Luc. 2. *Matt. 2.* *Ibidem*

Tomo.8. Ad illam supernam Ierusalem (cui suspiramus,
Psal. 126. quamdiu peregrinamur) ascendit omnis qui proficit: cadit ab hac omnis, qui deficit. Nec pedibus ascendere queras, nec pedibus te descēdere putes: Amando Deum, ascendis: amando seculum, cadis. [*Secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt pa-*
Psal. 64. *rentes eius.*] Ierusalem, visio pacis interpretatur. [*Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes eum, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est,*
Tomo.8. *post triduum, inuenerunt eum in Templo sedentem in medio Do-*
Psal.108. *ctorum.*] In medio esse dicitur, cui honor præcipuus exhibetur. [*audientem illos.*] Fœliciores enim
50. sunt qui audiunt, quàm qui loquuntur. Qui enim discit, humilis est: qui autem docet, laborat vt non sit superbus, ne malè placendi affectus irrepat: ne
Psal 109. Deo displiceat, qui vult placere hominibus. [*Et interrogantem eos.*] Non Dominus interrogat discere volens, sed tanquam Doctor interrogat. [*Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & respon-*
101. *sis eius.*] Horrent, miranturque sapientiā Dei pueri duodennis, imperiti senes. Aut etiam si periti
Ioan.1. senes, quid illorum peritia ad verbum Dei? Quid
1.Corin 1. illorum peritia ad sapientiam Dei? Nonne & periti, nisi illo subueniente vtique perituri? [*Et videntes admirati sunt.*] Quod enim difficilius queritur,
Psal.103. solet dulcius inueniri. [*Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis*
Tomo.9. *quia in iis quæ patris mei sunt, oportet me esse?*] Quando ta-
De Symbol lia mater à puero audiuit, corde expauit: non enim
ad cathe. patrem nominabat ille quē nesciebat in terra, sed
lib 2. ca. 5 illum qui fecit cœlum & terram. [*Et ipsi non intellexerunt verbum quod loquutus est ad eos. Et descendit cum eis, &*

venit

venit Nazareth, & erat subditus illis.] Quibus subditus, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi Iesus Christus: qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est, esse æqualis Deo? Cur ergo illis subditus, qui longè infra formam Dei erant: nisi, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, cuius formæ parentes erant? [*Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.*] Secundum formam hominis, quam pro nobis, accepit ex nobis: non secundum formam Dei, in qua non alienum arbitratus est, esse æqualis Deo.

Tomo. 7. De Nupt. & cõcup. ad valer. lib. 1. cap. 11. Philip. 2. Ibidem

Philip. 2.

TERTII CAPITIS ARGVMENTVN.

Ioannes pœnitentiam prædicans, Christum cum turbis baptizat, quem Dei filium signo cœlesti agnoscit, cuius & genealogia per matrem texitur.

CAPVT TERTIVM.

ANno autem quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, & Lysania Abile-

na Tetrarcha, sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto.] Planè de Herode solet mouere nonnullos, quod Lucas narrauit in diebus baptismi Ioannis Herodem fuisse Tetrarcham Galilææ, quando etiã Dominus iuuenis baptizatus est: Matthæus autem mortuo Herode, dicit puerum Iesum ab Aegypto remeasse: quod vtrunque verum esse nõ potest, nisi duo fuisse intelligantur Herodes. Quod cùm fieri potuisse nemo nesciat: qua cecitate insaniunt, qui procliuiores sunt ad calumniandum Euangelicæ veritati, quam paululum consideratiores, vt duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant, cui rei exemplis plena sunt omnia. Nam iste posterior Herodes, prioris Herodis filius fuisse perhibetur: sicut Archelaus, quem Matthæus in Iudææ regnum patri mortuo successisse commemorat, sicut Philippus quem fratrem Tetrarchæ Herodis, & ipsum Iturææ Tetrarcham Lucas insinuat. Rex enim fuit Herodes ille qui quęrebat animam pueri Christi: Herodes autem alius filius eius, non Rex sed Tetrarcha dictus est, quod nomen Græcum, à parte Regni quarta, inditum resonat. Nisi forte hinc rursus quispiam moueatur cum Matthæus dixerit ideo timuisse Ioseph cum puero redeunte, ire in Iudæam, quia pro patre suo Herode Archelaus filius eius ibi regnabat: quomodo potuit ire in Galilæã, vbi alius filius eius Herodes Tetrarcha erat, sicut Lucas testatur. Quasi vero ipsa sint tempora quibus tũc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemorauit: quæ vsqueadeo mutata erant, vt in ipsa Iudæa non iam Rex esset Archelaus, sed Pontius Pilatus, qui non rex Iudæorum, sed præses erat: cuius temporibus agentes sub Tyberio Cæsare filij maioribus Herodis, non

Tomo. 4. De Cõsens. Euãgelist. Libr. 2. cap. 7. Matt. 2. Matt. 2. Luc. 3. Matt. 2. Tomo. 4. De Cõsens. Euangel. Lib. 2. cap. 8. Matt. 2.

regnum

regnum habebant, sed Tetrarchiam. Quod vtique nondum factum erat, quando Ioseph timens Archelaum in Iudæa regnantem, se in Galilæam cũ puero contulit, vbi ciuitas eius erat Nazareth. [*Et venit in omnem regionem Iordani, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,*] Non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes. Nã remissio peccatorum, Christi gratiæ seruabatur. [*Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamãtis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas:*] Videamus in quo deserto, id est, in Gentilium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu sancto carentia: Deserto squalentis heremi comparantur. Desertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei & timoris Dei: & peccatorum spinis obsitus squalebat, tanquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullũ imbrem gratiæ spiritalis acceperat. Mittitur beatus Ioannes, qui eum per propheticam atque Apostolicam prædicationem, annuntiando pœnitentiam, quasi rudem campum proscinderet, foecundaret, & excoleret, Diuini verbi seminibus impleret, & admaturam frugem, id est, ad regenerationis gratiam præpararet. [*& videbit omnis caro salutare Dei.*] Caro, pro homine posita est. Non enim sine anima vel sine mẽte: sed ita [*omnis caro*] ac si diceretur, omnis homo. Sine vllius ergo nodo difficultatis, sic intelligi potest ac si dictum fuerit: Et videbit omnis homo Christum Dei: qui vtique in corpore visus est, & in corpore videbitur quando viuos & mortuos iudicabit. Quod autẽ ipse sit salutare Dei, multa sunt & alia testimonia scripturarũ: Sed euidentius venerandi illius senis Simeonis

Tomo 10. De Tẽpore Serm. 37.

Tomo. 10. De Sãctis. Serm. 20.

Tomo. 3. De Trinit. lib. 2. ca. 6

Tomo. 5. De Ciuit. Dei lib. 22 cap. 29.

verba declarant, qui cùm infantem Christum ac-
Luc.2. cepisset in manus suas: Nunc (inquit) dimittis ser-
uum tuum Domine, secundum verbum tuum in
pace: quoniam viderunt oculi mei, salutare tuum.
[*Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant vt baptizarentur ab ipso:
Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?*]
Tomo.8. Erant enim iniqui, erant perditi, erant peccatores,
Psalm. 46 erant impij: venerunt ad baptismum Ioannis. Et
quid eis dicit: Progenies viperarum. Illi se dicebãt
filios Abrahæ, & ipse illos dicebat filios viperarũ.
Nunquid Abraham vipera erat? Sed quia malè vi-
uendo dæmones imitati erant, & eorum filij facti
erant, quos imitando malè viuebant. Progenies vi-
perarum (inquit) quis vobis ostendit fugere à ven-
Tomo. 9. tura ira? [*Facite ergo fructus dignos pænitentiæ:*] Id est,
Expos in humiles estote. Superbis enim loquebatur. Vnde
Euan. Ioã autem erant superbi? De genere carnis, non de fru-
Tractatu.9 ctu imitationis patris Abraham. Quid eis ait? [*&
ne cœperitis dicere: patrem habemus Abraham,*] Et quasi su-
Tomo.8. perbire de genere Abrahæ. [*Dico enim vobis, quia po-
Psal. 46. tens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*] Non
enim remansurus est Abrahã sine filijs, si vos dãna-
uerit Deus potens est. Potest enim & dãnare quos
odit, & illi reddere q̃ promisit. Et vnde illi reddi-
turus est filios, si damnaret Hebræos de carne eius
progenitos? De lapidibus istis. Ostendebat illis la-
Tomo. 9. pides in heremo. Qui erant lapides, nisi Gentes,
Expos. in quæ lapides adorabant? Lapides quare? Non pro-
Euang. pter firmitatem, sicut lapis dictus est, quem repro-
Ioan. bauerunt ædificantes: sed propter stoliditatem &
Tract. 9. duritiam stultitiæ, quia eis quos adorabant simi-
Psal. 117. les facti erant. Adorabant enim insensata simula-
chra, pariter insensati. Vnde insensati? Quoniã in
Psalmo dicitur: Similes illis fiant qui faciunt ea,
Psal.113. & omnes qui confidunt in eis. Ideo cũ cœperint
hominos

homines Deum adorare, quid audiunt? Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quapropter si ei fit homo similis quem adorat, quid est: [*Potens est Deus de lapidibus isti suscitare filios Abrahæ?*] Nosipsos interrogemus, & videamus quia factum est: nos enim de Gentibus venimus. De gentibus autē non veniremus nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abrahæ. Facti sumus filij Abrahæ imitando fidē, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando, exhæredati: sic nos imitando, adoptati. Ostendit ergo sic istos esse amputandos, si non fecerint fructū: vt non desit numerus, qui promissus est Abrahæ. [*Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructū bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*] Hęc sentētia euidenter ostendit, quia nō solum malum fecisse, sed etiam bonum non egisse, damnabile erit. Et ideo quantū possumus fruct⁹ iustitiæ studeamus afferre. De his itaque fructibus superius ait: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quisquis itaque istos fructus non fecerit, sine causa putat per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorū. Qui sint autem isti fructus, ipse consequenter ostendit, [*Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?*] Id est, Qui sunt isti fructus, quos vt faciamus hortaris & terres? [*Respondens autem, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.*] Quid manifestius fratres mei? Quid certius? Quid expressius? Quid ergo aliud sonat ꝙ superius ait: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: nisi, quod sinistri audituri sunt, Ite in ignem æternum: Esuriui enim, & nō dedisti mihi manducare? Parum est itaq; recedere à peccatis, si prętęrita curare neglexeris: sicut scriptū est,

Matt. 5.

Tomo. 7. De correp. & grat. cap. 13.

Tomo. 10. Quinquag. homil. Hom. 16.

Tomo. 10. De Tempore Sermone. 50.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 50.

Matt. 25.

Eccl. 21. Fili peccasti, ne adijcias iterum. Et ne hoc solo securum se esse putaret: Et de pristinis (inquit) deprecare, vt tibi dimittantur. Sed quid proderit deprecari, si te non dignũ feceris exaudiri, non faciendo dignos fructus pœnitentię, vt tanquã sterilis arbor excidaris, & in ignẽ mittaris? Si ergo exaudiri vultis cũ deprecamini pro peccatis vestris: Dimittite,

Luc. 6. & dimittetur vobis. [*Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad illos: Nihil amplius quã constitutũ est vobis: faciatis.*]

Tomo. 10. De verbis Domini. Ser. 19. Honesta plane Publicanorũ interrogatio, ac sancti Prophetæ iusta responsio. Illi enim solicitè interrogant, ne aut ignorãtes, plus exigẽdo in peccatum incidant: aut cessantes, publicã decipiant functionem. Hic autem moderatè pręcepit, vt & iniquitas locũ non habeat, & constitutũ habeat vectigal effectũ. Non enim dixit: Nihil exigatis, sed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus q apud Deũ non tam exactio, quàm exactio iniqua damnetur. Dicit

Matt. 22. enim ipse Dominus: Reddite quæ Dei sunt, Deo: Et quæ Cęsaris sunt, Cęsari. Igitur q Cæsar præcipit ferẽdum est, q Imperator indicit tolerandũ est: sed sit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. [*Interrogabãt autem eũ & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis.*]

Tomo. 6. Con. faust. lib. 22. cap. 74. Nõ dixit, Arma abijcite, militiã istam deserite: neminẽ percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cũ hæc militando facerent, nõ esse homicidas, sed ministros Legis: & nõ vltores iniuriarũ suarum, sed salutis publicæ defensores, Respondit eis: Neminem cõcutiatis, neque calumniam faciatis [*& contenti estote stipendijs vestris.*]

Tomo. 2. Episto. 5. Ad. Marcellinum. Quibus proprium stipendiũ sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. [*Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne,*

ne forte

ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni] O fidelis testis & amice veri sponsi, quantũ te humiliauisses, si ad corrigiam calcia̅mẽti eius soluendam dignũ te esse dixisses: Sed dũ hoc non te dignũ dicis, Iudæis falsis cõtradicis. *[Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreũ suum, paleas autem comburet igni inextinguibili]* Quãdo per iudicium iustũ, segregabit iustos ab iniustis, bonos à malis, rectos à peruersis: bonos cõstituet à dextris, malos à sinistris: & ex eius ore iusti æternique iudicij sempiterna atq; incõmutabili prolata sentẽtia, iniqui omnes ibunt in combustionẽ æternam, iusti autẽ in vitam æternam: Iniqui semper arsuri cũ diabolo, Iusti autem regnaturi sine fine cum Christo. *[Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Herodes autem Tetrarcha cũ corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit et hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.]* Euãgelista hoc præoccupasse intelligitur, ex occasione vt ibi narraret, quod multo post factum est. Cùm enim cõmemorasset Ioannis verba de Domino, ꝙ ventilabrũ in manu eius, & mundabit areã suam, frumenta recõdet in horreum suũ, paleas autẽ comburet igni inextinguibili: continuò subiecit, ꝙ non continuò factũ esse, Ioannes Euangelista apertissimè exponit: cũ commemorat, posteaquã baptizatus est Iesus isse illũ in Galilæã quando fecit de aqua vinũ: & inde post paucorum dierũ in Capharnaũ habitationem, redijsse ad Iudæã terram, & baptizasse multos circa Iordanem, antequã missus esset Ioannes in carcerẽ. Quis autẽ non putet (nisi qui in his litteris minus eruditus est) tanquã post illa verba de vẽtilabro & area

Tomo. 6. Cont. Iud. Paga. & Arria. cap. 14.

Tomo. 3. De fide ad Petr. Diac. capit. 43. Matt. 25.

Tomo. 4. De cõsens Euangelist Lib. 2. cap. 44.

Ioan. 1. 2. & 3.

area mundata, cõtinuo sic à Ioãne sit offensus Herodes, vt eum in carcerem miserit? Nõ autem hoc ordine ista narrata quo gesta sunt, & hoc ipso loco, non quilibet alius, sed idem Lucas hoc probat. Si enim post verba illa cõtinuò Ioannes in carcerẽ missus est: quomodo post istã cõmemorationem Ioannis in carcerem missi, baptizatus est Iesus; secũdum ipsius Lucæ narrationẽ? Proinde manifestum, est ex occasione recordatũ præoccupasse, & ante multa, quæ priusquã Ioanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc præoccupatum in sua narratione præmisisse. [*Factum est autem cũ baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, aperiũ est cœlũ, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut colũba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.*] Dominus Iesus tricesimũ annum agens ad Iordanem venit, & ab Ioãne (de quo supra diximus) Zachariæ filio, qui tunc populũ, in eum crediturũ qui vẽturus erat, baptizabat, & ipse baptismũ ab agnoscẽte suscepit, & ille confitendũ vnda Iordanis lauabat. In specie colũbæ spiritus sanctus super eũ descẽdit, & Patrẽ de cœlis loquentẽ de se audiuit: Hic est filius meus dilectus, in quo sibi anima mea benè cóplacuit. Cum his signis cœlũ apertum vidit, & ita baptizatus de fluminis lauacro ascẽdit. Ad baptismum verò descẽdit Dominus Iesus, non quod baptismi sacramento egeret, (qui proprij aut originalis peccati nullã culpam haberet) sed vt aquas (quas, quamuis in delicto Adæ Deus nõ maledixerat) terrę qua continebãtur maledictione infectas, purgaret: Et ne quisquã Baptismi sacramentũ negligeret, dum qui sine peccato fuerat, baptismi aquas iniuit: Et ne quisquam ab inferiori baptizari paruipenderet, dũ Deus Dominus à seruo suo mergi vndis baptismi appeteret. Et quatenus adhuc à diabolo

Tomo.3. De Mirabil. sacræ scrip li.3.cap.5.

Matt.3.

Genes.3.

diabolo se, donec tẽtatio perficeretur, occultaret: qui illũ, velut lauacro indigentẽ, inter pollutos pec caminibus, ablui aquis conspiceret. Spiritum vero sanctum super se in baptismo descẽdentẽ vidit, & *Matt.3.*
vocem Patris de cœlo se confitentẽ filium suũ esse, audiuit, & cœlũ corá se apertum conspexit: Non quod ante baptismũ suũ hæc omnia Dei filius non haberet, sed vt baptismi sacramentũ quid valeat, ostenderet. Non enim tunc Spiritũ ille cœpit accipere, qui eandẽ cum spiritu sancto substantiã habere creditur: Nec tunc Pater illũ filiũ professus est esse, cui dixit: Ex vtero ante luciferũ genui te: ãte, videlicet, omnẽ Angelicã creaturã, quã Luciferi ap *Psal.109.*
pellatione per scripturas sæpe tenet. Neque tũc illi cœperat aperiri thalamus cœlorũ, qui ait: Cœlum *Isai.66.*
mihi sedes est, terra autẽ scabellũ pedũ meorum. Sed idcirco hæc sancta Trinitas in baptismo Domini cõgessit, vt sciret vnusquisq; quid muneris in sacri baptismatis mysterio, suscepit. Tũc enim Spiritum, quisq; peccatorũ sordibus ablutus, accipit: & à Deo Patre profiteri filius adoptionis gratia, incipit: & tunc sibi regni cœlorũ ianuã aperiri, & ciuem cœlestis patrię Angelorũ consors, intelligit. Quãuis vérò corporali specie Spiritus sanctus super Dominũ descẽdere dicitur, nõ tamẽ de auibus sumpsisse columbã, sed ex aere minime dubitatur. Nequaquã enim ex auibus Spiritũ sanctum necesse fuit corpus assumere: dum aues sibi connexæ in nullo trãsgressæ sunt legem naturæ: sed si in aliquo transgrederẽtur, in hoc tãti meriti transgredi non haberent, vtpote nec æterna nec rationabili creatura, vt à Spiritu assumptione carnis à delictis soluerẽtur. Sed quod filij persona corpore carnis humanæ induebatur, cõueniens erat vt Spiritus sancti persona per corporalem speciẽ super eum descenderet

cenderet & vox Patris corporalis de nube per aëra corporeis auribus audiretur. Præterea quoq; ideirco in nube & colũbæ imagine Pater & Spirit⁹ sanctus ad baptismũ veniunt, quoniã aquaticę naturæ res illę aliquid habuerũt. Dũ enim in terra filius ad baptismi mysteriũ aquæ creaturã elegisset, necesse fuit vt & Pater per aquaticã nubẽ intonaret & Spi-

Gene. 1. ritus sanctus illud corpus, ꝙ de aqua in principio factum est, ex illa nube acceptũ simularet: vt sic to-

Tomo 9. Expos. in Euang. Ioann. Tractatu. 6. ta Trinitas eandem voluntatẽ, sicut haberet, ostẽderet. Apparuit enim manifestissima Trinitas: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in columba. [*Tu es filius meus dilectus, &c.*] Tantùm va-

Tomo 4. De Cons. Euãgelist. lib. 2. capite. 14. let, ac si illis diceretur: Hic est filius meus. Nõ enim Christo indicabatur quod sciebat, sed audiebant qui aderant, propter quos etiã ipsa vox facta est. [*In te complacuit mihi*] Tanquã diceretur: In te placitum meũ constitui: hoc est, per te gerere, quod mihi placet. Illud verò quod nonnulli codices habent secundũ Lucam, hoc illa voce sonuisse, quod

Psalm. 2. in Psalmo scriptũ est: Filius meus es tu, ego hodie genui te: quãquã in antiquioribus codicibus Græcis non inueniri perhibeatur: tamẽ si aliquibus fide dignis exẽplaribus confirmari possit, quid aliud

Tomo. 9. De cognit. veræ vitæ capite. 18. quã vtrunque intelligẽdũ est quolibet verborũ ordine de cœlo sonuisse. [*Obserua.*] Sancti Spiritus substantia non in columbã est transmutata, sicut nec verbi in carnem est trãsformata: Sed Spiritus sanct. colũbę corpus cõdidit, in quo se ad horã per

† per † super corp⁹ sibi inseparabiliter vnitũ, ad testimoniũ hominib⁹, visibilẽ præbuit: Ipse verò inuisibilis in essentia Patris & verbi inseparabiliter man-

Tomo. 4. Quæst 3. Quæst. 43. sit. Quare filius Dei in homine apparuit, & Spiritus sanctus in colũba? Quia, ille venit vt exemplũ viuẽdi demõstraret hominibus: Iste, vt donum ip-

sum

sum ad quod benè viuẽdo peruenitur significaret, apparuit. Vtrunque autẽ visibiliter factũ est, propter carnales, ab his quæ oculis corporeis cernũtur, ad ea quæ mente intelliguntur sacramẽtorũ gradibus transferendos. Nam & verba sonant, & transeunt: nec tamen ea quæ verbis significantur, cum aliquid Diuinum atque Eternum loquendo exponitur, similiter transeunt. Illud autem quod filius Dei in baptismo audit misterij, non sua causa est: nam hoc omnibus audit qui baptizantur. Ipse autem demonstratur tantummodo, vt ex hoc appareat in homine virtutibus Deus: Cæteri verò firmantur, quia ex hoc incipiunt esse filij Dei cùm sanctum accipiunt Spiritum. Quamuis enim sanctum natũ sit corpus Domini, nõ tamẽ sacramẽto regenerationis firmatus fuerat homo Christus esse filius Dei, nisi Spiritũ sanctũ accepisset iuxta decretũ renascibilitatis donũ. Nã & Iudęi filij Dei dicti sunt in deuotione, nõ in sacramẽto, quod nũc operatur, vt accepta remissione peccatorũ superueniẽte Sãcto Spiritu dicãtur filij Dei. [*Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorũ triginta, vt putabatur filius Ioseph:*] Propter illos dixit, qui eũ ex Ioseph (sicut alij homines nascuntur) natũ arbitrantur. [*qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Iãne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahũ, qui fuit Hesli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda. qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosãm, qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthath, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda. qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Heliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmõ, qui fuit Nahasõ, qui fuit*

Tomo. 4. Quest. vet. & Noui Test. Quest. 54.

Tomo. 4. De Cons. Euang. lib. 2. capite. 1.

fuit Aminadab, qui fuit Aran, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phalech, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam,

Tomo. 4. *qui fuit Dei.*] Lucas Euangelista quoniam generati-
Octoginta onem Domini quæ secundum carnem est, sed in
trium Sacerdotali persona explicandā suscepit, ad quam
Quest. in personam pertinet mundatio & abolitio pecca-
Quest 61 torum: non à principio libri (sicut Matthæus) sed
Matt. 1. ab illo loco vbi baptizatus est Iesus, vbi peccatorū nostrorum mundationem præfigurauit, incipit parentum eius originem gradatim persequi, neque deorsum versus, sicut illi que eum ad susceptionem peccatorum tanquam descendentem ostendebat, sed sursum versus, tanquam is qui eum post abolitionem peccatorum, tanquam ascendentem insinuabat. Nec eos parentes quos ille nominans. Alia enim erat origo Sacerdotalis, quæ per vnum ex filijs Dauid (sicuti assolet) de tribu sacerdotali matrimonium sortientem, effecerat, vt Maria de vtraque tribu, id est, de Regia & Sacerdotali cognatio
Luc. 2. nem duceret. Nam & quando censiti sunt Ioseph & Maria, scriptum est eos fuisse de domo, id est, de
Luc. 1. genere Dauid. Et Elizabeth quæ nihilominus cognata Mariæ describitur, erat de Tribu sacerdotali. Sicut autem Matthæus, qui tanquam descendentē
Matt. 1. ad suscipienda peccata nostra Regem Christum in
2 Reg. 11. sinuans, per Salomonem à Dauid descendit, quia
& 12. Salomō de illa in qua Dauid peccauerat natus est. Ita Lucas, qui tanquam ascendentem post aboli-
2. Reg. 12. tionem peccatorum Sacerdotem Christum insinuat, per Nathan ascendit ad dauid: quia Nathan

Propheta

Propheta missus fuerat, cuius correptione Dauid ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetrauit. Itaque posteaquam transijt Lucas personam Dauid, non dissonat à Matthæo in omnibus † generatorum. Nam eos nominat ascendens à Dauid vsque ad Abraham, quos ille descendens ab Abrahā vsque ad Dauid. A Dauid enim in duas familias, Regiā & Sacerdotalē, origo illa distributa est: quarū duarū familiarū (sicut dictum est) Regiā descēdens Matthæus, Sacerdotalē ascēdens Lucas sequutus est: vt Domin⁹ noster Iesus Christus, Rex & Sacerdos noster, & cognationē duceret de stirpe Sacerdotali, hoc est, de Tribu Leui, sed esset de tribu Iuda, hoc est, de tribu Dauid, ex qua tribu nemo intendit altari. Ideo & filius Dauid maximè dicitur secundum carnē, quia & Lucas ascendens, & Matthæus descēdens, in Dauid sibi obuiam facti sunt. Oportebat enim vt euacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aarō in Leuitico sacerdotio fiebant, nō esse de tribu Leui, ne ad ipsam tribum, & ad ipsum sacerdotium (quod tēporàliter vmbra erat futuri) pertinere videretur mūdatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui (quod in veteri sacerdotio figurabatur) impleuit: & holocausti eius imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, vt esset Sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundū ordinem Melchisedech. Lucas ergo non ab initio Euāgelij sui, sed à baptismo Christi generationes narrat, nec descendendo, sed ascendendo tanquā sacerdotem in expiandis peccatis, magis assignās vbi eum vox de cœlo declarauit, vbi testimonium ipse perhibuit Ioannes, dicens: Ecce qui tollit peccata mundi. Ascēdendo autem transit ad Abrahā, & peruenit ad Deū, cui

† generationū *Matt.1.*

Hebr.7.

Psal.109.

Tomo.4. De cons. Euang. Libr.2. Capite.4.

Ioan.1.

mundati & expiati reconciliamur: Meritò & adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei, credendo in filium Dei: Per carnalem verò generationem filius Dei potius propter nos filius hominis factus est. Satis autem demonstrauit non se ideo dixisse [*Ioseph filium Heli*], quod de illo genitus, sed quod ab illo fuerit adoptatus: cùm & ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit

Gene. 1.2. & 3. factus à Deo, sed per gratiam, quã postea peccando amisit, tanquã filius in paradiso constitutus sit.

Matt. 1. Quapropter in generationibus Matthæi, significatur nostrorum susceptio peccatorum à Domino Christo: In generationibus autem Lucæ, significatur abolitio nostrorum peccatorum à Domino Christo. Ideo eas ille descendẽs enarrat, iste ascendens.

Roma. 8. Ibidem Quod enim dicit Apostolus: Misit Deus filiũ suum in similitudinem carnis peccati, hæc est susceptio peccatorum.

Matth. 1. 2. Reg. 11. Quod autem addit: vt de peccato damnaret peccatum in carne: hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus ab ipso Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit.

2. Reg. 12. Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiauit. Ipse quoque numerus quem Lucas exequitur, certissimè prorsus abolitionem indicat peccatorum. Quia enim Christi aliqua iniquitas, qui nullam habuit, non est vtique coniuncta iniquitatibus hominum, quas in sua carne suscepit:

Matth. 1. ideo numerus penes Matthæum, excepto Christo, est quadragenarius. Quia verò iustitiæ suæ Patrisque nos expiatos ab omni peccato purgatosque

1. Cor. 6. coniungit, vt fiat quod ait Apostolus: Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est: ideo & in eo numero qui est penes Lucam, & ipse Christus à quo incipit enumeratio, & Deus ad quem peruenit,

comme-

commemorantur, & fit numerus septuaginta septem: quo significatur omnium prorsus remissio & abolitio peccatorum. Quam etiam ipse Dominus per huius numeri mysterium euidenter expressit, dicens, remittendum esse peccatum, non solum septies, sed etiam septuagies septies. Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentiùs inquiratur. Denarius quippe, tanquam iustitiæ numerus, in decem præceptis Legis ostenditur. Porro peccatum est Legis transgressio: Et vtique transgressio denarij numeri congruenter vndenario figuratur: vnde & vela cilicina iubentur in Tabernaculo vndecim fieri. Quis autem dubitet ad peccati significationem cilitiũ pertinere? Ac per hoc quia vniuersum tempus septenario dierũ numero voluitur, cõuenienter vndenario septies multiplicato ad numerũ septuagesimum & septimum cũcta peccata perueniũt. In quo numero etiã fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne Sacerdotis nostri, à quo nũc iste numerus incipit, & recõciliante nos Deo, ad quẽ nunc iste numerus peruenit, per Spiritum sanctũ qui in colũbæ specie in hoc baptismo, vbi numerus iste cõmemoratur, apparuit. Non absurdè quæstio proponitur, quomodo potuerit duos patres habere Ioseph: Nam Matthæus eũ dicit genitum ab eo qui vocabatur Iacob, Lucas verò filium esse dicit eius qui vocabatur Heli. Neque hoc loco illud dici potest, quod vnus homo (sicut non solum apud Gentes, sed etiam apud Iudæos accidere solere manifestum est) duo nomina habuerit. Cætera enim serie generationum, qui hoc putat, facile refellitur: Quid enim de Auis, Atauis, Proauis, cæterisque maioribus dicturus est, quorum diuersa nomina singuli Euangelistæ in sua quis-

Matth. 18.
Exod. 26.
Matth. 3.
Tomo. 4. Quæstion. Euangel. Lib. 2. Cap. 5.

que narratione contexuerunt? Quid postremo de ipso numero, quandoquidem Lucas à Domino vsq; ad Dauid quadraginta tres generationes enu-
Matth.1. merat. Matthæus autē à Dauid vsque ad Dominum viginti octo, vel viginti septem? Certi enim sacramenti gratia vsque ad transmigrationē, & ab ipsa item transmigratione vnus bis numeratur. Querendum igitur quomodo duos patres potuerit habe-
1. re Ioseph. Et mihi quidem in presentiarū tres causæ occurrunt, quarum aliquam Euāgelista sequu-
Deut. 25. tus sit: Aut enim vnus erat Ioseph naturalis pater,
2. & alter eum adoptauerat. Aut more Iudęorū cùm sine filijs vnus decessisset, vxorem eius propinquus accipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputauit: vt cū ab altero alteri genitus esset Ioseph, conuenienter duos patres habere diceretur.
3. Aut vnus Euāgelista patrem eius à quo genitus est nominauit: alter vero vel auū maternum, vel aliquem de cognatis maioribus posuit, cui propter cōsanguinitatis vinculum in filij loco Ioseph non absurde constitueretur: vt inde iam vsq; ad Dauid
Matth.1. non eundem quem Matthęus generationum ordinem texeret. In quibus causis illa videtur infirma, quam secundo loco posuimus: quia cum quisque apud Iudæos defuncto fratri vel propinquo prolem de vxore exuscitat, illud quod nascitur, Hoc non est verum. Nomen enim defuncti, quod dictum est, ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, non ad hoc quod ille vocaretur, nomen
Part. 8. secund. lib. Retract. Vide ibidē plura. defuncti solet accipere. Ergo aut adoptio soluit istam questionem, aut origo maiorum, aut aliqua causa quæ nobis in presenti non occurrit. Quapropter tanta est eorum dementia, qui facile dila-
Cap. 7. 12. & 16. buntur ad Euangelistarum aliquem de mendatio criminandum, quam causas querant, cur diuerso-

rum

rum patrum nomina singuli commemorauerint: vt temerè dicatur duas solas esse causas quibus id rectè fieri potuerit, cùm tamen ad soluēdam questionem vel vnam inuenire sufficiat. [*Alia solutio.*] Quos autem mouet quod alios progenitores Matthæus enumerat, descendens à Dauid vsque ad Ioseph: alios autem Lucas ascendens à Ioseph vsque ad Dauid, facile est vt aduertant, duos patres habere potuisse Ioseph, vnum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, vt sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Nam excepto quod filia Pharaonis Moysen adoptauerat (illa quippe alienigena fuit) Ipse Iacob nepotes suos ex Ioseph natos, verbis manifestissimis adoptauit, dicens: Nunc itaque filij tui duo, qui nati sunt tibi, priusquam ad te venirem, mei sunt, Ephraim & Manasses, tanquam Ruben & Simeon erunt mihi. Natos autem si genueris postea, tibi erunt. Vnde etiam factum est, vt duodecim tribus essent Israëlis, excepta Tribu Leui, quæ Templo seruiebat: cùm ea quippe tredecim fuerunt, cùm duodecim fuissent filij Iacob. Vnde intelligitur Lucas patrem Ioseph, non à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus suscepisse in Euāgelio suo, cuius progenitores sursum versus commemorat donec exiret ad Dauid. Cùm enim necesse sit (vtroq; Euāgelista vera narrante, & Matthęo scilicet & Luca) vt vnus eorū eius patris originem teneret qui genuerat, alter eius qui adoptauerat Ioseph: quē probabilius intelligimus adoptantis originē tenuisse, quā eum qui noluit Ioseph genitum dicere ab illo cuius eū filiū esse narrabat? Cómodius enim filius eius dictus est, à quo fuerat adoptatus: quā diceretur ab illo genitus, cuius carne nó erat natus. Matthæus

Tomo. 4. De cōsens. Euāgelist. Lib. 2. Cap. 3.

Exod. 2.

Gene. 48.

Num. 1.

Matth. 1.

thæus autem dicens: Abraham genuit Iſaac, Iſaac
genuit Iacob: atque ita in hoc verbo quod eſt, genuit,
perſeuerans, donec in vltimo diceret, Iacob
autem genuit Ioſeph: ſatis expreſſit ad eum patrẽ
ſe perduxiſſe originem generantium à quo Ioſeph
non adoptatus, ſed genitus erat. Quanquam ſi etiam
Lucas genitũ diceret Ioſeph ab Heli, nec ſic
nos hoc verbum perturbare deberet, vt aliud crederemus
quàm ab vno Euangeliſta gignentem, ab
altero adoptantem patrem fuiſſe commemoratũ.
Neque enim abſurdè quiſque dicitur, non carne,
ſed charitate genuiſſe, quem filium ſibi adoptauerit.
Ioan. 1. At verò etiam nos, quibus dedit Deus poteſtatem
filios Dei fieri, de natura atque ſubſtantia ſua
nos non genuit, ſicut vnicum filium: ſed vtique di
Rom. 8. lectione adoptauit. Quo verbo Apoſtolus ſæpe vti
non ob aliud intelligitur, niſi ad diſcernendum vnigenitum
ante omnem creaturam, per quem facta
ſunt omnia, qui ſolus de ſubſtantia patris natus
eſt ſecundùm æqualitatem Diuinitatis hoc omnino
quod Pater: quem miſſum dicit ad ſuſcipiendam
carnem ex illo genere quo & nos ſecundùm
naturam noſtram ſumus: vt illo participante mortalitatem
noſtram per dilectionem, nos efficeret
participes Diuinitatis ſuæ per adoptionẽ. Ita enim
Galat. 4. dicit: Cùm autem venit plenitudo temporis, miſit
Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub
Lege; vt eos qui ſub Lege erant redimeret, vt adoptionem
Ioan. 1. filiorum reciperemus. Et tamen dicimur
etiam nati ex Deo, id eſt, accepta poteſtate vt filij
eius efficiamur, qui iam homines eramus. Efficimur
autem per gratiam, non per naturam: Nam ſi per
naturam filij eſſemus, nunquam aliud fuiſſemus.
Ioan. 1. Cùm enim dixiſſet Ioannes: dedit eis poteſtatem
filios Dei fieri ijs qui credunt in nomine eius, ſecu-
tus

tus ait: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Ita quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod illa adoptio significat, quam Paulus cõmemorat; eosdem dixit natos ex Deo. Atque vt apertiùs ostenderet qua gratia factum sit: Et verbũ, inquit, caro factũ est, & habitauit in nobis. Tanquã diceret: Quid mirum si filij Dei facti sunt cum caro essent, propter quos vnicus caro factus est cum verbum esset? Hæc sanè magna distantia, quia nos effecti filij Dei, mutamur in melius: ille autem filius Dei cùm filius hominis factus esset, non est mutatus in deterius, sed assumpsit quod erat inferius. Dicit & Iacobus. Volũtariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Ne scilicet, in eo quod ait, genuit, hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum quendam in creatura nobis hac adoptione concessum, satis ostendit. Non ergo alienum esset à veritate, etiã si Lucas ab illo esse Ioseph genitũ diceret, à quo fuerat adoptat⁹. Etiã sic quippe genuit eũ, nõ vt homo esset, sed vt filius esset: sicut nos genuit Deus, vt filij eius simus, quos fecerat vt homines essem⁹. Vnicũ aũt genuit nõ solũ vt filius esset, quod pater nõ est: Sed etiã vt et Deus esset ꝙ & pater est. Sed planè si hoc verbo etiã Lucas vteretur, õnimodo esset ambiguũ, quis eorũ adoptantẽ, quis ex propria carne gignentẽ patrẽ cõmemorasset: quomodo & si neuter eorũ diceret, genuit, sed iste eum filium illius, & ille illius diceret, nihilominus esset ambiguum, quis illorum illum de quo natus, quis illum à quo adoptatus erat, commemorasset. Nunc verò cùm alter dicit, Iacob genuit Ioseph: alter, Ioseph qui fuit filius Heli, etiam ipsa verborum differentia, quid singuli suscepissent, eleganter intimauerunt.

Rom. 8. *Ioan. 1.* *Iacob. 1.* *Matth. 1.*

Tomo 4. Question. Euangel. Libr. 2. cap. 6. [*Qui fuit Adam, qui fuit Dei.*] Quid sibi velit quod septuaginta septem personæ secundum generationes quas Lucas sequutus est, inueniuntur, quæri potest. Nam & huius numeri mentionem Dominus fecit cùm eum Petrus de demittendis peccatis fratris interrogasset. Ait enim: Non solum septies, sed septuagies septies esse dimittendũ. Vnde rectè creditur commemoratione huius numeri, omnia peccata iussisse dimitti; quandoquidem ipse, per quem peccata omnia dimissa sunt, septuagesima & septima generatione, secundũ Euãgelistæ memorati testimonium, ad homines humaniter venire dignatus est. Conuenientissimè autem, cùm sit etiam alia series generationum quã Matthæus explicat, hanc ille tenuit qui baptizato Domino generationes ipsas per septuaginta septẽ personas sursum versus enumerat. Nam & reditus est & tanquam ascensus ad Deum, cui post peccatorum abolitionem reconciliamur expressius, cum sursum versus per illas generationes ascenditur. Et vtique per baptismum fit omnium remissio peccatorum, quæ illo numero significatur. Non enim in baptismo Domini, ipsi Domino peccata dimissa sunt: sed ipsa remissio peccatorum omniũ, quæ misericordia eius & potestate donata est hominibus, per illud baptismum Domini, & per illum nemerum generationum consecrata atque signata est. Nec temerè Dominus & frustra septuagesima & septima generatione venit abolitürus omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet quod ad significationem pertineat omnium peccatorum. Hoc autem in vndenario & septenario considerandũ est: Qui numeri per se multiplicati, ad tantum perueniunt. Nam vndecies septem, vel septies vndeni, septuaginta & septem fiunt. Vnde-

Matth. 18.

Matth. 1.

cim autem transgressionem Denarij significant. At si in denario perfectio beatitudinis significatur. Vnde est etiam illud, quod omnes cõducti ad vineam denario remunerantur, quod fit cum septenaria creatura trinitati creatoris adiungitur. Manifestum est quod transgressio denarij peccatum significat, per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionẽque amittentis. Hoc autem septies propterea dicitur, vt motu hominis facta significetur illa transgressio: Ternario enim numero incorporea pars hominis significatur. Vnde est ꝙ ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere iubemur Deum. Quaternario vero corpus. Multis enim modis quadripartita inuenitur natura corporis. Ex his ergo coniunctis homo constans, non absurdè septenario numero significatur. Motus autẽ in numeris nõ exprimitur, cũ dicimus: vnũ, duo, tria, quatuor, &c. sed cùm dicimus, semel, bis, ter, quater: Quapropter, vt dixi, non septem & vndecim, sed septies vndecim significant transgressionem, quæ motu facta est hominis peccantis, hoc est, perfectionis suæ statum transgredientis cupiditate amplius aliquid habendi: vt tanto post per Prophetam animæ diceretur: Sperabas si à me discessisses aliquid amplius te habituram: Ex quo initio superbiæ, omnia peccata succrescunt: quæ cùm dimittuntur, septuagies septies ignoscendum esse admouemur, vt intelligamus nullum peccatum excipi quod pœnitenti & veniam deprecanti per Ecclesiam (cuius personam Petrus gestat) non dimittatur.

Matt. 20. *Genes. 3.* *Deut. 6.* *Genesis. 3.*

CAPITIS QVARTI ARGVMENTVM.

Iesus in deserto ieiunans, tentatur & vincit, reuersus autem Nazareth in synagoga docet, vnde fugatus in Capharnaum dæmoniacum, socrum Petri, & plerosque alios curat.

CAPVT QVARTVM.

Tomo.3. De Mirab. Sacr. scrip. Lib.3. Cap.6. DVm de aqua Dominus Iesus baptizatus confestim ascendit, vt diabolo daret occasionem tentandi, auia deserti petiuit: vbi & quadraginta dies & totidē noctes, nullo humani pastus suffragio fultus, ieiunauit. *Genesis.3.* Ibique per tria est tentatus, in quibus primus homo seductus est, tentantemq; Satanam tribus responsionibus vicit. Zequitur enim. [*Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane: & agebatur in Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo,*]

Tomo.8. Psal.60. Prorsus Christus tentabatur à diabolo. In Christo enim tu tentabaris: quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem: De te sibi mortem, de se tibi vitam: De te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tētati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se diabolum prohibere: sed si nō tentaretur,

tibi tentando vincendi magisterium nó præberet. *Tomo.3.*
[*Et nihil manducauit in diebus illis, & consummatis illis, esuriit.*] *De Mirab.*
Quadraginta dierum inediam Domini incarnatio *Sac. script.*
sustinere sine vitæ periculo poterat: quoniam ser- *Libr.3.*
mo Dominicus qui Moysen per aëra per quadra- *Cap.6.*
ginta dies bis renouauerat, hic Christi, artus & *Exod.24.*
neruos intus irrigabat. Quare igitur consumma- *Exod.34.*
tis quadraginta diebus & quadraginta noctibus
Dominus Iesus esurire describitur: cùm Moyses *3.Reg.19.*
& Helias tanti temporis spatio per ieiunium famē
pati non memorantur? Famem verò & laborem
Redemptor noster, consummato tāto dierum nu-
mero, sustinet: quatenus & tentatori occasionem
afferret, & nosceretur quam veram carnis huma-
næ substantiam gestaret. Vnde non extra humanū
opus & in hoc ieiunio aliquid egit noui, dum tem
poris, quod prius homines ieiunauerunt, spacium
non excessit. Esuriuit ergo, quia & hoc dignatus *Tomo. 10.*
est, quia & hoc ad humilitatem pertinuit. Esuriuit *De Verbis*
panis, sicut defecit via, sicut vulnerata est sanitas, *Domini*
sicut mortua est vita. Esuriit, qui poterat & nun- *Serm.41.*
quam esurire. Sed quomodo tentaretur? Aut si ille *Ioan.6.*
non vinceret tentatorem, quomodo disceres tu cū *Ioan.14.*
tentatore pugnare? [*Obserua.*] Quadragesima sa- *Tomo.8.*
nè ieiuniorum habet autoritatem, & in veteribus *Psal.90.*
libris ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex Euangelio: *Tomo.2.*
quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demon- *Psal.119.*
strans Euangelium non dissentire à Lege & Pro- *Ad Inqui*
phetis. In persona quippe Moysi Lex, in persona *sitio. Ia-*
Heliæ prophetæ accipiūtur, Inter quos & in mō- *nuarij.*
te gloriosus apparuit: vt euidētius emineret quod *Lib.2.*
de illo Apostolus dicit: Testimonium habens à Le- *Cap.15.*
ge & Prophetis. In qua ergo parte anni congruen- *Matth.17.*
tius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi *Roman.3.*
confinis atque contigua Dominicæ passioni? Quia

in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circunspergere atque iactare non cessat. Vt ergo quadraginta illi dies ante Pascha obseruentur, Ecclesiæ consensio roborauit. [*Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat.*] Quid magnum erat Domino Iesu Christo de lapide panem facere, qui de quinq; panibus tot milia satiauit? De nihilo fecit panem. Tāta enim fuerat multitudo escę, quæ saturaret tot milia. Vnde processit? Fontes panes erant in manibus Domini. Non est mirum, nam ipse fecit de quinque panibus multos panes, vnde saturaret tot milia, qui facit quotidie in terra de paucis granis messes ingētes. Ipsa enim sunt miracula Domini, sed assiduitate viluerunt. Quid ergo fratres? Impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? Homines fecit de lapidibus, dicente ipso Ioanne baptista: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quare ergo nō fecit? vt te doceret respōdere tentatori, vt si forte in aliqua angustia positus fueris, & suggesserit tibi tentator: Si Christianus esses & ad Christum pertineres, desereret te modò? non † dedisset tibi auxilium? Et fortè adhuc medicus secat, & ideo deserit: Sed non deserit. Quomodo Paulum ipsum non exaudiuit? Nam dicit Paulus non se exauditum de stimulo carnis suę angelo satanæ, à quo colaphizari se dixit: Propter quod Dominum ter rogaui vt auferret eū à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Tanquam medico diceretur, posito fortè epithemate: molestum est mihi hoc emplastrum, rogo te, tolle illud. Et medicus: Non opus est, diu ibi sit, non enim aliter sanare poterit.

Margin notes: *Ibidem. Cap. 17.* — *Tomo. 8.* — *Psal. 90.* — *Matth. 14.* — *Ioan. 6.* — *Luc. 3.* — † misisset — *2. Cor. 12.*

Ægrotum nō exaudiuit medicus ad voluntatem, quia exaudiuit ad ſalutem. Ideoque fortes eſtote fratres, & quando aliqua inopia tentamini Deo flagellante & erudiente vos, quibus & parat & ſeruat æternā hereditatem, non vobis ſuggerat diabolus: Si iuſtus eſſes, nonnè tibi per coruum mitteret panem, quomodo miſit Heliæ? Vbi eſt quod legiſti: Nunquā vidi iuſtum derelictū, nec ſemen eius quærens panē? Tu reſponde diabolo, verum dicit ſcriptura: Nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem, &c. Habeo enim panem meū quem tu non noſti. Quē panem? Audi Dominum: [*Et reſpondit ad illum Ieſus,*] Reſpondit tentatori, docens te reſpondere tentatori. Ad hoc enim pugnat Imperator, vt milites diſcant. Quid reſpondit? [*Scriptum eſt, quia non in pane ſolo viuit homo, ſed in omni verbo Dei.*] Putâs ne verbum Dei non ſit panis? Si non eſſet panis, nō diceret verbum Dei, per quod facta ſunt omnia: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Didiciſti ergo quid reſpondeas tentatori in anguſtia famis. Non fecit de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere ſicut de aqua vinum: Eiuſdem enim potentiæ eſt facere de lapide panem. Sed nō fecit, vt voluntatē contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, niſi contemnatur. [*Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa. Tu ergo procidens ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia: Et reſpondens Ieſus, dixit illi: Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*] Deus igitur ſolus homini colendus eſt, qui ſolus eius eſt autor. Homo autem quilibet alius quanquā ſapientiſſimus & perfectiſſimus, vel prorſus quælibet anima rationis com-

3. Reg. 17. *Pſal. 36.* *Tomo. 10. De verb. Domini, Serm. 41.* *Tomo. 8. Pſal. 90.* *Ioan. 1.* *Ioan. 6.* *Tomo. 10. De verbis Domini, Serm. 41.* *Ioan. 2.* *Tomo. 1. De animæ quantit. Cap. 34.*

pos & beatissima, amanda tantūmodo & imitanda est, eique pro merito atq; ordine quod ei congruit deferendum. [*Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnā templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim: quod Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te, & quia in manibus tollent te, ne forte offendas*
Tomo.8. *ad lapidem pedem tuum.*] Quasi dicat: Si te miseris,
Psal.90. Angeli te suscipient. Et posset quidem fieri fratres, vt si se misisset Dominus, obsequia Angelorū susciperent carnem Domini. Sed quid illi ait? [*Et respondens Iesus, ait illi: Dictum est, Non tentabis Dominū Deum*
Tomo 8. *tuum.*] Hominem me putas. Ad hoc enim accessit
Psal.90. diabolus, vt tentaret vtrum filius Dei ipse esset, videbat carnem, sed maiestas in operibus apparebat: Angeli testimonium dixerunt. Ille videbat
Matth. 4. mortalem, vt tentaret, vt Christo tentato doceretur
Deut.6. Christianus. Quid ergo scriptum est? Non tentabis Dominū Deum tuum. Itaque non tentemus Dominū, vt dicamus: si ad te pertinemus, miracula faciamus. [*Summa.*] Dominici hominis tenta-
Tomo.8. tio tripartita est. Per cibum, id est, per cōcupiscen
Psalm. 8. tiam carnis, vbi suggeritur: Dic lapidibus istis vt
Matth. 4. panes fiant. Per inanem iactantiā, vbi eo in monte constituto, ostenduntur omnia regna huius terræ, & promittuntur, si adorauerit. Per curiositatem, vbi de pinna tēpli admonetur vt se deorsum mittat, tentandi gratia, vtrum ab Angelis suscipiatur.
Tomo. 1. At ille vnus & solus magister, ita domitā docuit
De vera esse oportere cupiditatē voluptatis, vt nec fami sit
Religio. cedendum. Sed forte dominationis tēporalis fastu
Cap.38. decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit.
Matth.23. Omnia ergo regna mundi mōstrata sunt ei, & di-
Matth. 4. ctum est: Omnia tibi dabo, si prostratus, adoraue-
Deut.6. ris me. Cui responsum est: Dominum Deum tuum
&.10. adorabis, et illi soli seruies. Ita calcata est superbia.

Subiecta

Subiecta est autem extrema curiositatis illecebra: Non enim vt se de fastigio templi præcipitaret vrgebat, nisi causa tantum aliquid experiendi. Sed neque hinc victus est: & ideo sic respōdit, vt intelligeremus nō opus esse ad Deum cognoscendum, tentationibus visibiliter Diuina explorare molientibus. Non tentabis (inquit) Dominum Deū tuum. *Deut. 6.*
Quamobrē quisquis intus verbo Dei pascitur, nō quærit in ista heremo voluptatem. Qui vni Deo tantùm subiectus est, non quærit in mōte, id est, in terrena elatione, iactantiā. Quisquis ęterno spectaculo incōmutabilis veritatis adhærescit, non per fastigiū huius corporis, id est, per hos oculos præcipitatur, vt temporalia & inferiora cognoscat.
[*Obserua.*] Arbitror causam hanc esse ieiunij, vt quia primus Adam in Paradiso cōstitutus per intemperantiam gulæ gloriā immortalitatis amiserat, eandē immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatū Dei gustans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc secundum mandatum Domini ieiunans, vitæ iustitiā mereretur. Hoc enim egit Saluator, vt eisdem vestigijs, quibus admissa fuerant delicta, purgētur. Hoc est: Quia Homo manducādo deliquerat, corrigat abstinendo: vel quia epulando mulierem cognouerat, vt eandem ieiunando despiciat. Adam enim Euā non nisi intemperantia prouocante cognouit. Quamdiu autem mansit in illis tēperata parcitas, mansit & impolluta virginitas. Et quādiu ieiunauerūt ab interdictis epulis, tādiu & à pudendis ieiunauerunt peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuiæ: saturitas verò castitatē prodit, nutrit illecebram. Igitur (sicut dixi) hoc egit Dominus, vt his pręiudicijs, quibus homo obnoxius pec

Tomo. 10. De Temp. Serm. 77. Genesis. 3. Gen. 2. & 3.

catis

catis fuerat, liberaretur. Propterea nanq; per om-
nia, secundum similitudinem Adæ nasci voluit
vt secundum similitudinem Adæ per omnia ho-
Genesis. 1. minis peccata dissolueret. Adam enim de terra
Matth. 1. virgine natus est, & Christ⁹ de Maria virgine pro-
creatus: Illius maternum solum necdum rastri
scissum fuerat: istius maternum secretū nunquam
Genesis. 1. concupiscētia violatum. Adam Dei manibus plas
Luc. 1. matur de limo: Christus Dei Spiritu formatur i
Luc. 3. vtero. Igitur oritur Deo patre, vterq; virgine vti
tur matre: vterque (sicut Euangelista dicit) filiu
Dei est: sed Adam creatura est, Dei filius Christu
vera substātia. Hoc ergo agit Dominus, sicut Ad
secundus, vt quod prior homo manducando per
Genes. 2. diderat, hic alter ieiunando recipiat: ac Legem i
paradiso abstinentiæ datam, in deserto custodia
Sciebat enim præceptum Dei non vnius loci Le
gem esse, sed mundi: Non enim interest, Diuinita
tis mandatū, vtrum domi an in agro custodias, c
vbique sit qui præcepit. In deserto itaque Salua
tor implet mādatum Dei, vt ibi Adam seruaret e
rātem, vbi fuerat de paradisi possessione proiectu
Genesis. 3. Adam enim expulsus de paradiso, inculti mun
deserta sustinuit. In deserto ergo primùm hom
nis salus refunditur, vbi desunt epulæ, vbi desu
delitiæ, vbi (quod est omniū malorum causa) de
& mulier. Poterat enim Adam inter illas paradi
delitias inconcussus stare, si Eua ibidem cum di
bolicis insidijs non fuisset. Conueniens ergo e
desertum saluti, vbi non est Eua quæ persuadea
Genesis. 3. non est mulier quæ blandiatur. Videte rem mir
Matth. 4. In paradiso cum Adam diabolus decertat, in d
serto cum Christo diabolus dimicat. Vbique in
diatur homini, vbique congreditur. Sed vbi mu
lierem inuenit, vincit: vbi mulierem nō inuener
vict

victus abscedit. Formam igitur nobis dedit Deus in hoc facto, vt ieiuniorum tempore, tanquã deserto habitantes, abstineamus epulis voluptatum, mulier nec coniungatur nobis Eua, ne nos à casta obseruatione illecebrosa persuasione subuertat. In deserto enim quodãmodo videtur habitare, qui quadragesimæ tempore ieiunus & castus est. Desertum planè quoddam ipsum corpus est Christiani, cùm non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arentis mediæ squalore negligitur. Desertum inquam, est corpus nostrum, cùm per dies aliqua abstinentia marcescit carnis species, colore neglecto, & contemptu rerum totius hominis species inculta sordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cùm terrã nostram fame squalidam, ac siti aridã esse repererit, secũdùm ꝙ ait Propheta Dauid: Sicut terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Aliter enim in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis delitijs, inuia inimicis concupiscentijs, & inaquosa libidinosis concupiscentijs & illecebris. Tunc habitans Saluator hoc desertũ corporis nostri, omnes ibi diabolicas factiones exuperat, & secretũ ac securum à cogitationibus seculi esse suũ facit habitaculum: vt deinceps nos intra nosmetipsos, velut in solitudine constituti, non nisi cœlũ respiciamus & terram: hoc est, Non cogitemus alium, nisi cœlestis regni Dominũ, & terrenæ resurrectionis actorem. [*Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.*] Quid est, ad tempus? Tanquã rediturus & tẽtaturus ianuam amoris, quia clausam inuenit ianuã cupiditatis. [*Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæã, & fama exijt per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogas eorum.*] Omnis cõgregatio ge-

Psalm. 62.

Tomo. 8. Psal. 72. 73.

nerali nomine Synagoga appellatur: & pecorũ &
hominũ potest dici cõgregatio. Sed propriè Syna
goga, dicta est cõgregatio populi Israel, ita vt vbi
cunq; audierimus Synagogã, nõ iã soleamus intel
ligere nisi populũ Iudæorũ. [*& magnificabatur ab om*
Psalm. 71. *nibus.*] Nõ faciendo vt magnus esset, qui per seip
sum magnus est: sed laudando & magnũ fatendo.
[*Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundũ con*
suetudinem suã die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere.]
Sabbatũ, requies est. [*& traditus est illi liber Isaiæ Pro*
37. *phetæ. Et vt reuoluit librũ inuenit locũ vbi scriptũ erat: Spiritu*
Tomo. 8. *Domini super me, propter quod vnxit me.*] Vnctus est Deu
Psal. 44. à Deo. Vnctũ audis, Christũ intellige: Etenim Chri
stus, à chrismate. Hoc nomẽ quod appellatur Christus
vnctionis est: nec in aliquo alibi vngebãtur Reges
& Sacerdotes, nisi in illo regno vbi Christus prophe
tabatur & vngebatur: & vnde venturũ erat Chri
sti nomen. Nusquã est alibi omnino, in nulla gen
te, in nullo regno. Vnctus est ergo Deus à Deo
Quo oleo, nisi spiritali? Oleum enim visibile in si
gno est, oleum inuisibile in sacramento est. Oleum
Ioannis. 1. spiritale intus est, oleũ visibile exterius est. Vnctus
est nobis Deus, & missus est nobis, & ipse Deus v
vngeretur homo erat: sed ita homo erat vt Deus
esset, ita Deus erat vt homo esse nõ dedignaretur
Verus homo, verus Deus: in nullo fallax, in nullo
falsus: quia vbique verax, vbique veritas. Deus er
go homo, & ideo vnctus Deus, quia homo Deus
& factus est Christus. [*Euãgelizare pauperibus misit me,*]
Psalm. 11. Hoc verbum, misit, ex persona Dei Patris accipien
dum est, qui propter inopes & pauperes, id est,
.131. inopia & paupertate bonorum spiritualium egen
.48. tes filium suum dignatus est mittere. Pauper De
Psal. 74. in animo est, nõ in seculo. Pauperes intellige hu
miles. [*sanare contritos corde,*] Tritura cordis pietas,

humilitas,

humilitas, qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, vt Deum habeat propitiũ. Se habeat Iudicem vt illũ habeat defensorem. [*prædicare captiuis remissionem,*] Tenebantur enim homines captiui sub diabolo, & dæmonibus seruiebant: sed redempti sunt à captiuitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere nõ potuerunt. Venit redemptor & dedit præciũ, fudit sanguinem suũ, emit orbẽ terrarum. Serm. 8. Psal. 95.
[*& cæcis visum.*] Cæcus propriè dicitur, qui veritatis lucem nõ videt. [*dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*] Serm. 10. De Temp. Serm. 154
Quatuor retributiones sunt. Aut enim mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignẽ æternum est retributurus impijs. Aut bona pro bonis, sicut regnum æternũ retributurus est iustis. Aut bona pro malis, sicut Christus per gratiã iustificat impium. Aut mala pro bonis, sicut Iudas & Iudæi per malitiam persequuti sunt Christum. Harum quatuor retributionũ, duæ priores pertinent ad iustitiam, vt retribuantur mala pro malis, bona pro bonis: Tertia pertinet ad misericordiã, vt retribuantur bona pro malis. Quartã Deus nescit, nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco posui, primitus necessaria est. Nisi enim Deus bona retribueret pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis. Vide illũ Saulum postea Paulum: Non ex operibus (inquit) iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundũ suam misericordiã saluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis. Et iterum: Qui prius fui blasphemus, & persequutor, & iniuriosus, sed misericordiã consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Et iterũ: consilium autem do tanquã misericordiã cõsecutus à Domino, vt † sim fidelis, hoc est, vt viuerẽ: Quia iustus ex fide viuit. Mortuus ergo erat prius per suã iniusti- Serm. 8. Psal. 118. Matth. 25. Roma. 4. Matth. 26 Actor. 13. Titum. 3. 1. Timot. 1. 1 Corin. 7. † essem Roman. 1.

Roma. 7. tiam, antequã viueret per Dei gratiã. Ipsam porro
sic suam mortem cõfitetur: Adueniente autẽ mandato (inquit) peccatũ reuixit, ego autem mortuus
sum: & inuentum est mihi mãdatum quod erat in
vitam, hoc esse in mortẽ. Retribuit ergo illi Deus
bonum pro malo, hoc est, vitã pro morte: talẽ scilicet retributionem, qualis poscitur, vbi dicitur:
Psal. 118. Retribue seruo tuo, vitã & custodiam verba tua.
Et vixit & custodiuit verba eius, & pertinere cœpit ad aliã retributionem, in qua retribuuntur bo-
2. Tim. 4. na pro bonis. Propter quã dicit: Bonum certamẽ
certaui, cursum consummaui, fidẽ seruaui: de cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet
mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Vtique iustus, retribuendo bona pro bonis: quia prius misericors, retribuendo bona pro malis: quamuis &
ipsa iustitia qua retribuuntur bona pro bonis, non
Psal. 102. est sine misericordia, quia & hoc scriptum est: Qui
coronat te in miseratione & misericordia. Qui e-
2. Tim. 4. nim dixit: Bonũ certamen certaui, quando vince-
1. Cor. 15. ret, nisi illo donante, de quo ait: Gratias ago Deo,
qui dat nobis victoriã per Dominum nostrum Ie-
2. Tim. 4. sum Christum? Et qui cursum cõsummauit, quando curreret, quando perueniret, nisi illo adiuuan-
Roma. 9. te, de quo ait: Igitur non volentis neque currẽtis,
sed miserentis est Dei? Et qui fidẽ seruauit, quando
2. Tim. 4. id faceret, nisi, vt ipse ait: Misericordiã consecutus
1. Cor. 7. vt fidelis esset? Nusquã ergo se extollat humana superbia, donis suis Deus retribuit bona præmia.
[Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad
Tomo. 8. *eos: quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.]*
Psal. 71. Omnes enim ꝓmissiones Dei in illo firmatæ sunt,
† quia † quãdo in illo impletum est, quicquid pro nostra
salute prophetatum est. Vnde & ipse in terram ve-
nit,

nit, vt ea cuncta firmaret, id est, in se mōstraret impleri. Oportebat (inquit) enim impleri omnia quæ *Luc. 24.*
scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me. [*Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?*] Ioseph, significat augmentum. Ioseph *Tomo. 8.*
ergo faber in terris, pater putabatur esse Domini *Psal. 79.*
Saluatoris: Nec ab hoc opere Deus, qui verè est pa- *Tomo. 10.*
ter Domini nostri Iesu Christi, excluditur. Nam & *De Temp.*
ipse faber. Ipse enim est artifex, qui huius mundi *Serm. 36.*
machinam, non solum mirabili, sed etiā ineffabili potētia, fabricauit. Tanquā sapiēs architectus cœ- *Genesi. 1.*
lum sub imitate suspēdit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit. Ipse artifex qui in nostris moribus præcidit superflua opera, vtilia queque conseruat. Ipse est artifex cuius securim ad radicē *Matth. 3.*
nostram positā Ioannes baptista comminatur: vt omnis arbor quæ normā iustæ discretionis excesserit, excisa radicitus, tradatur incēdio: quę autem mensurā veritatis habuerit, cœlesti fabricæ deputetur: [*Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.*] Hoc verbū quod est, *Tomo. 9.*
Amen, neq; Grçcum est nec Latinū, sed Hebræum: *Tract. 41.*
Et interpretatur, verum. [*In veritate dico vobis, multæ* *In Euan.*
viduæ erant in Israel in diebus Eliæ, quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.] Et quid fuit quod nulla Iu- *Ioannis.* *Tomo. 10.*
dæorum vidua beato Eliæ cibū meruit ministrare, *De Temp.*
sed ad viduam gentilem mittitur, vt ab ipsa pas- *Serm. 201*
catur? Vidua ista ad quā Propheta mittitur, typum *3. Reg. 17.*
Ecclesiæ gerebat: sicut & corui illi qui Eliæ ministrauerant, figuram Gentiū habuerūt. Venit ergo

Elias ad viduam, quia Christus venturus erat ad Ecclesiam. [*Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*]

Tomo 10. De Tem. Ser. 205. 4. Reg. 5. Naamā Princeps militiæ qui leprosus erat, & suggerente ancilla ad beatū Elisæum sanandus aduenit: populum gentium figurauit. Naaman veniens ad Elisæum, sanatur à lepra: & populus gentiū veniens ad Christum, ab omni peccatorū lepra purgatur. [*Et repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes.*]

Tomo. 10. 50. Homi lia 42. Tomo. 10. Ad Fratres in Her. ser 9. Ira, est libido vindictæ. Humanum est turbari & irasci, & iram incurrere, bonorū & malorum communis est cōditio: sed in ira vel odio perseuerare, diabolicum est. Fortiter verò spiritum irascibilem continere, magnæ prudētiæ est & perfectionis. Ab ira denique procedit rancor, à rancore odium, quod est ira inueterata in animo: inde nascitur homicidium, & si non opere saltem voluntatē. Inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspitio & iniuria, quæ sunt opera carnis & diaboli. [*Et surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.*]

Tomo. 4. De Essentia Diuini. 1. Transire dicitur Deus, cùm à cordibus quorundā hominum, in quibus ante per fidem inhabitare credebatur, postea surripiēte perfidia vel quolibet delicto, ab his recedit, & ad alios transit. [*Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te qui sis, Sanctus Dei.*]

Tomo. 6. De Quinq; Hæresibus Capit. 3. Vtinam quomodo Dæmones iudicem, sic homines agnoscerent Saluatorem. [*Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus*

est

est pauor in omnibus, & colloquebãtur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbũ, quia in potestate et virtute imperat immũdis spiritibus, & exeunt. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.] Spiritus immundus, quantum intelligo, duobus modis appellari solet: vel ille qui extrinsecus animam inuadit, sensusque cõturbat, & quendam hominibus infert furorem: cui excludẽdo qui præsunt manum imponere vel exorcizare dicuntur, hoc est, per Diuina eum adiurando excludere. Aliter autẽ dicitur spiritus immundus omnis omnino anima immunda, quod nihil est aliud quàm vitijs & erroribus inquinata. [*Surgens autem Iesus de Synagoga, intrauit in domum Simonis, Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogauerunt illum pro ea: Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam, & continuò surgens ministrabat illis.*] Vbi demonstratum est, intercessio Sanctorum, quantum pro alijs valeat ad Deum. [*Cùm sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eũ: at ille singulis manus imponens, curabat eos.*] Sol in ministerium nostræ necessitatis per diem traditur, sed qualiter in nocte perfectum exequitur, à nostra scientia occultatur. [*Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*] Innotuit ergo dæmonibus, non per id q̃ est vita æterna & lumen incõmutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem quæ in illo est, corda mundantur: Sed per quædã temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum, potius quàm infirmitati hominum possent esse conspicua. [*Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum & venerunt vsque ad ipsum,*] Venire ad Christum quid aliud est, nisi ad eũ credendo conuerti? [*& detinebant eum ne discederet ab eis.*]

Tomo. 1. De Beata vita Disputatio. 2.

Tomo. 8. Psal. 105.

Tomo. 3. De Mirab. Sac. script. Libro. 1. Capit. 7.

Tomo. 5. De ciuita. Dei. lib. 9. Capit. 21.

Tomo. 9. In Euang. Ioannis. Tract. 59.

Ibidem. Quæramus & nos Christum vt habeamus, quæramus vt teneamus, sed non vt occidamus. [*Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum, & erat prædicans in Synagogis Galilææ.*] Filius missus esse dicitur, quod hominibus apparuerit in carne. Quis enim mittitur illò, vbi est? Vbi autē non est sapientia Dei, quod est Christus: de qua legitur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? Cùm ergo vbique sit filius, quò mittendus erat vbi non erat, nisi apparendo sicut apparebat?

Tomo. 6. Cont. Sermon. Arrian. Capit. 4. 1. Corin. 1. Sapien. 8.

QVINTI CAPITIS ARGVMENTVM.

Christi iussu magna piscium capta multitudine, leprosum ipse curat & paraliticū, Matthæum vocat, Iudæosque super peccatorum conuersatione, & discipulorum reprehensione confutat.

CAPVT QVINTVM.

Tomo. 3. Locut. de Genesis. Lib. 1. Expos. Capit. 48.

F*Actum est autem cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei,*] Turba, est multitudo inordinata. [*& ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens, docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*] Iussit mitti retia, nec sinistram nec dexteram nominās partem: vt nec solos malos, nec solos

Tomo. 7. Breuicul.

los bonos, sed commixtos bonis malos, intra retia suorum Sacramentorũ futuros doceret. [*Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: & cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum.*] Quòd ruptum sit rete, charitate violata, multas hæreses exitisse significat. [*Et annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.*] Duæ naues significãt vnam Ecclesiam, sed de duabus plebibus factam, coniunctam in Christo, quamuis de diuerso venientem. Hoc significant etiam duæ vxores, habentes vnũ virum Iacob, Lia & Rachel. Has duas significant etiam duo cæci, qui sedebant iuxta viam, quos Dominus illuminauit. Et si aduertatis scripturas, in multis locis inuenietis duas significari Ecclesias, quæ non sunt duæ, sed vna. Ad hoc enim valet lapis angularis, vt ex duabus faciat vnam. [*Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iã homines eris capiens: Et subductis ad terrã nauibus, relictis omnibus secuti sunt illum.*] Quid est, Sequi Dominũ? Imitari Dominum. Quid est, imitari Dominum? Discere ab eo quia mitis est & humilis corde. Cùm igitur Petrus linea castra laxaret in freto, Christus retia misit in verbo. Cepit Christus, cepit & Petrus. Christus Discipulũ, Petrus pisciculum. Et dum circũdat gentem seuam-meam, ipse venit in retia. Quod Dominus de nauicula docet turbas, significauit hoc tẽpus, quando Dominus de autoritate Ecclesiæ docet Gentes. Quod Dominus ascendens in nauim quæ erat Petri,

Collatio. cũ Dona. Collat 3. Diei. ca. 4.
Tomo. 4. 83. in Quest. Quæst. 81.
Tomo 10. De Verbis Domini Serm. 49.
Genes. 29.
Matt. 20.
Psal. 117.
Ephes. 2.
Tomo. 10. 50 Homilia. 34.
Matth. 11.
Tomo. 10. De Sanctis Serm. 28.
Tomo. 4. Question. Euãgelic. Libro. 2. Capit. 2.

tri, rogat eum à terra reducere pusillũ: Significat vel temperatè vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profundiora sacramentorũ recedatur, vt ea penitus non intelligant. Vel, prius in proximis regionibus Gẽtibus prædicandũ: vt quod dicit item Petro, [*Duc in altum & laxate retia vestra in capturam,*] ad remotiores Gentes, quibus postea est prædicatũ, pertineat: sicut Esaias dicit: Tollite signum in Gentes, ad eas quæ propè, & ad eas quę lõgè. Vt quod etiam retia rumpebantur piscium copia, & nauiculæ impletæ sunt ita vt mergerentur: significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, vt etiam diruptione pacis, exeuntibus inde hęresibus & schismatibus, tanta remaneret, & tãta esset futura illi amissio fidei & bonorum morum, vt Christo dicere videatur talis Ecclesia: [*Exi à me, quia peccator homo sum:*] Tanquam turbis carnalium repleta, & eorum moribus penè submersa, regimen spiritaliũ, in quibus maximè Christi persona eminet, à se repellat quodammodo. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines bonis ministris Dei, vt eos à se repellant: sed voce morum & actuum suorum suadent à se † recedere, ne per bonos regantur: & eo vehementius, quo deferunt eis honorem, & tamẽ factis suis à se recedere admonẽt: Vt honorificentiam eorum significauerit Petrus cadẽs ad pedes Domini; mores autem, in eo quod dixit: Exi à me Domine, quia peccator homo sum. Quod tamen quia non fecit Dominus, non enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad littus perduxit: significat in bonis & spiritalibus viris non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quasi securius tranquilliusque viuant, munus ecclesiasticum deferant.

Esai. 5. et. 11.

† recedi

Quod

Quod ergo subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eũ, Petrus, & Iacobus, & Ioannes: potest significare finem temporis, quo ab huius mundi solo, qui Christo inhæserunt, penitus recessuri sunt. [*Et factum est cùm esset in una ciuitatum & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem suam rogauit eum, dicens: Domine si vis potes me mundare. & extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo, & ipse præcepit illi, vt nemini diceret: sed vade ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.*] Si Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, quomodo Saluator ad Sacerdotes mittit offerri munera pro emundatione lepræ? [*Respon.*] Hoc quidem non fuit temporis, sed ad condemnationem factũ est Iudæorum: vt cùm veritatis culmen meliorati temporis non intelligerent ad lucrum salutis suæ factum, inclinaret se veritas ad accusationem eorum. Cùm enim velut Legis inimicum haberent Saluatorem, quia misericordiæ causa ab onere illos Legis volebat liberare: sicut prædictum erat à Ieremia Propheta, Ait enim inter cætera: Et dabo illis Testamentum nouum, non quale dedi patribus eorum: Tunc Saluator, ne inimicus (sicut putabant) appareret, nouo prædicans, eum qui mundatus fuerat à lepra, ad Sacerdotes misit offerre munera pro emundatione sua, sicut præceperat Moyses: & vt ad accusationem eorum hoc proficere testaretur, [*In testimonium (inquit) illis:*] vt in iudicio hæc res contra illos testis esset qui Saluatorem inimicum Legis dicebant. Hoc secutus est & Paulus Apostolus: Cùm enim prædicaret iam non oportere circuncidi, ipse Timotheum circuncidit propter scandalum Iudæorum. Maluit enim, rem superfluam facere, quàm

ti multum

Tomo. 4. Quæst. in Noui & vet. Test. Quæst. 60.

Luc. 16.

Ieremi. 31.

Leuit. 14.

Actuũ. 16.

tumultum excitari à falsis fratribus: quod quidem errori profecit Iudæorum. Satis enim eis factum est ad horam, per quod in perpetuum errarent.

Tomo.4. Quæst. in Euang. Lib.2. Capit 3. Leuit.14. [*Alia Solutio.*] Hic videtur approbare sacrificium quod per Moysen præceptū est, cùm id nō receperit Ecclesia. Quod ideo misisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nondum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, tēplum ipsum euersum est, vbi illa sacrificia offerri solebāt. Hoc autem factum est secundùm Prophetiā Danielis. *Daniel.9.* Non enim oportebat auferri significātia sacrificia, priusquam illud quod significabatur cōfirmatum esset contestatione Apostolorū prædicantium, & fide credentium populorū. [*Perambulabat autem magis sermo de illo, & conueniebant turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.*] *Tomo.8. Psal.87. Philip.2. 56.* Orabat non secundùm formā Dei, sed secundùm formā serui. Secundùm hanc enim & passus est. Orabat, vt doceret orare, quia ad hoc passus est, vt doceret pati: ad hoc resurrexit, vt doceret sperare resurrectionē. [*Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens, & erant Pharisæi sedentes, & Legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandū eos.*] *Tomo.10. De Verb. Apostoli. Serm.15.* Primarij erant, & quasi ad nobilitatem Iudaicam segregati, non contemptibili plebi cōmixti, qui dicebantur Pharisæi. Nā dicitur hoc verbum quasi segregationem interpretari: quomodo in Latina dicitur egregius, quasi à grege separatus. [*Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus.*] *Tomo.8. Psalm.6.* Lecti nomine voluptas carnis significatur cum delectatione seculari, in quo requiescit animus æger. [*Et quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua*

parte

parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.] Quod Matthæus dicit Dominũ dixisse: Cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua: Lucas autem non dixit, fili, sed homo, ad sententiã Domini expressiùs insinuandã valet: Quia homini dimittebãtur peccata, qui hoc ipso quod erat homo, non posset dicere, non peccaui. Simul etiã vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. [*Et cœperunt cogitare Scribæ & pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*] Et quia ille erat Deus, talia cogitantes audiebat. Hoc verbum de Deo cogitabant, sed Deũ præsentem non videbant. [*Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum.*] O homo, non verborum tuorũ tantùm, verùm etiam tuarum cogitationum testis est Deus. [*respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris?*] Accusator autem cordis esse non posset, nisi cordis inspector. [*Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula?*] Surgit homo remissis peccatis, quando erigitur in spem vitæ æternæ. Ambulat verò, cùm feruet in itineribus bonorum operum. [*Vt autem sciatis quia filius hominis.*] Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ex virgine Maria homo factus, filius hominis est. Filius hominis & ipse quidẽ dictus est, & verè filius hominis factus est. Verè filius Dei, in forma Dei: verè filius hominis, in forma serui. Sed nolite istam formã serui ex aliorum similiũ conditione pensare. Terribilis est enim super filios hominũ. [*habet potestatem*] Hãc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisq; in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si nõ vult, non facit. [*in terra dimittendi peccata.*] Terram, intelligo

Tomo. 4. De consens. Euangel. Lib. 2. Capit. 25. Matth. 9.

Tomo. 8. Psal. 36.

Tomo. 7. De bono perseuerãt. Capit. 2.

Tomo. 10. De Temp. Ser. 234.

Tomo. 8. Psal. 1, 8. & 32.

Tomo 9. In Euan. Ioan. Tractat. 19. Ioan 1. Tom. 8. Psal. 65. Philip. 2. Psal. 65.

Tomo. 3. De Spũ & lrã ad Marcelli. Capit. 31.

Tomo. 8. ligo Ecclesiam. Ecclesia enim per omnes terras est
Psal. 103. constituta: in qua remittuntur ipsa peccata. Extra
Tomo 7. eam quippe nõ remittuntur. Ipsa namque propius
Cont. Psal. Spiritum sanctũ pignus accepit, sine quo nõ remit-
parmena. tuntur vlla peccata: ita vt quibus dimittuntur, cõ-
Libro. 3. sequãtur vitam æternã. Foris nanq; nec ligari ali-
Capit. 4. quid potest nec solui, vbi nõ sit qui aut ligare pos-
Tomo. 3. sit aut soluere: sed soluitur qui cum columba fe-
Enchir. ad cerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet
Laur. pacem, siue apertè foris sit, siue intus esse videatur.
Capit. 65. [*ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in*
Tomo 7. *domum tuam.*] Domus nostra, cor nostrum est. Ibi
De Baptis. libenter habitabimus, si id ab iniquitate munde-
cõtra Do- mus. Ibi est mala cõscientia quæ inde repellit ho-
nat. minem: quo iubetur ire portans grabatum suum,
Libro. 3. cui peccata dimissa sunt, dicente Domino: Tolle
Capit. 18. grabatum tuum, & vade in domum tuam. Porta
Tomo 8. carnẽ tuam, & intra ad sacratã conscientiam tuam.
Psal. 73. Quo facto, & quibus dictis, satis declarauit, ideo
Marc. 2. se illa facere in corporibus, vt crederetur animas
Matth. 9. peccatorũ dimissione liberare: id est, vt de potesta-
Tomo 4. te visibili, potestas inuisibilis mereretur fidem. [*Et*
Expos. *confestim consurgens corã illis,*] Beneficio alieno, qui ce-
Psalm ad cidit proprio. [*tulit lectum in quo iacebat,*] Iacere, ni-
Rom. hil aliud est, quàm in terra quiescere, quod est in
Ioan. ij. terrenis voluptatibus beatitudinem quærere. [*&*
Tomo 6. *abiit in domum suam magnificans Deum.*] Id est, Lauden-
Cõt. felic. do magnum confitens. De paralytico potest in-
Arria. telligi anima dissoluta mẽbris, hoc est, bonis ope-
Capit. 13. rationibus, Christũ quærere, id est voluntatẽ verbi
Tomo 8. Dei: Impediri autẽ turbis, nisi tecta (id est) operta
Psalm 5. scripturarũ aperiat, vt per hæc ad notitiã Christi
& 71. perueniat, hoc est, ad eius humilitatẽ fidei pietate
Tomo 4. descẽdat. Hi autem à quibus deponitur, bonos in
Quæstionũ Ecclesia doctores possunt significare. Quod autem
Euangeli. Libro 2. Capit. 4.

cùm

cùm lecto deponitur, ſignificat ab homine in iſta
carne adhuc conſtituto Chriſtũ debere cognoſci.
Quem tamen lectũ ſanus poſtea iubetur portare,
& ire in domum ſuam: vt remiſſionem peccatorum,
conualeſcentibus per ſpem bonam membris
animæ, hoc opus reſtaurare intelligatur: vt iam
non carnalibus gaudiis, tanquam in lecto, requieſcat
infirmitas animi, ſed magis ipſa contineat
affectiones carnales, & tendat ad requiem ſecretorum
cordis ſui. [*Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum.*] Hoc in loco quærendum eſt, quid Tomo. 10.
ſit, Magnificare Deum. Neque enim magnus fit à De Sanct.
creatura creator. Sed ſciendum nobis eſt, duobus Serm. 35.
modis dici, magnificare: Id eſt, aut magnum facere,
aut magnum adorare, magnum admirari.
Magnificatur enim Deus à nobis, cùm magnificari
dignatur à nobis. [*Et repleti ſunt timore, dicentes: quia
vidimus mirabilia hodie.*] Quid autem ſunt mirabilia, Tomo. 10.
niſi quæ hominibus ſunt impoſſibilia? [*Et poſt hæc* De Temp.
exiit, & vidit publicanum nomine Leui.] Quid eſt, vidit? Serm. 18.
Miſertus eſt eius. [*ſedentem ad telonium,*] Sedere, Tomo. 8.
diligentiam & aſſiduitatem ſignificat. [*& ait illi:* Pſalm. 31.
Sequere me.] Patet quod vocatio non meritorum 49.
noſtrorum, ſed beneuolentiæ & miſericordiæ Dei
eſt. [*Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.*] Quid eſt, Pſalm. 5.
ſequi Chriſtum: niſi carnales concupiſcentias ac Tomo. 4.
deſideria in nobis mortificare, & cum ipſo (qui De Salut.
pręcio ſui ſanguinis nos redemit) fœliciter regnare? Documẽt.
[*Et fecit conuiuium magnum Leui in domo ſua, & erat* Capit. 15.
turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.]
Puplicani ſunt, qui ſectantur lucra & Tomo. 10.
exigunt vectigalia per negationes, & fraudes, & De Temp.
furta, ſceleraque, & periuria. [*Et murmurabant Phariſæi* Serm. 59.
*& Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos eius: Quare
cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?*

Et

Et reſpondens Ieſus dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.] Hoc eſt, quia non eſt neceſſarius Ieſus eis qui nõ habent peccatum, ſed eis qui ſaluandi ſunt à peccato. Quos dicit ſanos, quos dicit malè habentes? Sequitur, & dicit: [*Non veni vocare iuſtos ſed peccatores ad pœnitentiam.*] Appellauit ergo ſanos iuſtos, non quia Phariſæi hoc erant, ſed quia hoc ſe eſſe arbitrabantur, & ideo ſuperbiebant, & medicũ ęgrotantibus inuidebant, & plus ægrotantes medicum occidebant. Appellauit tamen ſanos, iuſtos, ægrotantes, peccatores. Quod ad explanandam ſententiam valet, ne quiſquam peccatores, ob hoc ipſo quod peccatores ſunt, diligi arbitretur à Chriſto. cùm & illa ſimilitudo de ægrotis benè intimet quid velit Deus, vocãdo peccatores, tanquam medicus ægros: vtique vt ab iniquitate, tanquã ab ægritudine ſalui fiant, quod fit per pœnitentiam. [*At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum, tui autem edunt & bibunt? Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi,*] Filij Sponſi ſumus nos Chriſtiani. [*dum cùm illis eſt Sponſus,*] Quis autem Sponſus, niſi Dominus Chriſtus? [*facere ieiunare? Venient autem dies, & cùm ablatus fuerit ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.*] Ipſe ad aliud quiddam inſinuandum eandem ſententiam eleganter aperuit. Sic enim intelligitur eoſdem ipſos qui loquebantur fuiſſe facturos, vt lugentes ieiunarent filij Sponſi, quoniã ipſi eſſent Sponſum occiſuri. [*Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus, alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rũpit vinum nouum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum eſt, & vtraque conſeruantur.*]

Tomo. 7. De peccat. merit. & remiſ. Lib. 3. Capit. 4.

Tomo. 8. Pſalm. 61.

Tomo 4. De cõſenſ. Euãgeliſt. Lib. 2. Cap. 28.

Tomo. 9. Exp. in Euangel. Ioannis. Tract. 75.

Tomo. 4. De conſ. Euang. Libr. 2. Capit. 27.

Ieiunium

Ieiunium aut in tribulatione est, aut in gaudio. In tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis: in gaudio verò, cum tāto minus delectant carnalia, quantò spiritaliū maior sagina est. Cùm ergò Dominus interrogatus esset, cur Discipuli eius non ieiunarent? De vtroque ieiunio respondit. Nanque ad illud quod in tribulatione ieiunari solet, pertinet quod ait: Sponsi filios tunc ieiunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit sponsus: tunc enim desolabūtur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritū sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiā ieiunij alterum genus, quod fiat per lætitiam, iam renouati in vitam spiritalē, conuenientissimè celebrabūt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquā vetera vestimenta, quibus inconuenienter nouus pānus assuitur, id est, aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ tēperantiam pertinet: quia si hoc fiat, & ipsa doctrina quodāmodo scinditur, cuius particula, quæ ad ieiunium ciborū valet, importunè traditur: Cùm illa doceat generale ieiuniū, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporaliū delectationum: cuius quasi pānum, id est, partem aliquā quæ ad cibos pertinet, dicit nō oportere hominibus adhuc veteri cōsuetudini deditis impartiri: quia & illinc quasi cōcisio videtur fieri, & ipsi vetustati non conuenit. Dicit etiam similes eos esse veteribus vtribus, quos vino nouo, id est, spiritalibus præceptis, facilius dirūpi, quàm illud cōtinere posse, dicit. Erant autē iā vtres noui cùm post ascensum Domini desiderio consolationis eius orando & sperando innouabantur. Tunc enim acceperunt Spiritum sanctū, quo impleti, cū omnium qui de diuersis gentibus aderant loquerentur linguis, dicti sunt musto pleni. Nouū enim

Tom. 4. Quæst. Euangel. Lib. 2. Cap. 18.

Actuū. 1. Actuū. 2.

vinum iam in nouis vtribus venerat. [*Et nemo bibens vetus statim vult nouum, dicit enim: Vetus melius est.*]

Tomo. 1. De Morib. Manich. Libro. 2. Capit. 16. † redolentius,

Quis enim ignorat vinú vetustate purius meliusq; fieri? Nec ad peruertendos sensus † dolétius, vt putatis, sed ad vegetandum corpus vtilius (tantum assit modus, qué in omni re dominari decet) Nam musto recentiore peruersitas sensuum citius solet accidere: ita vt si aliquando in lacu remanserit, aliquantumque ferbuerit, intuentes desuper percusso cerebro precipites agat, & nisi aliquo modo subueniatur, extinguat.

SEXTI CAPITIS ARGVMENTVM.

Christus Discipulos spicas Sabbato vellentes contra Iudæos excusat, arida manu sanata, discipulos in monte vocat, & inde descendens, illos, beatitudines in loco campestri docet.

CAPVT SEXTVM.

FActum est autem in Sabbato secundo primo, cũ transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis? Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esuriret ipse & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domũ Dei, & panes propositionis sumpsit & manducauit, et dedit ijs qui cum ipso erant, quos non licet manducare nisi tantũ sacerdotibus? Et dicebat illis: quia dominus est filius hominis etiã Sabbati.

Per

Per quod non videntur excusari, sed simul cū Dauid rei fieri: quippe cùm nec Sabbatis fecerit hoc Dauid. Saluator hypocrisim Iudæorū multis vult exemplis arguere, maiora ostēdens admissa in Lege, & nullum ausum fuisse accusare: vt non solum semel & iterum Sabbatū in Lege violatum monstraret, verumetiam Sacerdotalem panē, ipso Sacerdote cōcedente, præsumptum illicitè: & quod maius est, à sublimis autoritate Legis suæ viris. Primus enim Iesus Naue Diuino præcepto Sabbatum non seruauit, quo facto muri Ierícho vltrò ceciderunt. Quantum profuit Sabbatum non custodisse, sed fidem. Et Machabæi cùm prius cæsi fuissent, sabbatis dimicauerunt, & de hostibus triumphauerunt. Et Sacerdotes cùm in Dominicis ceremonijs inseruirent, in templo Sabbatum contemnebant. Dauid autem iam vnctus in Regem, postquam Dei virtute interfectū armis expoliauit allophylum, in itinere positus, necessitatem famis passus, à Sacerdote panem accepit quem non illi licebat manducare: Sed excepta necessitate non licebat, Licitum autem erat si necessitas exegisset. Denique Sacerdos videns necessitatem, non negauit: & Dauid à Deo electus sine cunctatione accepit. Talis causa est & Sabbati. Quare & circuncidi in Sabbato non prohibetur. Hæc enim quæ periculosa non sunt, sic seruanda mandata sunt, vt non obsint, si ex necessitate fuerint admissa: quia non ad salutem, sed ad reuerentiā mandata sunt. Illud autē quod omnino nō licet, semper nō licet, nec aliqua necessitate mitigatur, vt admissum non obsit: Est enim semper illicitū, quod Legibus (quia criminosum est) prohibetur. Superiora autem illa quæ diximus aliquādo licere, talia sunt, qualia ieiunia legitima, quæ in necessitate soluta, nō faciunt

Tomo. 4. Quæst. Veter. & noui Test. Quæst. 61. 1. Reg. 21. Matth. 12. Iosue. 6. 1. Mach. 2. Matth. 12. 1. Reg. 16. 1. Reg. 17. 1. Reg. 21. Ioan. 7.

reos, si stomachi fuerit causa aut infirmitatis febrium. Hæc igitur scientes, dolosè Iudæi Discipulos accusabant quasi sabbatum violarent, sicut suprà dictū est. Saluator autem noluit illis de tempore impletæ Legis prædicare, ne plus ad insaniam prosilirent, sed de preterito vnde sabbatum vindicandum magis putabant calumniosos illos ostendit: & nō solum in sabbati causa, sed etiā in sacerdotali pane confusi sunt, sicut suprà ostensum est. [*Factum est autem in alio sabbato, vt intraret in Synagogam, & doceret: Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.*]

Tomo.10. De Temp. Serm. 59 & Serm. 184. Dextera, significat intentionē implendi præcepta diuina. Qui verò misericordiæ fructum non habet, manuum ariditate siccatur. [*Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in Sabbato curaret, vt inuenirent, vnde eum accusarent. Ipse verò sciebat cogitationes eorum, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens, stetit.*]

Tomo. 8. Psal.134. Ille stare dicitur, qui in mandatis Dei perseuerat: qui in fide non ficta, & spe firma, & charitate sincera seruit Deo, & honorat Ecclesiam eius, & non dat offensionē malè viuēdi eis qui venire volunt, & in via lapides offensionis inueniūt. [*Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benè facere an malè? animam saluam facere, an perdere?*]

Tomo. 4. Question. Euange. Lib. 2. Capit.7. Queritur, cùm corpus curauerit, quare sic interrogauerit, si liceat animā saluam facere, an perdere? Vel quod illa miracula propter fidem faciebat, vbi salus est animæ: vel quod ipsa sanatio manus dexteræ salutem animæ significabat, quę à bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur: vel animā pro homine posuit, sicut dici solet: Tot animæ ibi fuerunt. [*Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus eius.*]

Tomo.8. Psalm.58. Omnipotēti enim medico nihil est insanabile, non renuntiat alicui: opus est vt tu

curari velis, opus est vt manus eius non refugias. [*Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent de Iesu.*] Insipientia repletur, qui non intelligit in quo malo sit. [*Factum est autem in illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*] Vbi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore præcator oportunus, cum Patre exauditor æternus. [*Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis,*] Elegit humiliter natos, inhonoratos, illiteratos: vt quicquid magnum essent & facerēt, ipse in eis esset & faceret. Habuit inter eos vnum quo malo vtens benè & suæ passionis dispositum impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. [*quos & Apostolos nominauit.*] Apostolus, interpretatur missus. Apostolorum sunt genera quatuor: A Deo, non per hominem: A Deo, sed per hominem: Per hominem tantùm, Et, ex se. A Deo enim missus est Moyses. A Deo & per hominem, Iesus Nauæ. Per hominem tantùm, sicut nostris temporibus multi fauore vulgi in Sacerdotium subrogati sunt. Ex se autem, sicut sunt ipsi Pseudoprophetæ. [*Simonem quem cognominauit Petrum.*] Hic Petrus crucem sicut Saluator in exitu pertulit, & Dominicæ deuotionis simili morte discerptus est: scilicet, vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. [*Obseruas.*] Beati Petrus & Paulus eminent super vniuersos Apostolos, & peculiari quadā prerogatiua pręcellunt. Verū inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione: & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martirij gloriam peruenisse. Non enim sine causa putemus factum quod vna die, vno in loco, tyranni vnius tolerauere sententiam. Non quidem eodem temporis

Psal. 48.
Tomo. 2. Epistā. 121 De orando Deo ad Proba. Capit. 10.
Tomo 5. De Ciuit. Dei Lib. 18. Capit. 49.
Tomo. 4. Quest. 65. Dialog. ad Orosium Quest. 64. Exod. 3. Deut. 31
De Sāctis Serm. 26.
Ibidem Serm. 27.
Tomo. 10. De Sanctis Serm. 28.

cursu, sed eodem anni vertentis occursu: Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur, Paulus pro Christo gladio trucidatur.
Ibidem. Serm. 27. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deesset: Sub vno persequutore, vt æqualis crudelitas vtrunque constringeret. Dies ergo pro merito, Locus pro gloria, Persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt Sancti Apostoli? In vrbe Roma, quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum: scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput requiesceret sanctitatis: & vbi gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum morerentur Principes.
Tomo. 4. De vera & falsa pœnitent. Capit. 8. [*& Andream fratrem eius.*] Qui in cruce positus à Domino requirebat: Tempus est, vt commendes terræ corpus meum. Volebat enim eum plebs de cruce deponere. Ipse autem cœpit Dominum rogare: Ne me permittas Domine descendere viuum, sed tempus est, vt commendes terræ corpus meum: tamdiu enim iam portaui, tamdiu super commendatum vigilaui & laboraui, quod vellem iam ab ipsa obedientia liberari, & isto grauissimo indumento expoliari. Recordor, quantum in portando onerosum, in fouendo infirmum, in coercẽdo lentum, in domando superbum, laboraui. Scis enim Domine quotiens à puritate contemplationis me retrahere conabatur, quoties à dulcissimo quietis tuæ somno me excitare contendebat, quantũ & quoties dolorẽ ingerebat. Qui igitur tamdiu Pater benignissime pugnanti restiti, & tua ope superaui & vici, à te pio & iusto remuneratore posco, ne mihi vltra commendes, sed depositum reddo. Commenda alij quem illud vltra non impediat, & resurrecturum

seruet

seruet & reddat, vt & ipsum quoque sui laboris mercedem recipiat. Terræ me commenda, vt vigilare me amplius non oporteat, & liberè ad te fontem indeficientis gaudij tendere anxiantē me iam non retrahat, nec impediat. [*Iacobum.*] Qui post eius ascensionem ab Herode manifestatur occisus. [*& Ioannem,*] Qui matrem Christi in sua recepit officia. [*Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi.*] Hic de Apostolis, quorum vigiliæ non habentur, dicamus: Festum enim Philippi & Iacobi ieiunium non habet, eò quod inter Pascha & Pentecosten est, quod tempus est gaudij, letitiæ & exultationis, quia Saluator surrexit à mortuis. Iacobus etiam Zebedæi, Apostolus, apud quosdam vigiliam non habet, eò quod occisus fuerit in diebus Azymorum, nec diem mortis eius celebramus, sed potiùs translationis. Bartholomæus etiam vigiliam non videtur habere, eò quod vna dierum fuit decoriatus, & sequenti die obijt: & sic si haberet vigiliam, oporteret quod esset in tertia die, quod est contra normam aliorum ieiuniorum. Thomas autem vigiliam non habet, eò quod tempore Aduentus venit. Barnabas ieiunium non habet, quia de Duodecim non fuit. Matthias ieiunium non habet, eò quod tempore ieiunij sit. Ioannes Euangelista ieiunium non habet, eò quod in Gloria in excelsis sumus, & Gloriam in excelsis Deo cantare debemus. Rogo tamen vos fratres, licet ieiunia ista seruare non teneamini, pro remissione peccatorum vestrorum, vel pro periculo hostium ieiunare non desistatis, carnem domantes quantum portare potestis.

Tomo. 9. Expos in Ioan. Tract. 124
Actuū. 12.
Ibidem Tract. 119.
Ioan. 19.
Tomo. 10. Ad fratres in Herem. Serm. 25.
Actuū. 12.
Luc. 2.

[*Et Iudam Scarioth qui fuit proditor.*]

Tomo.8. Quanquam Iudas traditor incolebat & abscóde-
Psal.55. bat, tamen cor ipsius Domino rerũ patebat. Sciens
ille elegit vnum, vnde tibi solatium faceret, nesci-
turo quos deuites. Poterat enim ille non eligere
Ioan.6. Iudam, qui nouerat Iudã. Ait quippe Discipulis:
Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis
diabolus est? Ergo & diabolus electus est? Aut si
electus non est, quomodo duodecim elegit, & nó
potiùs vndecim? Electus est & ille, sed ad aliud.
Electi vndecim ad opus probationis, electus vnus
ad opus tentationis. Vnde posset tibi exemplum
dare nescituro quos deuites malos, quos caueas
falsos & fictos incolentes & abscondentes, nisi vt
dicat tibi: Ecce ego mecũ habui vnum ipsorum?
Præcessit exemplũ: toleraui, perferre volui quod
sciebã, vt tibi nesciẽti præberem solatium. Quod
mihi fecit, faciet & tibi. Vt multũ possit, vt mul-
tum sæuiat, accusaturus est, falsa crimina dicturus
est, vt præualeant falsitates. Nunquid in te præua-
lebunt, & in me non præualuerunt? In me certè
præualuerunt, sed cœlum non mihi abstulerunt.
Tomo.10. [*Et descendens cum illis de monte,*] Descendere dicitur
De Temp. Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere
Serm.70. dignatur. Quod specialius de Domino ac Salua-
Philip.2. tore nostro sentire debemus, qui semetipsum exi-
naniuit, serui formam accipiens. [*stetit in loco cam-
pestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab
omni Iudea & Ierusalem, & maritima & Tyri & Sidonis, qui
venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis.*]
Tomo.4. Stare Deus dicitur, cum infirmos, id est, creaturam
De essen. suam, ad pœnitentiam conuersione vitæ patien-
Diuinit.1. ter sustinet. [*Et qui vexabantur à spiritibus immundis cura-
bantur: Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo
exibat, & sanabat omnes.*] Securi itaq; estote qui ægro-
Tomo.9. tatis, talis medicus venit. Desperabatis, magni erãt
In Eplã. morbi,

morbi, insanabilia erant vulnera, desperata erat *Ioannis.*
ægritudo. Magnitudinem mali tu attendis, omni- *Tractat. 8.*
potentiam medici nõ attendis. Tu desperatus es,
sed ille omnipotens est. Cuius testes isti sunt, qui
primò sanati sunt. Multi quidem & magni sunt *Tomo. 1.*
languores nostri, multi sunt & magni: sed maior *Confess.*
& amplior est medicina Christi. [*Et ipse eleuatis ocu- Lib. 10.*
lis in Discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est Capit. 43.
regnum Dei.] Fœlix paupertas, per quam cœlestis *Tomo. 9.*
acquiritur hæreditas. Fœlix cõmercium, pro peri- *De Cont.*
turis æterna recipere: & quod ineffabile bonum *Mundi.*
est, cùm Christo sine fine regnare. Quisquis ergo *Capit. 7.*
vis regnare cum Christo, elige pauperiem cũ ipso, *Luc. 16.*
vt requiescas cum Lazaro mendico. [*Beati qui nunc*
esuritis, quia saturabimini] Quanquam perfecta satu- *Tomo. 2.*
ritas in illa vita æterna erit, cùm ex ista peregrina- *Epist. 120*
tione venerimus ex fide ad speciem, à speculo ad *De gratia*
faciem, ab ænigmate ad perspicuam veritatem. *noui Test.*
Non tamen inconueniẽter saturatus dicitur pau- *ad Honor.*
per Christi, qui pro iustitia eius, hoc est pro parti- *Capit. 27.*
cipatione verbi ęterni, quam inchoauit interim fi-
de, omnia temporalia non solùm tẽperanter con-
temnit bona, verum etiã patienter sustinet mala.
[*Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*] Ecce in miseria su- *Tomo. 10.*
mus, & in miserijs non ridere sed flere debemus. *Ad fratres*
Cùm enim nascitur puer, nõ ridet sed plorat. Qua- *in Herem.*
re plorat, nisi quia voce testatur & confitetur plo- *Serm. 31.*
rando, se ad miseriam deuenisse? Nascuntur enim *Eccle. 40.*
filij Adam ad laborem & dolorẽ, quia iugum gra-
ue positum est super filios Adã à die exitus de ven-
tre matris eorum, vsque in die sepulturæ eorum.
Non igitur ridere sed flere debemus, attendentes
& scientes quod Dominum nunquã risisse, sed fle-
uisse legimus. Nec aliquibus durum esse videatur, *Tomo 10.*
quod magis ad tristitiam vel planctũ, quàm ad læ- *De Temp.*

 ticiam *Serm. 173.*

ticiam vos prouocare videmur. Si enim diligenter attenditis fratres, in omnibus scripturis hoc Dominus hortatur & admonet, vt sic in hoc seculo debeamus esse soliciti, vt in futuro possimus esse
Psal. 125. securi, sicut ait Psalmista: Qui seminant in lachri-
Matth. 5. mis, in gaudio metent. Et in Euangelio: Beati qui
Matth. 7. lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, lata & spatiosa quæ trahit ad mortem. Melius est nobis post paucas angustias ad æternam beatitudinem peruenire, quàm post breuem lætitiã ad inferni pro-
Luc. 16. funda descendere. Vnde totis viribus elaborare debemus, vt pœnam purpurati diuitis possimus euadere, & ad beatitudinem pauperis Lazari peruenire. Quid enim illi ꝓfuit superbia diuiti, quod hic paruo tempore luxuriosus pascebatur delitijs suis, & nunc sine vllo termino inferni flammam pascit medullis suis? Melius est ergo, vt vos paruo tempore ad salubrem tristiciam prouocemus, & posteà vobiscum ad æternam leticiam peruenire mereamur: quàm si vobis ad tempus falsam dulcedinem velimus ingerere, & postea vobiscũ perpetuam amaritudinem sentire. [*Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tãquam malum, propter filium hominis.*]
Tomo. 4. De Serm. Domin. in monte. Libr. 1. D. Propter eis hoc additum puto, qui volunt de persecutionibus & de famæ suæ turpitudine gloriari, & ideo dicere pertinere ad se Christum, quia multa de eis dicuntur mala, cùm & vera dicantur, quando & de eorum errore dicuntur: & si alij aliquando etiam nonnulla falsa iactant (quod temeritate hominum plerumque accidit) non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundum veram fidem & Catholicam disciplinam Christianus vocatur.

[*Gaudete*

[*Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.*] Animaduertat quisquis delicias huius seculi & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram: sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur, de quibus tamen magna merces est in cœlis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui iam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine; non solum æquo animo, sed etiã cum exultatione, tolerare. Nam multi hęretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictũ est tantum: Beati qui persecutionẽ patiuntur, sed additum est, propter iustitiam. Vbi autem sana fides nõ est, non potest esse iustitia: Quia Iustus ex fide viuit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittãt: quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia. [*Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia flebitis & lugebitis. Væ cum bene vobis dixerint omnes homines. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorũ.*] Nemo enim potest gaudere cũ seculo, & regnare cum Christo. Audi Apostolum dicentem.

Ibidem. *Psalm. 44* *Roman. 5.* *Matth. 5.* *Abacuc. 2.* *Rom. 13.* *Tomo. 9. De contẽp. mund. Capit. 7.* *Actuũ. 14.*

Per multas tribulationes oportet nos intrare in
Matth.20 regnum cœlorũ. Et iuxta veritatis vocem: primo
nos oportet bibere calicem Domini, vt sic pertin-
Luc.16. gamus ad regni cõfessionem. Qui autem vult epu-
lari cum diuite, præparat se epulas vermibus ge-
hennæ, in qua pro gaudio momentaneo, ardebit
Tom. 10. perpetuè cum capite suo diabolo. Sic fecit ille in-
De Sanctis fœlix Diues, qui purpura induebatur & bysso.
Serm 46. Gaudium quidem habuit in mundo, sed flammas
Luc.16. inuenire meruit in inferno. Lazarus qui iacebat
ad ianuam eius, tristitiam habuit in via, sed verum
gaudium recepit in patria. [*Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite: iis qui vos oderunt.*] Sed
Tomo. 3. sic diligendi sunt, vt eorum non diligãtur errores:
De vera quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse
Innoc. quod faciũt. Perfectum ergo odium est, quod nec
Sña.2: iustitia nec scientia caret: id est, vt nec propter vi-
Ibidem. tia homines oderis, nec propter homines vitia di-
Capit. 65. ligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & di-
ligimus creaturam: vt nec propter vitium creatu-
ra damnetur, nec propter naturã vitium diligatur.
Tomo.6. Perfectorum (inquam) est, vt nõ oderint in pecca-
Contra toribus nisi peccata, ipsos autẽ homines diligant:
Adamant. & cùm vindicant, non vindicent acerbitate sæui-
Manic. tiæ, sed moderatione iustitię, ne ipsa relaxatio pec-
descip. cati, plus noceat peccatori, quàm pœna vindictæ.
Capit. 17. [*Benedicite maledicentibus vobis,*] Non enim sufficit ab-
Tomo.3. stinere à malo, nisi fiat quod bonum est: & parum
De vera est neminem nocere, nisi studeas multis prodesse.
Innocen. [*orate pro calumniantibus vos.*] Neque enim est despe-
Sña. 86. rãdum de malis, sed pro ipsis (vt boni fiant) studio-
Ibidem sius supplicandũ: quia numerus Sanctorũ, semper
Cap. 184. de numero impiorũ auctus est. Orandũ est igitur
Tomo.3. pro inimicis, vt aut obtineatur eorũ cõuersio, aut
De vera in nobis inueniatur Diuinæ bonitatis imitatio.
Innocen.
Sña 202.
Luc.23.

[*Et qui te percutit in maxillam, præbe ei & alterã: & ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.*] [*Omni petenti*], inquit, non omnia petenti: vt id des quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentẽ conetur opprimere? Quid si postremũ stuprũ petat? Sed ne multa persequar quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest. Et cui iustè negaueris quod petit indicanda est ipsa iustitia, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod petit dabis: sed aliquando melius aliquid dabis, cùm iniustè petẽtem correxeris. [*Et prout vultis vt faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.*] Quæ sententia cùm refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur: cũ ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum, nemo ergo debet corrumpere Dei habitaculum, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquã noceri, nec ipse igitur cuiquam nocuerit. [*Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis iis à quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes.*] Ecce forte mandatum videtur hominibus & durum, sed magnum habet præmium. Audite quale: [*Et erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.*] O quanta gratia. Per nos serui digni non sumus, & inimicorum dilectione filij Dei efficimur. Ideo ergo fratres & amicos diligite in Deum, inimicosq; propter Deum.

Tomo. 4. De Serm. Domini in mont. Lib. 1. 2.

Tomo. 3. De Doct. Christiana Libro. 3. Capit. 14.

Tomo. 9. De Rectit. Cathol. Cõuers. B. Ibidem.

Qui

Rom. 13. Qui enim diligit proximum, sicut Apostolus dicit, legem impleuit. Nam qui verè Christianus vult esse, hæc ei necesse est præcepta custodire: Si enim non custodit, ipse se circumuenit. [*Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.*] Similitudinem

Tomo. 10. De Temp. Serm. 76. patris, actus indicet sobolis. Similitudo operis, similitudinē indicet generis. Actus nomē cōfirmet, vt nomen genus demonstret. [*Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non cōdemnabimini.*] Hoc lo-

Tomo. 4. De Serm. Domin. in Monte. Lib. 2. c. 5. Matth. 7. co nihil aliud præcipi existimo, nisi, vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorē partem interpretemur. Quod enim scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: De manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, vel blasphemię, vel furta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, de quibus nobis iudicare

1. Cor. 5. permittitur, dicente Apostolo: Quid enim mihi de his qui foris iudicare? Nonne de his quæ intùs sunt vos iudicatis? De genere autem ciborum quæ possunt bono animo & simplici corde, sine vitio concupiscentiæ, quicunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem Apostolus iudicare eos qui carnibus vescebantur & vinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi elementis tempera-

Rom. 14. bant. Qui manducat (inquit) non manducantem

Ibidem. non spernat: & qui non mãducat, manducantem non iudicet. Ibi etiam ait: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. De talibus enim rebus quæ possunt bono animo & simplici, & magnanimo fieri, quamuis etiam possint non bono, volebant illi (cùm homines essent) in occulta cordis ferre sententiam, de quibus solus Deus iudicat. Ad hoc pertinet etiam illud quod

1. Cor. 4. alio loco dicit: Nolite ante tēpus iudicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscōdita tene-

brarum

brarum & manifestabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus. Horum autem veniet tempus vt iudicetur, cùm Dominus illuminabit absc\u014dita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit Apostolus: Quorundam autem hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quædam autem sequuntur. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant. Hæc præcedunt ad iudicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum iudicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quæ nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intelligendum est. Nam ista subiunxit: Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæcunque aliter se habent abscondi non possunt. De manifestis ergo iudicemus, de occultis verò, Deo iudicium relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, siue bona, siue mala, cùm tempus aduenerit quo manifestentur. Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus: Cùm incertum est quo animo quodque factum fuerit: Vel, cùm incertum sit, qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho, ieiunare noluit, & tu non credens, edacitatis id vitio tribueris, temerè iudicabis. Item si manifestā edacitatem ebriositatemq; cognoueris, & ita reprehenderis quasi nunquā illa possit corrigi atq; mutari, nihilominus temerè iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant: neq; ita reprehēdamus quæ manifesta sunt, vt desperemus sanitatem.

Ibidem. *1. Timo. 5.* *1. Timo. 5.* .X. .1. .2.

Dimittite,

Tomo.8. [Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis.]
Psal. 143. Vis, inquit, vt dimittã? Dimitte. Est & aliud opus misericordiæ: Vis vt dem? da. Vno loco positum in Euãgelio: Dimittite, & dimittetur vobis: Date, & dabitur vobis. Aliquid, inquit, & contra te teneo, aliquid & tu contra alterum tenes: Dimitte, & dimitto. Aliquid petis à me, aliquid petit alter
Tomo.4. à te: Da, & do. Et qualem cupis erga te esse Deum,
De Salut. talis esto ipse cũ seruo tuo. Christiana enim ob-
docum. seruantia ad perfectæ pietatis profectum, per mu-
Capit. 28. tuam maximè peruenit indulgentiã peccatorum,
Tomo. 3. dante nobis Domino suæ bonitatis exemplum.
de ver. Nam si ille, in quo nullũ omninò fuit peccatum,
Innocen. pro nostris interpellat peccatis, quanto magis nos
Sãa. 357. inuicem pro proprijs orare debemus? Amplectenda quippe est homini, qui non omni potest carere peccato, tam benigna cõditio, vt dimittendo peccata aliena, diluat sua. [Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.] Ex
Tomo. 4. illa sententia accipi potest quæ dicit & alio loco:
Question. Vt ipsi recipiant vos in æterna tabernacula: vt ple-
Euãgelic. bi præceptum esse videatur, quod dictum est: Da-
Libro. 2. te, & dabitur vobis. Secundùm quam sententiam
Capit. 8. dicit Apostolus. Cõmunicet qui cathechizatur,
Luc. 16. ei qui se cathechizat in omnibus bonis. Non enim
Galat. 6. diceret: Dabunt in sinum vestrũ, nisi quia per illo-
Matth. 10. rum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine Discipuli dederint, mercedem cœlestem
Tomo. 3. recipere merebuntur. [Mensuram], ait Dominus,
De Spiritũ. [bonam dabunt in sinus vestros, confertam] in in-
& anima, teriore homine, [cogitatam] in exteriore: [supereffluentem] in Deo ipso. Ibi cumulus fœlicitatis est,
Capit. 65. ibi supereminẽs gloria, ibi supereffluẽs beatitudo.
Tomo. 8. [Eadem verò mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.]
Psal. 143. Non enim mensura eiusdem generis est, sed ad hoc

eadem

eadem mensura, Ignosce, & ignosco. Est apud te mensura veniæ dandæ, inuenies apud me mensuram veniæ accipiendæ. Est apud te mensura tribuendi quod habes, inuenies apud me mensuram accipiendi quod non habes. [*Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum: Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*] Fortasse hoc ideo subiunxerit, ne sperarent à Leuitis se accepturos mensuram illam, de qua dixit: [*Dabunt in sinum vestrum:*] quoniam ipsis dabant Decimas, quos cæcos dixit, quia Euangelium non tenerent: vt illam remunerationem per Discipulos Domini potius plebs iam inciperet sperare, quos imitatores suos volens ostendere, addidit etiam: [*Non est discipulus super magist. &c.* [*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?*] Vt si forte, verbi gratia, ira ille peccauit, tu odio reprehendas. Quantum autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inueterata, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, vt merito appelletur trabes. Fieri autem potest, vt si irasceris homini, velis eum corrigi: Si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere. [*Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.*] Id est, Primo abs te expelle odium, deinde poteris iam eum quem diligis emendare. Et benè ait, hypocrita. Accusare enim vitia, officiũ est bonorum virorum & beniuolorum. Quod cum malefici agunt, alienas partes agunt: sicut hyprocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostẽdunt in persona quod non sunt. Hypocritarũ ergo no-

Tomo. 4. Quæstion. Euang. Libro. 1. Capit. 9.

Tomo 4. De Serm. Domini in monte Libr. 2. Y.

Tomo. 4. De Serm. Domini in Mont. Libr. 2. Y.

mine simulatores acceperis. Et est verò multum
cauẽdum & molestum simulatorũ genus: qui cum
omnium vitiorũ accusationes odio & liuore sus-
cipiant, etiam consolatores videri se volunt. Et
ideo piè cautéque vigilãdum est, vt cùm aliqu em
reprehendere vel obiurgare nos necessitas coe-
rit, primùm cogitemus vtrũ tale sit vitium quod
nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si
nunquam habuimus, cogitemus & nos homines
esse, & habere potuisse. Si verò habuimus & non
habemus, tangat memoriã communis fragilitas,
vt illã reprehensionẽ aut obiurgationẽ non odiũ,
sed misericordia præcedat: vt siue ad correptio-
nem eius propter quem id facimus, siue ad peruer-
sionem valuerit (nã incertus est exitus) nos tamen
de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem
cogitãtes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vi-
tio in quo est ille quem reprehendere parabamus,
non reprehendamus neq; obiurgemus, sed tamen
congemiscamus: & non illum ad obtẽperandum
nobis, sed pariter cauendũ inuitemus. Nã & illud
1. Cor. 9. quod dicit Apostolus: Factus sum Iudæis tanquam
Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: His qui sub Lege
erant, quasi sub Lege essem, cũ non sim ipse sub
lege, vt eos qui sub lege erãt lucrifacerem: his qui
sine lege sunt, quasi sine lege, cũ sine lege Dei non
essem, sed sum in lege Christi, vt eos lucrifacerem
qui sine lege sunt. Factus sum infirmis, infirmus, vt
infirmos lucrifacerẽ. Omnibus omnia factus sum,
vt omnes lucrifacerem. Non vtiq; simulatione fa-
ciebat, quemadmodum alij intelligi volunt, vt co-
rum detestanda simulatio tanti exempli autorita-
te muniatur. Sed hoc faciebat charitate, qua eius
infirmitatẽ, cui volebat subuenire, tanquam suam
cogitabat. Hoc enim & perstrinxit, dicendo: Cùm
enim

enim liber sim ex omnibus, me omnium seruum feci, vt plures lucrifacerem. Quòd vt intelligas non simulatione sed charitate fieri, qua infirmis hominibus, tanquam nos simus, cōpatitur, ita monet alio loco, dicens: Vos in libertate vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionē carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem. Quod fieri nō potest nisi alterius infirmitatē quisque habeat quasi suam, vt eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille cuius curat salutem. Raro ergo & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt: ita tamen vt etiam in his ipsis non nobis, sed Domino seruiamus, instemus. Ipse est enim finis, vt nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, inuidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, vt videamus eijcere festucam de oculo fratris. [*Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.*] Arbor est ipsa anima, id est, ipse homo: fructus verò, opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, prius bonus fiat. Quàm diu enim quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim fructus bonos fecerit, iam malus non erit. [*Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur: Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam.*] Rectissime sane quæritur quos fructus nos attendere voluerit quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitū ouium omnium pertinent, & hoc modo à lupis decipiuntur: sicuti sunt vel ieiunia, vel orationes, vel eleemosynæ: quæ omnia nisi fieri etiā ab hypocritis possit, non alibi diceret: Cauete iustitiam vestrā facere corā hominibus vt videamini ab eis. Qua sententia præposita ipsa tria exequitur eleemosynam,

Ibidem. (margin, line 1)
Galat. 5. (margin, line 5)
[illegible] *in mont. lib. 2.* (margin, lines 18–20)
EE.
Ibidem.
FF.
Matth. 6.

orationem, ieiunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia sed ambitione largiuntur. Et multi orant, vel potius videntur orare non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes. Et multi ieiunant, & mirabilē abstinentiam prætendunt eis quibus ista difficilia vidētur & honore digna existimantur, & huiuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exerunt ad depredandū vel interficiendū eos qui sub vestitu ouino lupos videre nō possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriè sunt ouibus vestes: cum autē malo in errore, non aliud quā lupos tegunt. Sed non ideo debēt oues odisse vestimentū suum, quia plerunque illo se occultant lupi. Qui sunt ergo fructus quibus inuentis cognoscamus arborē malam, dicit

Galat. 5. Apostolus: Manifesta autē sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, Idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hereses, inuidiæ, ebrietates, cōmessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniā qui talia agunt regnū Dei non cōsequentur. Et qui sint fructus per quos cognoscimus arborem bonam, idem

Ibidem ipse Apostolus consequenter dicit: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudiū, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, māsuetudo, cōtinentia. Sane sciendū est, hic gaudiū propriè positū: mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur propriè. Et ex ista proprietate verbi qua gaudium non dicitur nisi in bonis, etiā Propheta loquitur,

Esai. 57. dicens: Non est gaudere impijs, dicit Dominus. Ita quoque posita est Fides, non quecunq; vtique, sed vera fides: & cætera quæ hic posita sunt, habent

bent quasdã imagines suas in malis hominibus & deceptoribus, vt omnino fallant, nisi quisque iam mundum oculum & simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaq; ordine primo actum est de mundando oculo, & deinde dicta sunt quæ cauerentur. [*Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum.*] Quid est autem malus homo, nisi mala natura, quia homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est, quia natura est: quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, inuenimus nec ideo malũ, quia homo est: nec ideo bonum, quia iniquus est; sed bonũ quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit malũ hominem esse, aut quod bonũ est iniquũ esse, ipse incidit in Propheticam illã sententiam: Væ his qui dicunt quod bonũ est malum, & quod malum est bonum. Opus enim Dei culpat, quod est homo: & vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis nanque natura, etiam si vitiosa est, in quãtum natura est, bona est: in quantum vitiosa est, mala est. [*Ex abundantia enim cordis os loquitur.*] Et vnusquisque nostrum cuius præsentiam susceperit in corde, ipsius verba proferre consueuit ex ore. [*Quid autem vocatis me Domine domine, & non facitis quæ dico?*] Per quod tunc significauit prodesse cognouisse Deũ, si eius mandata seruentur. Irrisor enim videtur, qui Dominum vocat eum, cuius præcepta contẽnit. Huic verba legis recitanda sunt, quæ dicunt: Deus non irridetur. Itaque verbis suis condemnabitur, quia Dominum vocat, quẽ minimè timere se operibus suis ostendit. Benè enim loqui & malè viuere, nihil aliud est, quã se sua voce dãnare. [*Omnis qui venit ad me & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in*

Tomo. 3. Enchir. ad laurent. Capit. 13.

Isai. 5.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 86.

Tomo. 4. Quest. vet. & Noui Testam. Quest. 61.

Galat. 6.

Parte. 11. De Vera Innoc. 6.

altum & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit commouere: fundata enim erat supra petram.] Fodere enim, hoc est Christianum omnia terrena exhaurire de corde suo, ne propter aliquid tale Deũ colat, sed in altum fodere, donec ad Petram perueniat: id est, tantum Christũ gratis sequi, & gratis eum colere, vt non solum non propter superflua, sed nec propter illa quæ videntur huic vitæ necessaria & quæ sine culpa à quouis iusto sumi & haberi possunt, tamen temporalia atque terrena sunt, colendus Deus putetur. Neque quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo. Et si Petra Christus est, sicut multa scripturarũ testimonia prædicant, Ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. [*Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit & facta est ruina domus illius magna.*] In Petra ergo ædifica, non in arena. Audire & non facere, in arena ædificare est. Audire & facere, in petra ædificare est. Nec facere nec audire, nihil ædificare est. Si in arena ædificas, ædificas ruinam. Si nihil ædificas, expositus pluuiæ, fluminibus, ventis, ante rapieris, quàm steteris. Ergo non est cessandũ, sed ædificandum, nec sic ædificandum, vt ruina ædificetur, sed in petra ædificandum, vt nõ euertat tentatio.

(∴)

Capitis

Tomo 4. Quæstion. Euang. Libr. 2. Capit. 10.

Tomo. 4. De Serm. Domini in mon. Lib. 2.
11.
1 Cor. 10.

Tomo 3. Psal. 102

CAPITIS SEPTIMI ARGVMENTVM.

Centurionis seruo Capharnaum sanato. Naim pergens filium Viduæ suscitat, dubitantes Ioannis discipulos confirmat, Ioannem commendat, ac Pharisæos baptismum spernentes cõfutat, apud Pharisæum conuiua, à muliere peccatrice vngitur.

CAPVT SEPTIMVM.

CVm autem impleßet omnia verba sua in aures Plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cùm audißet de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eũ vt veniret, & sanaret seruum eius.] Si iuxta Lucam miserit Centurio Seniores ad Iesum vt sanaret puerum suum, quomodo ergo, secundum Matthæum, accessit ad eum rogãs, & dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur? Hoc ergo intelligitur, Matthæum breuiter sentẽtiam ipsam verã integramque complexum, dicentem quod Centurio accessit ad Iesum, & nõ dicentem vtrũ per seipsum accesserit, an per alios: & quòd ei de puero suo illud dixit, non exprimentẽ vtrum per seipsum dixerit, an per alios. Tom. 6. Cõt. Faust. Lib. 33. Capit. 7. Matth. 8.

[*At illi cùm venißent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei quia dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cùm iam non longè eßet à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres.*] Tecto nõ recipiebat, cor- Tome 10. De Temp. Serm. 74.

de recipiebat: Quantò humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur. [*propter quod & meipsum nō sum dignum* Tomo.10. De Verb. Domini Serm.6. *arbitratus, vt venirem ad te,*] Dicendo se indignum, præstitit dignum: non in cuius parietes, sed in cuius cor Dominus Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi iā illum quem timebat intrare domū suam, corde gestaret. Nam non erat magna fœlicitas si Dominus Iesus intraret in parietes eius, & non esset in pectore eius. Non erat dignus vt Christum domo reciperet, & iā corde receperat. Etenim magister ille humilitatis, filius hominis iam inuenerat in eius pectore vbi caput reclinaret. Tomo.8. Psalm.38. Matth.11. Luc.9. [*sed dic verbo & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.*] Tomo.8. Psal.46. Videte quemadmodū tenuit ordinem. Prius commemorauit quod sub alio esset, & postea quod alij sub illo essent. Sub potestate sum, & in potestate sum: Et sub aliquo sum, & super aliquos sum. Et dico huic vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Tanquā diceret: Si ego sub potestate constitutus, iubeo illis qui sub me sunt; tu qui sub nullius potestate es positus, non potes iubere creaturæ tuæ, quādo omnia per te facta sunt, Ioannis.1. & sine te factum est nihil? Dic ergo verbo (inquit) & sanabitur puer meus. Nam vt in domum meam intres non sum dignus. [*Quo audito Iesus miratus est.*] Tomo.1. De Genes. Cōt. Manich. Libro.1. Capit.8. Admiratio reuera de rebus insperatis nasci solet, & tamen legimus Dominū nostrum Iesum Christum in Euangelio admiratū esse fidē credentium. Quis autem in illis fecerat ipsam fidē, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si & alius eam fecisset, vt quid miraretur qui præscius erat? Quod mirabatur

Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moueri. Omnes enim tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. [Vel.] Admiratio pro laude posita est, eius, cuius par in populo Hebræo nō apparuerat. [*& conuersus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.*] Id est, In illo populo ad quem veni, non inueni tantam fidem. Tantam, quid est? Tam magnā. Vnde magnam? De minimo, id est, De humilitate grandē. Non inueni tantā fidem similem grano sinapis, quantò minutiori, tantò feruentiori. Fidē ergo Centurionis illius, ideo pręcipuè laudauit, nec se inuenisse in Israel tantā fidem dixit, quia ille tā humiliter credidit, vt diceret: Non sum dignus vt sub tectū meum intres. Vnde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Dominū, cū apertissimè Lucas insinuet, quod non ad eū ipse venerit, sed amicos suos miserit: nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quā illi quos misit. Vnde & illud propheticum est: Excelsus Dominus & humilia respicit, excelsa autem à longè cognoscit: vtique tanquam non accedentia. [*Et reuersi qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum qui languerat sanum.*] Sanat enim omnino ille quemlibet languidum, sed nō sanat inuitum. [*Et factum est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquarent portæ ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*] Omnis anima quæ intelligit se desertā omni auxilio, nisi solius Dei, vidua est. Quomodo enim Apostolus describit viduam? Quæ autē verè vidua est, & desolata, sperauit in Domino. Agebat autē de illis viduis quas omnes dicimus in Ecclesia. Dixerat autem, quæ in

Tomo. 2. Epist. 102. Ad Euodium Episcop.
Tomo 10. De Temp. Serm. 74.
Tomo. 6. De Sāctis Virg. Capit. 32.
Matth. 8.
Psal. 137.
Tomo. 8. Psal. 102.
Tomo. 8. Psal. 131.
1. Timo. 5.
Ibidem.

delitijs degit, viuens mortua est. & non illã numerauit inter viduas. Describens autẽ viduas sanctas,
1. Timo. 5. quid ait? Quæ autẽ verè vidua est & desolata, sperauit in Domino, & persistit in precibus & obse-
Ibidem. crationibus nocte ac die. Ibi subiecit: quæ autem in delitijs agit, viuens mortua est. Vnde ergo vidua est, quia non habet auxiliũ aliundè, nisi solius Dei. Illæ quæ habẽt viros, quasi superbiunt de auxilio virorum. Desertæ videntur viduæ, & robustius est auxilium earũ. [*Quam cùm vidisset Dominus, misericor-*
Tom. 10. *dia motus super eam, dixit illi: Noli flere.*] Est ergo de
De Verb. mortuis eis qui diligũtur, quod i tristitia quodam-
Apostoli. modo naturalis. Mortẽ quippe horret, non opinio
Serm. 32. sed natura. Nec mors homini † accederet, nisi ex
Genesis. 3. pœna quã præcesserat culpa. Quapropter si ani-
† acciderct. malia quæ ita creata sunt vt suo quoque tempore
Genesis. 2. moriantur, mortẽ fugiunt, diligunt vitã: quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset, sine termino viueret? Hinc itaque necesse est vt tristes simus quando nos moriendo deserunt quos amamus, quia etsi nouimus eos, non in æternũ relinquere nos mansuros, sed aliquantulũ præcedere sequuturos: tamen mors ipsa, quam natura refugit, cũ occupat dilectũ, contristat in nobis ipsius dilectionis affectũ. Ideo ad-
1. Thes. 4. monuit Apostolus, non vt nõ contristemur, sed nõ sicut cæteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos, in nostrorũ mortibus, necessitate amittendi, sed cũ spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: Inde dolet humana cõditio, hinc sanat Diuina promissio. Proinde põpa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorũ opulenta cõstructio, viuorũ sunt qualiacunq; solatia, non adiutoria mortuorũ. Orationibus ve-

rô Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & elee-mosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorũ peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditũ, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cũ ad ipsum sacrificium loco suo cõmemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri cõmemoretur. Cùm verò eorum cõmendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo nõ inaniter allegantur? Non omnino ambigendũ est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortẽ, vt possint eis hæc vtilia esse post mortẽ. Nam qui sine fide quæ per dilectionẽ operatur, eiusque Sacramentis, de corporibus exierunt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis, impenduntur officia, cuius, dum hic essent, pignore caruerunt, vel nõ suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiã, & sibi non misericordiam thesaurisantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita cõparantur, cùm pro eis boni aliquid † operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia, ista redduntur. Non enim dictum est, nisi cũ hic viuerent, vt eos hæc aliquid adiuuarent, cùm hic viuere destitissent: Et ideo illã finiens quisque vitã, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. Permittantur itaque pia corda charorũ de suorum mortibus cõtristari dolore sanabili, & consolabiles lachrimas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudiũ, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiã fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur, siue quæ dolentibus adhibent,

Galat. 5.

† impenduns

ac

Psal. 68. ne sit iusta querela, dicentium: Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & consolantes, & non inueni. Sit pro viribus cura sepeliēdi & sepulchra construendi, quia & hæc in scripturis sanctis inter Gene. 49. & 50. bona opera deputata sunt. Neque solū, in corporibus Patriarcharū aliorumque sanctorum, & humanis cadaueribus quorumq; iacentium, verumetiam in ipsius Domini corpore prædicati atque Ioan. 19. collaudati sunt, qui ista fecerūt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verū illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne nō spiritu mortuos, non solū carnaliter, sed etiā spiritualiter amant. [*Et accessit, & tetigit loculum. Ij autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico surge. Et resedit qui* Tomo. 8. *erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.*] Ecce Psal. 97. mirabilia fecit Dominus. Sed multa maiora mirabilia sunt quod totum orbem terrarum à morte sempiterna erexit, quàm quod vnicū filium matris Tomo. 1. viduæ resuscitauit. [*Obserua.*] Perscrutari solent De Libero Arbitrio Libro. 3. Capit. 23. homines, Sacramentū Baptismi Christi quid paruulis prosit, cū eo accepto plerunque moriuntur, priusquam ex eo quicquā cognoscere potuerunt. Qua in re satis piè rectéque creditur prodesse paruulo corā fidem, à quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ cōmendat saluberrima autoritas, vt ex eo quisq; sentiat quid sibi prodest fides sua, quando in aliorū quoque beneficiū, qui propriam Luc. 7. nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quā vtiq; mortuus non habebat, cui tamen profuit matris vt resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere paruulo, cui sua perfidia nō potest imputari.

putari. [*Accepit autem omnes timor, & magnificabāt Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.*] Erat autē ille Dominus Pro- *Tomo. 9.*
phetarum, impletor prophetarū, sanctificator Pro *In Euang.*
phetarum, sed & Propheta. Nam & Moysi dictum *Ioannis*
est: Suscitabo eis Prophetā similem tui. Similē se- *Tract. 24.*
cundum carnē, non secundū maiestatē. [*Obseru.*] *Deut. 18.*
De Iuuene illo resuscitato, gauisa est mater vidua: *Tomo. 10.*
de hominibus quotidie in spiritu resuscitatis, gau *De Verb.*
det mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat cor- *Domini.*
pore, illi autem mente. Illius mors visibilis visibi- *Serm. 44.*
liter plangebatur: illorū mors inuisibilis nec quæ-
rebatur, nec videbatur. Quæsiuit ille, qui nouerat
mortuos: ille solus nouerat mortuos, qui poterat
facere viuos. Nisi enim ad mortuos suscitādos ve-
nisset, non Apostolus diceret: Surge qui dormis, *Ephes. 5.*
exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Dor-
mientem audis, cum dicit: Surge qui dormis. Sed
mortuum intellige, cum audis, Exurge à mortuis.
Dicti sunt sæpe dormiētes & mortui visibiliter. Et
plane omnes, ei qui potest excitare dormiūt. Mor-
tuus enim tibi mortuus est, qui quātumlibet pul-
ses, quantumlibet vellices, quantūlibet lanies, non
expergiscitur. Christo autem ille dormiebat, cui
dictum est: Surge, & continuo surrexit. Nemo tam
facile excitat in lecto, quàm facile Christus in se-
pulchro. Tres autē mortuos inuenimus à Domino
suscitatos visibiliter, millia inuisibiliter. Quot au-
tem mortuos visibiliter suscitauerit, quis nouit?
non enim omnia scripta sunt quæ fecit. Ioannes
hoc dicit. Multa & alia signa fecit Iesus, quæ si *Ioan. 20.*
scripta essent, arbitror totum mundū non posse li-
bros capere. Multi sunt ergo alibi suscitati sine du-
bio, sed non frustra tres commemorati. Dominus
enim noster Iesus Christus ea, quę faciebat corpo-

raliter;

raliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat, sed vt illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodū qui videt literas in codice optime scripto, & non nouit legere, laudat quidē antiquarij manū, admirans apicum pulchritudinē: sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autē, & laudat artificiē, & capit intellectū: ille vtique qui non solùm videre, quod cōmune est omnibus, potest, sed etiā legere, quod qui non didicit non potest: Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt, quid sibi vellent, & quid intelligētibus quodāmodo innuerent: mirati sunt tantū quia facta sunt: alij verò & facta mirati, & intellectum assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus. &c. [*Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis & plagis & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me.*] Isti duo Discipuli à Ioanne ad Christum

Tom. 10. De Sanct. Serm. 21.

missi, fortè duo populi sunt, quorum vnus ex Iudæis credidit, alter ex Gentibus. Ioannes dirigit ad Christum, Lex mittit ad gratiā: & per Euangelij fidem, veterem desiderat astrui veritatem. [*Et cùm discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?*]

Vtique

Vtique enim vento agitari subaudis, quia non hoc erat Ioannes, qui quolibet vento moueretur. Qui enim à vento mouetur, circumflatur omni spiritu seductorio. [*Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestimentis indutum?*] Vestiebatur enim Ioannes asperis, id est, tunica facta de pilis cameli. [*Ecce qui in veste preciosa sunt & deliciis, in domibus Regum sunt.*] Non ergo existis videre hominem mollibus vestitum. [*Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis, & plusquam Prophetam.*] Quia prioribus iustis præ nũtiare tantum Christũ est concessum, huic autẽ & prænuntiare absentem, & videre præsentem: vt huic inueniatur patuisse, quod illi cupierunt. [*Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Dico enim vobis: maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.*] Præcellit cæteros, eminet vniuersis. Antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne. Dicit fortasse aliquis: Si inter natos mulierum Ioannes maior est, maior est Saluatore. Absit. Ioannes enim natus mulieris. Christus autẽ virginis natus est. Ille corruptibilis vteri finibus effusus est, iste impollutæ virginis flore progenitus. [*Et omnis populus audiens & Publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & Legisperiti Consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis; Lamentauimus, & non plorastis. Venit autem Ioannes baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Et iustificata est*]

sapientia

Tomo. 9. In Euãg. Ioan. Tract. 4.

Matth. 3.

Tomo. 7. Cont. lrãs Petiliani Libro. 2. Capit. 37.

Tomo. 10. De Sãctis Serm. 21.

Tom. 4. Question. Euangel. Libro. 2. Capit. 11.

sapientia ab omnibus filijs suis.] Quod ait, Lamentauimus & non plorastis: ad Ioannem pertinet, cuius abstinētia à cibis & potu, luctū pœnitentiæ significabat. Quod autem ait: [*Cantauimus tibijs, & non saltastis:*] ad ipsum Dominum pertinet, qui vtēdo cum cæteris cibo & potu, lætitiam regni figurabat. At illi, nec humiliari cum Ioanne, nec cum Christo gaudere voluerunt, dicentes illū Dæmonium habere, istum voracē & ebriosum, & amicū publicanorum & peccatorū. Quod autem subiungit: [*Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.*] Ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiā: & temperantiam per abundantiā non se corrumpēdi, atque opportunè sumēdi vel non sumendi ea, quorū non vius, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorū sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodo cōgruas in generibus alimentorū his cum quibus tibi viuēdum est. Neque quantū sumas multum interest, cū videamus aliorum stomachū citius satiari, & eos tamen, illi ipsi paruo quò satiantur, ardenter & intolerabiliter, & omnino turpiter inhiare: Alios autem plusculo quidē satiari, sed tolerabiliùs inopiam perpeti, & vel ante horā positas epulas, si in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cū tranquillitate aspicere, neque tāgere. Magis ergo interest, non quid vel quantū alimentorū, pro congruentia hominum atque personæ suæ, & suæ valetudinis necessitate, quis capiat, sed quanta facilitate atque serenitate animi careat, cū his vel oportet, vel etiā necesse est carere: vt illud in animo Christiani cōpleat, quod Apostolus dicit: Scio & minus habere, scio & abundare in omnibus; & in omnibus

Philip. 4.

imbutus

imbutus sum, & satiari & esurire, & abundare & penuriā pati. Omnia possum in eo qui me cōfortat. Et illud: Neque si manducauerimus abundabimus, neque si non manducauerimus egebimus. Et illud: Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium. Et quia solent homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit: In Spiritu Sancto. Iustificatur etiā sapiētia ab omnibus filijs suis, qui intelligunt vtēdis terrenis tempora opportuna esse debere: facilitatem verò carendi talibus, & amorē fruendi æternis, nō variari oportere per tempora, sed perpetuò retineri. 1. Corin. 8. Roma. 14.

[*Rogabat autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisæi,*] Irrupit in domū, quò non erat inuitata ab hospite, sed ab inuitato vocata: non lingua, sed gratia. Nouerat enim ægra habere ibi se locū, vbi suum medicum discumbere sciebat. [*attulit alabastrum vnguenti,*] Et desiderio salutis facta impudens, accessit: non ad caput Domini nostri, non ad manus, sed ad pedes. [*Et stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*] Accedit ad pedes, quia eius vestigia sequi cupiebat. Pacemque fecit cum vestigijs Domini peccatrix. Vidistis non carne sed mente Dominū Iesum Christum in domo Pharisæi recumbentē, & ab illo inuitatum non fastidientem. Vidistis etiā mulierē in ciuitate † famosam, malæ vtiq; famæ, quæ erat peccatrix, non inuitatā irruisse cōuiuio, vbi suus medicus recūbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatē. Irruens quasi importuna conuiuio, oportuna beneficio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandū esse idoneū ad quem venerat, sciebat.

Tomo. 9. In Euang. Ioannis. Tract. 7. Tomo. 8. Psalm. 66 Tomo. 9. In Euang. Ioannis. Tract. 7. Tomo. 8. Psal. 140. Tomo. 9. In Ioan. Tract. 7. Tomo. 10. Libro. Quin. homil. 23. † formosam.

Accessit ergo non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat. Prius fudit lachrimas sanguine cordis, & lauit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, osculata est, vnxit: tacita loquebatur, nõ sermonem promebat, sed deuotionẽ ostendebat. Quia ergo tetigit Dominum rigando, osculando, tergendo, vngẽdo pedes eius: Pharisæus qui inuitauerat Dominũ Iesum Christũ, quia ex illo genere erat hominũ superborũ, de quibus Isaias pro-
Isai.52. pheta dicit: Qui dicunt, recede longè à me, noli me tangere, quoniã mundus sum: putauit Dominum nescisse mulieré. Sequitur enim: [*Videns autem pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.*] Hoc apud se cogitans, dicebat in corde suo, hic si esset Propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes. Ideo nescire credidit, quia ille non repulit, quia accedentẽ non prohibuit, quia tangi se à peccatrice permisit. Nam illum nescisse, vnde sciebat? Quid enim sciebas ô Pharisæe inuitator & irrisor Domini: Dominũ pascis, & à quo pascendus sis non intelligis. Vnde scis Dominum nescisse quę fuerit illa mulier, nisi quia permissa est accedere? nisi quia illo patiente osculata est pedes eius? nisi quia tersit? nisi quia vnxit? Hæc enim nõ debuit permitti facere in pedibus mundis, mulier immunda. Ad illius ergo Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat, quod Isaias de ta-
Ibidem. libus dicit: Recede à me, noli me tangere quoniã mundus sum. Accessit autem ad Dominũ immunda, vt rediret mũda. Accessit ægra, vt rediret sana. Accessit confessa, vt rediret professa. [*Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere.*] Audiuit enim Dominus Pharisæum cogitantem.

[At

[*At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit?*] Iam hinc intelligat Pharisęus, si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantē. Proposuit ergo homini similitudinē de duobus qui debebant vno fœneratori. Etiā ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum panem commederet. Ipsum pascentem esuriebat: ipsum emendare, ipsum mactare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus traijcere volebat. Sicut & illi mulieri Samaritanæ, dixit: Sitio. Quid est, Sitio? Desidero fidem tuam. Dicuntur ergo verba Domini in hac similitudine, & agitur vtrunque, vt & inuitator ille sanetur cum suis condiscūbentibus, Dominum nostrū Iesum Christū pariter videntibus, pariter ignorantibus: & vt illa mulier habeat fiduciam confessionis suæ, nec pungatur vlterius aculeis cōscientię suę. Debebat vnus (inquit) quinquaginta denarios, alius quingētos. Donauit ambobus. Quis eum plus dilexit? [*Respondens Simon,*] Cui similitudo proposita erat, [*dixit:*] (quod respondere vtique ratio compellebat) [*Aestimo, quia is cui plus donauit.*] Credo Domine, cui plus Donauit. [At *ille dixit: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni:*] Et attendens mulierē, dixit ad Simonem: [*Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lachrymis*] suis, [*rigauit*] Lauit mihi [*pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui.*] Illa ex quo ingressa est, [*non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*] Cui autem modicū dimittitur, modicum

Ioan. 4.

diligit. Oritur quęstio profectò soluenda, quæ attentionem vestræ charitatis desiderat, ne fortè sufficere non possimus verbis, ad totã eius obscuritatem remouendã & dilucidandã pro angustia tẽporis, maximè cum caro ista ęstibus fatigata iã recreari desideret, & debitum suum poscens, & animæ auiditatẽ impediens, ostendat, quod dictũ est:
Matth.26. Spiritus promptus est, caro autẽ infirma. Metuendum est, & valde metuendũ, ne in his verbis Domini, non bene intelligentibus † his qui concupiscentias suas carnales faciunt, & ab eis in libertatem educi pigrescunt, subrepat illa sententia, quę prædicantibus etiam Apostolis nata est in linguis maledicorum. Vnde dicit Apostolus: Et sicut quidam dicunt nos dicere: Faciamus mala, vt
Roman.3. veniant bona. Dicit enim aliquis: Si cui modicum dimittitur, modicum diligit: cui autẽ plus dimittitur, plus diligit: Expedit plus diligere quàm minus diligere, oportet vt multũ peccemus, & multum debeamus quod nobis dimitti cupiamus, vt dimissorem magnorũ debitorum amplius diligamus. Peccatrix enim illa mulier quantò plus debebat, tantò dimissorẽ debitorum suorũ amplius diligebat, Domino ipso dicente: Dimittuntur ei
Luc.7. peccata multa, quia dilexit multũ. Quare autem dilexit multum, nisi quia debebat multa? Denique addidit & adiunxit: Cui autẽ modicum dimittitur, modicum diligit. Nónne expedit (inquit) vt multum mihi dimittatur quã minus, vnde amplius diligã Dominum meũ? Videtis certè profunditatẽ quæstionis. Scio. Videtis angustias tẽporis, & hoc videtis & sentitis. Accipite ergo pauca. Si magnitudini quęstionis non satisfecero, interim presentem recôdite sermonẽ, in futuro tenete debitorẽ. Da nunc duos homines, vt sub exemplis euiden-

† his qui cõcupiscentijs suis carnalibus fauẽtes.

tioribus

tioribus quod proposui cogitetis. Vnus eorũ plenus est peccatis, diu pessime vixit: Alter autem eorum peccauit pauca. Accedunt ambo ad gratiam, baptizantur ambo, intrant debitores, exeunt liberi: plus donatum est vni, minus alteri. Interrogo, quantum quisque diligat. Si inuenero plus diligere eum, cui peccata plura dimissa sunt, quàm illum qui minima peccauit, vtilior erat multa iniquitas, ne esset tepida charitas. Interrogo alium quãtum diligat, [*inuenio minus.*] Nam si inuenio tantũ & illũ diligere, quantũ & ille diligit cui multa sunt dimissa, quomodo respõdebo verbis Dñi? quomodo non verũ erit ꝙ veritas dixit: Cui modicũ dimittitur, modicũ diligit. Ecce, ait aliquis: Mihi modicũ dimissum est, nõ multa peccaui, & tamen tantum diligo quantũ iste cui multa dimissa sunt. Tu verũ dicis an Christus? Ad hoc tibi dimissum est mẽdacium tuũ, vt mẽdacij dimissori crimen imponas? Si modicũ tibi dimissum est, modicũ diligis. Si enim est modicũ tibi dimissum & plurimũ diligis, cõtradicis ei qui dixit: Cui modicũ dimittitur, modicũ diligit. Illi verò plus credo, qui te plus nouit. Parũ tibi dimissum putas, prorsus parũ diligis. Quid ergo (inquit) facere debui? Multa mala cõmittere, vt multa essent quæ posset ille mihi dimittere, vt amplius possem diligere? Angustat nos. Sed Dominus quia hæc vera proposuit ab angustijs liberet me. Dictum est hoc propter Pharisæum illum, qui vel nulla vel pauca se putabat habere peccata. Non enim Dominum inuitaret, nisi aliquantulum diligeret. Sed quam parum erat? Non osculum dedit, nõ saltem aquã ad pedes, Etsi non lachrimas, non illo obsequio prosecutus est quæ illa mulier, quæ nouerat quid sanaretur, & à quo sanaretur. O Pharisæi, ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti

suspicatis. Non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur. Quid ergo, inquit ille, ego quia homicidiũ non feci, homicida deputandus sum? Qui adulteriũ non admisi, pro adultero puniẽdus sum? Aut mihi ista dimittenda sunt, quæ non commisi? Ecce iterum constitue duos, & loquemur ad eos. Venit vnus supplex peccator, coopertus spinis tanquam hericius, & nimis timidus tanquam lepus. Sed petra refugium
Psal.103. est hericijs & leporibus. Venit ergo ad petram, inuenit refugium, accipit auxiliũ. Alius non multa commisit, quid ei faciemus vt multum diligat? Quid persuadebimus? Contra verba Domini veniemus: Cui modicũ dimittitur, modicum diligit. Ita plane cui modicũ dimittitur. Sed ô tu qui dicis te non multa cõmisisse. Quare? Quo regente? Deo gratias, quod motu & voce vestra intellexisse vos significastis. Iã vt video soluta est quęstio. Hîc multa cõmisit, & multorũ debitor factus est. Ille (Deo gubernante) pauca cõmisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat ꝙ non cõmisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondũ illuminatus, nondũ bonum malumque discernẽs, nondũ credens in illũ qui te nescientẽ regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebã te mihi, seruabã te mihi: Vt adulterium non cõmitteres, suasor defuit, & vt suasor deesset, ego feci. Locus & tẽpus defuit, vt hęc deesset ego feci. Adfuit suasor, nõ defuit locus, nõ defuit tẽpus, vt non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiã eius, cui debes & ꝙ non admisisti. Mihi debet iste quod factũ est, & dimissum vidisti: Mihi debes & tu quod nõ admisisti. Nullũ est enim peccatum ꝙ fecit homo, ꝙ non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo. Iam nũc quantũ potuimus quęstio-

quæstionem profundam in tantilla temporis breuitate soluimus: Aut si nō soluimus, debitores (vt dixi) teneamur. Illud potiùs breuiter videamus de remissione peccatorum. Homo putabatur Christus, & ab illo qui inuitauit, & ab eis qui pariter discumbebant. Nescio quid illa peccatrix, plus in Domino viderat. Nam quare fecit illa omnia, nisi vt sibi dimitterentur peccata? Nouerat ergo illum posse dimittere peccata, illi autem nouerant hominem non posse peccata dimittere. Et credēdum est quod omnes, id est, & illi discumbentes, & illa mulier accedens ad pedes Domini, omnes hi nouerant hominē non posse peccata dimittere. Cùm ergo † omnes hoc nossent, illa quæ credidit eum posse peccata dimittere, plus quam hominem esse intellexit. Deniq; cùm dixisset mulieri: [*Dimittuntur tibi peccata tua.*] continuò ille: [*Quis est iste qui peccata dimittit*]? Quis est iste quem iā mulier peccatrix cognouit? Tu recumbens quasi sanus, medicū ignoras, quia maiori forsitan febre mentem etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens, ploratur à sanis. Tamē illud bene nostis, bene tenetis: Tenete, quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantùm, sed & Deum credidit. [*Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*] Et Dominus, quis est iste, dicentibus, non dixit: Filius Dei, verbum Dei: non hoc dixit. sed in eo quod putabāt, aliquantum eos manere permittēs, soluit quæstionē & motus illorū. Qui enim videbat discūbentes, audiebat cogitātes. [*Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluā fecit. Vade in pace.*] Isti qui dicūt: [*Quis est iste qui etiā peccata dimittit?*] qui me putāt hominē, hominē putent. [*Fides tua te saluā fecit.*] Medicus bonus ægros non solū præ-

† alias, eum hominem nossent.

Ioannis. 1.

ſentes ſanabat, ſed & futuros etiã præuidebat. Futuri erãt homines, qui dicerẽt: Ego peccata dimitto, ego iuſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quẽcunq; baptizo. Ex ipſo et iſti numero ſunt, qui dicũt: Noli
Iſai. 52. me tãgere: Vſq; adeo ex ipſo numero ſunt, vt nuper in collatione noſtra, quod etiã in geſtis ipſis loqui poterimus, cum eis à cognitore eſſet conſeſſus oblatus, vt ſederent nobiſcum, reſpõdendum putarent: ſcriptum eſt nobis cum talibus non ſedere: ſcilicet ne per cõtactum ſubſelliorum ad eos velut
Ibidem. noſtra contagio perueniret. Vide ſi non eſt: Noli me tangere, quia mundus ſum. Alio autem die vbi oportunius erat, cõmemorauimus eos huius miſerrimæ vanitatis, cùm ageretur de Eccleſia, quia mali in ea non contaminant bonos: Reſpondimus eis, quia ideo ſedere nobiſcum noluerunt. Et dixerunt ſe ſcriptura Dei fuiſſe commonitos, quia
Pſal. 25. videlicet ſcriptum eſt: Nõ ſedi in cõſilio vanitatis. Diximus, ſi ideo ſedere nobiſcum noluiſtis, quia ſcriptum eſt: Non ſedi in cõcilio vanitatis: quare nobiſcum ingreſſi eſtis, cùm cõſequenter ſcriptum
Ibidem. ſit: Et cum iniqua gerentibus non introibo? Ergo
Iſai. 52. in hoc quod dicunt: Noli me tangere, quia mundus ſum, ſimiles ſunt illi Phariſæo qui Dominum inuitauerat, & ꝑpterea eum putabat neſciſſe mulierem, quia nõ eam prohibuerat à cõtactu pedum ſuorum. Sed in eo Phariſæus melior, quia cùm putaret hominẽ Chriſtum, nõ credebat ab homine poſſe dimitti peccata. Melior ergo Iudęis quàm hæreticis apparuit intellectus. Iudæi dixerunt: [*Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?*] Audet ſibi homo hoc vſurpare? Quid contrà hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico. Reſpõdeat illi, non ego, ſed Chriſtus: O homo, quando ego à Iudæis putatus ſum homo, dimiſſionẽ peccatorum

fidei

fidei dedi. Non ego, sed respōdet tibi Christus: O hæretice, tu cùm iis homo, dicis: Veni mulier, ego te saluā facio. Ego cum putarer homo dixi, [*Vade mulier fides tua te saluam fecit.*] Respōdent, nescientes (sicut ait Apostolus) neque quę loquuntur, neq; de *1. Timo. 1.*
quibus affirmant: Respōdent & dicunt: Si non dimittūt homines peccata, falsum est quod ait Christus: Quæ solueritis in terra, soluta erūt & in cœlo. Nescis quare hoc dictū sit, quomodo dictum *Matth. 18.*
sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum *et Ioā. 20.*
sanctum, & ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominū volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus, mecū quære medicum. Nā vt hoc euidenter ostenderet Dominus, à Spiritu sancto quē donauit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum; quodam loco sic ait, resurgens à mortuis: Accipite Spiritū sanctum, *Ioan. 20.*
& continuò subiecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit, nō vos. *Ioan. 4.*
Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum: Quid estis vos? Nescitis *1. Corin. 3.*
quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum: Nescitis quia corpora vestra tē- *1. Cor. 6.*
plum est in vobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus, In Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viua templa sunt. Sed qui dimittit per hominē, potest dimittere & præter hominem. Neque enim minus est idoneus per se dare, qui potest per alium dare. Per Ioannem quibusdā dedit. Ipsi Ioanni per quē dedit? Meritò volens Deus hoc *Actuū. 8.*
ostendere, vt huic veritati attestari: cùm quidā in Samaria Euangelizati essent, & baptizati essent: & baptizati à Philippo Euangelista vno de septem

Actuū. 6. Diaconis primitus electis, non acceperunt Spiri-
Actuū. 8. tum sanctúm, & baptizati erant. Nunciatū est Discipulis qui erant Ierosolimis, & venerunt ad Samariā, vt illi qui baptizati erant, per impositionē manus eorū acciperent Spiritum Sanctum. Et ita factum est. Venerunt, & imposuerunt eis manus, & acceperunt Spiritum sanctum. Quia tūc sic dabatur Spiritus Sanctus, vt etiam appareret datus.
Actuū. 2. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium gentium loquebantur, vt significarent Ecclesiam in Gentibus linguis omnium loquuturam. Acceperunt ergo Spiritum Sanctum, & eis euidenter ap-
Actuū. 8. paruit. Quod cùm vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse & suū. Quod hominum putauit, ab hominibus emere voluit. Quantam (inquit) à me vultis pecuniam sumere, vt per impositionem manuum mearum detur Spiritus Sanctus?
Ibidem. Tunc eū † detestatus Petrus, ait: Non est tibi pars
† alias neque sors in hac fide. Donum Dei putas pecunia
detestās comparādum? Pecunia tua tecum sit in perditionem: & cætera quæ ibi congruenter loquutus est. Quare autem ego hoc cōmemorare volui, intēdat charitas vestra. Oportebat vt Deus prius ostenderet se per homines operari: sed deinde per se ne putarēt homines quod putauit Simon, hominis illud esse non Dei, quanquam & ipsi Discipuli hoc no-
Actuū. 2. uerant. Nam centum viginti homines collecti erant, quando in eos per nullius manus impositionem venit Spiritus sanctus. Quis enim eis tūc manus imposuerat? Et tamē venit & prius impleuit.
Actuū. 8. Post illud scandalum Simonis quid egit Deus? Videte doctorem non sermonibus sed rebus. Idem
† alias ipse Philippus qui baptizauerat homines, & nō in
cōuenissent eos venerat Spiritus sanctus, nisi † cùm iam venirēt Apostoli & eis manus imposuissent: Baptizauit

Eunuchum,

Eunuchum, id est, spadonem quendā Candacis reginæ, qui adorauerat in Ierusalem, & rediens inde legebat in curru suo Isaiam Prophetam, & nō intelligebat. Admonitus Philippus accessit ad currū, exposuit lectionem, instruxit fidem, euāgelizauit Christum. Credidit Eunuchus in Christum, & ait cùm venissent ad quandam aquam: Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Ait illi Philippus, Si credis in Iesum Christum? Respondit ille: Credo filium Dei esse Iesum Christū. Continuò descendit cum illo in aquam. Impleto baptismatis mysterio & sacramento, ne hominū putaretur donum Spiritus sancti, non expectatum est (sicut tunc) vt venirent Apostoli, sed continuò venit Spiritus sanctus. Soluta est Simonis cogitatio, ne in tali cogitatione haberet imitatores. Deinde aliud mirabilius exemplum. Petrus venit ad Centurionē Cornelium, ad hominē incircuncisum, gentilē, cœpit prædicare Iesum Christū, & illi, & eis qui cum illo erant. Adhuc loquente Petro, nō dico, nondum imponente manū, sed nondū etiā baptizante: cū dubitarēt qui erant cū Petro, vtrū incircuncisi baptizādi essent. Natū quippe erat inter eos qui crediderant, & eos qui fideles ex gentibus † facti erant, scandalū. Iudæi christiani, id est, † ex Iudęis christiani, quia baptizabātur incircuncisi, vt hanc tolleret Deus quęstionē, cum loquitur Petrus, venit Spūs sanctus, impleuit Corneliū, impleuit eos qui cū illo erāt. Et ipsa attestatione rei magnæ, quasi acclamatū est ad Petrū. Quid de aqua dubitas? Iā ego hic sum. Secura ergo quęlibet anima à multa nequitia per Dñi gratiam se liberandā, tanquā immunda prostitutione mundāda in Ecclesia credat, accedat ad pedes Dñi, quærat vestigia Dñi, cōfiteatur lachrymas fundēs, tergat capillis suis Pedes Dñi, prædicatores Euangelij.

Ibidem

Act. 10.

† alias sancti

† Iudęos et Christianos, qui

geiij. Capilli mulieris, superfluæ possessiones. Tergat capillis, tergat prorsus, operetur misericordiã, & cũ terterit osculetur, accipiat pacem vt habeat charitatem. Accessit ad talem, baptizata est à tali qualis erat Apostolus Paulus, audiat ab illo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Baptizata est autẽ ab aliquo sua quærente, non quæ Iesu Christi, audiat à Domino: Quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite. Secura sit & in illo, siue in bonam Euangelistã incurrat, siue in eum qui quod dicit non facit. A Domino enim secura audiet: Vade mulier, Fides tua te saluam fecit.

1. Cor. 4.
Philip. 2.
Matth. 23.

CAPITIS OCTAVI ARGVMENTVM.

Christus positam varij seminis parabolam interpretatur, matrẽ & fratres qui sint docet, mare traijciens excitatus ventum sedat, legionem ab homine mittit in porcos, regressus Iairi filiam (hæmorroissa curata) suscitat.

CAPVT VIII.

ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prędicans & euangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.] Dæmones dicuntur (quoniam vocabulum Græcum est) ob scientiam nominati. Vbicunque autem

Tomo. 5. De Ciuit. Dei. Libro. 9. Capit. 19. & 20.

rem sacrarum literarum hoc nomen positum reperitur, siue dæmones, siue dæmonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus. Expulit autem septem, vt omnia crimina simul eijcienda doceret. [*Obserua.*] Expulsio dæmoniorum, remissio peccatorũ est: eo vtique quo diabolus peccatorum pater atque origo sit, per id quod efficitur, id quod efficit. Et vtique expulsio dæmoniorum est remissio peccatorũ, tanquã resoluta causa, per quam hominis animam possidebat. [*& Ioanna vxor Chuze procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*] Omne quicquid ab auctoribus nostris gestum est, rationabiliter gerebatur, vt posteris nobis aduersus præuaricatores munita vndique autoritas traderetur, propter hæresim amputandam, quam alibi tractauimus, de assumẽdis fœminis, quod siue per semetipsum, siue per seruos suos Dominus paululum relaxauit, ne nimio rigore in totum Domini fabrica dãnaretur. Præuidebantur à Domino hæretici qui nuptias auferrent, & quod Deus iunxit (contra naturæ principium & contra Euãgelium) separare contenderent. Quibus interdicens iam tũc autoritas parabatur, ne maritatæ mulieres accedere vetarentur ad Christũ, cui in presentia seruirent: sed non sine moderamine fuit etiam ipsa permissio procurata, quę nõ sibi operabatur quod gerebat, sed cæteris. Nam si allocutus est Dominus Samaritanam ad horã, docuit & recessit: nec defensionem continuãdis excessibus fecit. Ad horam quoque Martham passus est ministrantẽ. Sed quid erat aliud Domino nisi prandia regni cœlestis ministrare? Nunquid sub Domino non fuere conuiuia? Aut sub maiestate eius erat alius cibus aut potus quàm disciplina tantũmodo qua pasce-

Tomo. 4. De vera & fals. penitentia Capit. 9.
Tomo. 7. Cõtra Iulianũ Pelagianum. Libro 6. Capit. 8.
Tomo. 4. De Singularitate Cleric. Capit. 15.
Genes. 2. Matt. 19.
Ioan. 4.
Luc. 10.

batur,

batur, testante Domino & dicente: Meus cibus est
Ioan. 4. vt faciam voluntatē eius qui misit me? Sic Apostolos mulierū comitatus decebat, non vt perderent, sed vt discerent reuerentiam, & propter humanitatis exhibendū ministerium sequebantur, sicut hîc in Euangelio de Domino & ipsis pariter memoratur: [*Et factum est, inquit, post hæc, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres quæ erant curatæ à spiritibus immundis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalena, de qua dæmonia septem exierant, & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant illi de facultatibus suis.*] Nunquid adhærebant singularibus singulares, aut indisciplinatæ commorationes perseuerabant, illecebroso consortio conuersantes, vbi tota Ecclesia propemodū, non vt ad conuiuationes improbas: sed ad discenda bonæ conuersationis studia, sequeretur. &c. [*Cùm autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat seminare semen suum: dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli commederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum, aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.*]
Tomo 10. De Sanctis Serm. 42. Quid enim pertimuit seminator quod aliud cecidit in via, aliud in petrosa loca, aliud inter spinas? Si istas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perueniret. Quid ad nos? quid nobis est iam de Iudæis disputare, & loqui de palea? Hoc solum ad nos ne via simus, ne saxum, ne spinæ, sed terra bona. [*Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.*]
Tomo. 10. De Verbis Domini Serm. 18. Quis ante illum sine corporeis auribus stabat? Quas ergo alias aures, nisi interioris hominis requirebat? Quas nō omnes habere, procul dubio, nouerat.

nouerat. A quo autem habeant, quicunq; habent, ipse Dominus ostendit, vbi ait: Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes. [*Aures ergo audiendi*], ipsum est donũ obediendi, vt qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à patre ipsius. [*Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes, non videant, & audientes, non intelligant.*] Parabola, alicuius rei similitudinem præ se gerit, quod licet sit vocabulum Græcũ, iam tamen pro Latino vsurpatur. Et notum est quod in Parabolis quæ dicuntur, rerũ similitudines rebus de quibus agitur, cóparantur. [*Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, ij sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes, salui fiant. Nam qui supra petram, hi sunt qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum. Et radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*] Quæ est radix? Charitas. Hoc enim dicit Apostolus, vt in charitate radicati & fundati. Quomodo enim radix omnium malorum est cupiditas, sic & radix omnium bonorũ est Charitas. [*Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, ij sunt qui in corde bono & optimo audientes, verbũ retinent, & fructum afferunt in patientia.*] Sonet itaque verbum Dei volentibus opportunè, nolentibus importunè: Inuenit sibi locũ, inuenit corda vbi requiescat, inuenit terram vbi germinet & fructũ ferat. Nam quia multi mali sunt, & iniquos portat Ecclesia vsque in finem, manifestũ est, Et hi sunt quibus verbum Dei superfluum est; & aut sic in illos cadit, quomodo semen in via conculcatur, & à volatilibus colligitur. Aut sic in eos

Tomo. 7. De Bono Perseu. Libro. 2. Capit. 14. Ioan. 6.

Tomo. 8. Psalm. 77

Tomo. 8. Psalm. 90 Ephes. 3. 1. Timo. 6.

Tomo. 8. Psal. 128.

cadit,

cadit, quomodo semen in petrosa loca, vbi nō habet terram multam, statim exijt, & calefacto Sole arescit, quia non habebat radicem: Aut sicut inter spinas, quod & si germinet & conetur in auras surgere, suffocatur tamen multitudine spinarum. Tales autem sunt qui verbū Dei cōtemnunt, sicut via: aut qui ad horam gaudēt, & facta tribulatione, sicut ab æstu Solis, arescunt: Aut qui cogitationibus & curis & solicitudine huius mūdi, tanquam spinis auaritiæ suffocant quod in illis cœperat germinare. Est † etiam terra bona, quo semen cùm ceciderit offert fructum, aliud Tricenū, aliud Sexagenum, aliud Centenū. Siue parum, siue multum, omnes in horreo erunt. [*Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.*] Qui verbum Dei timore carnalium incōmodorum abscondit, ipsam vtique carnē præponit manifestationi veritatis, & ea quasi cooperit verbum timendo prædicare: eam itaque vasis & lecti nomine appellauit, sub quo Lucernam ponere ait eum qui hoc facit. [*Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, & in palam veniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: quicunque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.*] Dabit ergo habentibus, id est, Cùm benignitate vtentibus eo quod acceperunt, adimplebit atq; cumulabit quod dedit. Quod non habet auferri non potest, sed aliud non habet, vt meritò auferatur quod habet. Non habet charitatem vtendi, vt auferatur quicquid aliud habet, quod sine charitate non prodest. [*Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba, & nuntiatum est illi: Mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre.*] Fratres autem siue sorores, generali nomine consanguineos vel consan-

† autem

Matth. 13.

Tomo. 4. Quæstion. Euang. Libro. 2. Capit. 12.

Tomo. 5. De Doct. Christiana Libro. 1. Capit. 1.

Tomo. 4. Ad Simpl. Lib. 2. Questio. 1.

Tomo. 6. Cōt. faust. Libro. 22. Capit. 35.

consanguineos solere apud veteres appellari, scriptura teneatur. Nam & Tobias dicit Deo cũ oraret, antequam misceretur vxori: Et nunc Domine tu scis, quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam: cùm esset illa non ex concubitu eiusdẽ patris, nec ex eodem matris vtero, sed ex eadẽ stirpe cognationis exorta. Et Loth, frater Abrahæ dicitur, cũ patruus eius esset Abrahã: Ex qua † vi vocabuli etiam fratres Domini vocantur in Euangelio, non vtique quos Maria virgo pepererat, sed ex eius consanguinitate omnes propinqui. [*Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.*] Hoc adiũxit, ne quisquam in hoc vocabulo terrenã cognationẽ cogitaret. [*Factum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum, & ascenderunt. Et nauigantibus illis obdormiuit, & descendit procella venti in stagnum, & compellebantur & periclitabantur.*] Dormire dicitur Deus, cùm fides eius inter prospera huius mundi in quorundã fidelium corda non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem Saluator noster in se significauit, cùm in naui inter fluctus maris dormiuit. Vel certè dormire Dei est, electis suis in tribulationib⁹ huius mũdi positis tardius subuenire. Sicut illud in Psalmo: Exurge, quare obdormis domine? [*Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor perimus. At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ, & cessauit & facta est tranquillitas. Dixit autem illis: vbi est fides vestra?*] Excitatus Christus, excitauit fidem: vt quod in naui factum erat, fieret in cordibus eorum. Quando enim Deus permittit aut facit vt aliqua tribulatione vexemur, tunc misericors est, quia excitans fidem & differens in opere, non auxilium negat, sed desiderium mouet. [*Qui timentes mirati sunt ad inuicem,*

Tobiæ 8. *Ibidem 6.* *Gen. 13. 11.* †consuetudine. *Matt. 12.* *Tomo. 6. Cont. fast. li. 22. c. 39* *Tomo. 4. De Essentia Diuinitat. M.* *Psal. 43.* *Tomo. 8. Psal. 45. Parte 11. De vera Innocentia*

Tomo 8. *dicentes: Quis putas hic est? Quia & ventis & mari imperat & obediunt ei.*] Dominus dormiebat in naui; & ideo
Psal. 34. fluctuabat nauis, quia dormiebat Iesus. Nam si illic vigilaret Iesus, nō fluctuaret nauis. Nauis tua, cor tuum. Iesus in naui, fides in corde. Si meministi fidei tuæ, non fluctuat cor tuū: Si oblitus es fidē tuam, dormit Christus, obserua naufragiū. Veruntamē quod restat fac, vt si dormierit excitetur: dicas illi: Domine exurge, perimus: vt increpet ventos, & fiat tranquillitas in corde tuo. Recedēt enim omnes tentationes, aut certè nihil valebūt, quando Christus, hoc est fides tua, vigilauerit in corde tuo. [*Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cum de naui egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum procidit ante illum, & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altißimi? Obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio. Quia intrauerant dæmonia multa in eum. Et rogabant illum, ne imperaret illis vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.*] Certi tamen mysterij gratia, & certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, vt ostenderet diabolum in eis dominari qui vitam porcorum gerunt. Quemadmodum de porcis manifestum est, quod in eis non issent, nisi permissi essent: sic intelligendum est, nihil eos in quenquam posse, nisi permissos. Permitti autem iustitia, qua reguntur omnia, siue probationis

Tomo. 9. Expos. in Psal Ioan. Tr. 6.

Tomo. 4. Annot. in Iob. ca. 31.

tionis causa, siue vindictæ, vel ad damnationem vel ad correctionem irrogatæ. Si in porcos non sunt ausi intrare dæmones, nisi à Deo permissionem acciperent: quis ita erit infidelis, vt eos bones Christianos credat posse ledere, nisi Deus propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc Deus ex caussis duabus, vt aut nos probet, si boni sumus, aut corrigat, si peccatores. *Tomo 10. De temp. Serm. 24.* [*Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem & villas. Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem à quo dæmonia exierant vestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nuntiauerunt autem illis & qui viderant quomodo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt eum omnis multitudo regionis Gerasenorum, vt discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem prædicans, quanta illi fecisset Iesus.*] Quod in regione Gerasenorum curauit dominus eum in quo erat legio dæmonum: significatæ sunt gentes quę multis dæmonibus seruiebant. Quod sine vestimento erat, non habebat fidem. Quod in domo non habitabat, in conscientia sua non requiescebat. Quod in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc est peccatis, delectabatur. Quod autem compedibus ferreis & catenis ligabatur, significat graues & duras leges gentium, quibus & in eorum Republica peccata cohiberentur. Quod etiam vin- *Tomo 4. Quest. Euan. lib. 2. cap. 13.*

vinculis talibus diruptis agebatur à dæmonio in heremum, significat quod etiam ipsis transgressis legibus ad ea scelera cupiditate ducebatur, quæ iam vulgarem consuetudinem excederent. Quod autem in porcos pascentes in montibus dæmonia ire permissa sunt, significat immundos et superbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quod autem in stagnum præcipitati sunt, significat quod iam clarificata est Ecclesia, & liberato populo Gentium à dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt, cæca & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes ista nuntiauerunt, significat quosdam etiam primates impiorum, quãquam legem fugiant, potentiam tamen eius per gentes, stupendo & mirando prędicare. Quod Geraseni pergunt videre quod factum est, & inueniunt hominem vestitum, et mente sana sedere ad pedes Iesu, & cognoscentes quid factum sit, rogant Iesum vt ab eis discederet, magno timore perculsi: significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidẽ, sed nolle pati Christianã legem: dum dicũt quod eam implere non possunt, admirãtes tamen fidelem populum à pristina perdita conuersatione sanatum. Quod ille cupit iam esse cum Christo, & tamen dicitur ei: [*Redi in domum tuã, & enarra quanta tibi fecit Deus:*] Ex illa Apostoli sententia recte *Philip.1.* potest intelligi, cùm ait: Cupio dissolui, & esse cũ Christo: multo magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Vt sic quisque intelligat, post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, & seruiendum Euangelio propter aliorum etiam salutem, vt deinde etiam cum Christo requiescat: ne cum præpropere iam

re iam vult esse cum Christo, negligat ministerium prędicationis fraterni redemptioni accommodatum. [*Obserua.*] Quod verò Matthæus duos dicit fuisse qui Legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permissa est: Marcus autem & Lucas vnum commemorant, Intelligas vnum eorum fuisse personæ alicuius clarioris & famosioris, quem regio illa maximè dolebat, & pro cuius salute plurimũ satagebat: hoc volentes significare duo Euãgelistæ, solum cõmemorandum, indicauerunt de quo facti huius fama latius præclariusque flagrabat. Nec quod verba dæmonum diuersè ab Euangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli, cùm vel ad vnam redigi sententiam, vel omnia dicta possunt intelligi. Nec quia pluraliter apud Matthæum, apud illos autem singulariter loqui & ipsi narrent, quod interrogatus quid vocaretur, legionẽ se esse respondit, eo quod multa essent dæmonia. Nec quod Marcus dixit, circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte, quicquam repugnat. Grex enim porcorũ tam magnus fuit, vt aliquid eius esset in monte, aliquid circa montẽ. Erant enim duo milia porcorum sicut Marcus expressit. [*Factum est autem cùm rediisset Iesus, except illum turba. Erant autem omnes expectantes eum. Et ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit dum iret à turbis comprimebatur: & mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos*] Frustra curantes, & non sanantes, [*erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit.*] Fit imperito similis creator, & interrogat, non so-

Tomo, 4. De Conf. Euang. li. 1. cap. 24. Matth. 8. Marc. 5.

Matth. 8.

Marc. 5.

Ibidem.

Tomo 10. De temp. Serm. 155.

Ibi. Ser. 74.

 lum qui

lum qui hoc sciebat, sed etiam qui cætera præsciebat. Quasi sic ambularet vt à nullo prorsus corpore tangeretur, ita dixit: Quis me tetigit? [*Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant:*] Qui nesciebant quid esset factum, & videbant eum à turbis comprimi, & de vna quæ leuiter tetigerat fuisse solicitum. [*Præceptor turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exisse.*] Tanquam diceret Dominus. Tagentem quæro, non prementem. A turbis premitur, à paucis tangitur. Caro enim premit, fides tangit. Corpus ergo Christi multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit? [*Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: Filia fides tua salua m te fecit. Vade in pace.*] Fides nãque est bonorum omnium fundamentum, Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei cõsortium potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam gratiam exequitur iustificationis, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ visionis Domini nostri Iesu Christi. [*Adhuc illo loquente, venit quidam ad Principem Synagogæ, dicens ei, quia mortua est filia tua, noli vexare illum.*] Iesus autẽ qui sciebat se posse mortuos suscitare, non abstulit spem desperato, sed [*audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, Crede tantùm, & salua erit.*] Non diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmauit. Talis quippe in eo fides erat, qualis & in illo qui ait: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. [*Et cùm venisset ad domum, non permisit*

Tomo 10. De verb. Domini. Serm. 6.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 74.
Tomo. 10. De verbo. Domini Serm. 6.
Tomo. 10. De Temp. Ser. 74.
Tomo 9. In Epistolã Io. Trac. 6.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 38.
2. Corin. 5
Tomo 10. De Temp. Serm. 74:
Tomo. 4. De Cons. Euang. li. 2. ca. 28.
Marc. 9.

secum

ſecum intrare quenquam, niſi Petrum & Iacobum & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes & plangebant illam At ille dixit: Nolite flere, Non eſt mortua puella, ſed dormit.] Verũ dixit, dormiebat, ſed illi à quo poterat excitari. [*Et deridebant eum, ſcientes quia mortua eſſet. Ipſe autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuo. Et iußit illi dare mãducare. Et ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*] Filia illa Archiſmagogi ſignificabat populum Iudæorum & mortuorum, propter quem venerat Chriſtus, qui dixit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Illa verò mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur, Eccleſiam figurat ex gentibus, ad quam Chriſtus per præſentiam corporis non erat miſſus. Ad illam ibat, illius ſalutem intendebat: hæc intercurrit, tangit fimbriam quaſi neſcientis, Id eſt, ſanatur tanquam ab abſente. Dicit ille, Quis me tetigit? Quaſi diceret: Non noui hunc populum. Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Tetigit me aliquis. Ego enim ſenſi virtutem de me exiſſe, id eſt, Euangelium miſſum, totum orbem impleuiſſe.

Tomo. 10. De Verb. Domini Serm. 44. Tomo. 10. De Temp. Serm. 74. Matth. 15. Pſal. 17.

CAPITIS NONI
ARGVMENTVM.

Discipulos binos mittit, quibus reuersis in desertum secedens quinque hominum milia satiat, transfiguratus in monte curat lunaticum, atque Discipulorum de præsulatu dissidium sedat.

CAPVT NONVM.

Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.] Cur inquies ista modò non fiunt? Quia non mouerent, nisi mira essent. At si solita essent, mira nō essent. Nam diei & noctis vices, & constantissimum ordinem rerum cœlestium, annorum quadrifariā conuersionē, decedentes redeunteſq; frondes arboribus, infinitam vim seminū, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum saporumq; varietates da qui primū videat atq; sentiat, cū quo tamen loqui possumus, hebescit obruiturq; miraculis. Nos verò hæc omnia, non cognoscendi facilitate (quid enim causis horū obscurius?) sed certè sentiēdi assiduitate contēnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, vt his multitudine credentiū cōgregata atq; propagata, in ipsos mores vtilis cōuerteretur auctoritas. [Et misit illos prædicare Regnum Dei, & sanare infirmos.] Cum cæteris discipulis etiam Iudā ad prædicandum regnum cælorum misit, vt demonstraret dona Dei peruenire ad eos qui cū fide accipiūt, etiā si talis sit per quē accipiunt, qualis Iudas fuit. [Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neq; virgā neq; peram, neque panem, neque pecuniam, neq; duas tunicas habeatis.]

Tomo. 6. De vtilit. Credēdi ad Honoratū. Cap. 16.

Tomo. 8. Psal. 10.

Tomo. 4.

Solet

Solet queri quomodo Matthæus & Lucas cõme- *De Cõs. E-*
morauerint dixisse domini discipulus, vt nec vir- *uangel. li.*
gam ferrent, cùm dicat Marcus: Et præcepit eis ne 10 *Ca. 38.*
quid tollerent in via nisi virgam tantùm? Et se qui *Marc. 6.*
tur etiam ipse: Non peram, non panē, neq; in zo-
na æs: vt ostendat in eodē loco versari orationem
suam, in quo & illorum, qui dixerunt, nec vir-
gam ferendā. Quod ita soluitur, vt intelligamus
sub alia significatione dictam virgam, quæ se-
cundum Marcum ferenda est: Et sub alia illā quæ
secundum Matthæum & Lucam non est ferenda.
Sicut sub alia significatione intelligitur tentatio,
de qua dictum est: Deus neminem tentat. Et sub *Iacob. 1.*
alia, de qua dictum est, Tentat vos Dominus *Deuter. 13.*
Deus vester, vt sciat si diligitis eum. Illa sedu-
ctionis est, hæc probationis. Sicut Iudicium ali-
ter accipitur, de quo dictum est: Qui benefece- *Ioan. 5.*
runt, in resurrectionem vitæ: qui malè fecerunt,
in resurrectionem iudicij. Et aliter de quo dictum
est: Iudica me Deus, & discerne causam meam de *Psal. 42.*
gente nō sancta. Illud enim iudicium damnatio-
nis est, hoc discretionis. Et multa alia sunt verba,
quæ non habent vnam significationem, sed diuer
sis locis congruenter posita, diuerso modo intelli
guntur, & aliquando cum expositione dicuntur,
vt est illud: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia
paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Hoc enim *1. Cor. 14.*
breuiter clausa sententia dici potuit: Nolite esse
pueri, sed estote pueri. Et illud: Si quis putat se sa-
pientē esse, in hoc seculo stultus fiat, vt sit sapiens. *1. Corin. 3.*
Quid enim aliud dixit: quam, non sit sapiens, vt sit
sapiens? Aliquando autem clausæ ita dicuntur, vt
exerceant inquirentem, vt est quod ait ad Gala-
tas: Inuicem onera vestra portate, & sic adimple- *Galat. 6.*
bitis legem Christi. Qui enim putat se esse ali-

quid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſq;, & tunc in ſemetipſo habebit gloriam, & non in altero. Vnuſquiſq; enim propriũ onus portabit. Niſi oneris nomen ſub diuerſis ſignificationib' acceperis, proculdubio putabis eundẽ in loquendo ſibi eſſe contrarium, & hoc in vna ſentẽtia, tam vicinè poſitis verbis. Qui cum paulò ante diceret: Alter alterius onera portate, poſtea dixit: Vnuſquiſque proprium onus portabit. Sed alia ſunt onera participandæ infirmitatis, alia reddẽdæ rationis Deo de actibus noſtris. Illa cum fratribus ſuſtinẽda cõmunicantur, hæc propria ab vnoquoq; portantur. Ita & virga
1. Cor. 4. intelligitur ſpiritualiter, de qua dicebat Apoſtolus: In virga veniam ad vos. Et corporaliter qua vtimur ſiue ad equum, ſiue ad aliquid aliud opus fuerit; vt interim omittam & alias huius nominis figuratas ſignificationes. Vtrunque ergo accipiendum eſt à domino Apoſtolis dictum: [*Et vt nec virgam ferrent, & , vt non niſi virgam ferrent.*] Potuit etiam ſic breuiter dici: Nihil neceſſariorum vobiſcum feratis, nec virgam, niſi virgam tantum. Vt illud quod dictum eſt. Nec virgam, intelligatur, nec minimas quidem res. Quod verò adiunctum eſt, [*Niſi virgam tantum,*] intelligatur, quia per poteſtatem à domino acceptam (quæ virgæ nomine ſignificata eſt) ea quæ non portantur, non deerunt. Vtrunque ergo Dominus dixit. Hoc vero de duabus tunicis, intelligendum eſt, ne quiſquam eorum præter eam quam eſſet indutus, aliam portandam putaret, ſolicitus ne opus eſſet, cum ex illa poteſtate poſſet accipere. [*Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum veſtrorum excutite, in teſtimonium*]

Tomo, 4. De Conſ. Euangel. Libro. 2. Capit. 30.

supra illos.] Aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent. Aut vt ostenderēt vsque adeo se ab ipsis nihil terrenū quærere, vt etiam puluerem de terra eorum sibi non paterentur adhærere. *Tomo. 4. Q. Euãg. sup. Matt. Cap. 7.*

[Egreßi autem circuibant per castella, euangelizantes & curantes vbiq;. Audiuit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eò quod diceretur à quibusdam quia Ioannes surrexit à mortuis, à quibusdam vero, quia Elias apparuit, ab alijs autem, quia Propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui. Quis est autem iste de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. [*Obserua.*]

Propheta nihil aliud est, nisi enunciator verborum Dei, hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire. *Tomo. 4. Lib. 2. Q. sup. Exod. Quest. 17.*

[Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcunque fecerunt, & assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaide. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur eis de Regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque quæ circa sunt, diuertant & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes & duo pisces, nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.]

Quinq; panes hordeacei quibus in monte dominus turbas pauit, significant veterem legem: Siue quia nondum spiritalibus sed adhuc carnalibus data est. Id est, quinque sensibus corporis dedites, nā & ipsę turbę quinq; milia hominū fuerūt. Siue quia per Moysen lex data est, Moyses enim quinq; libros scripsit. Et quod hordeacei erāt panes, bene significāt vel ipsam legem, quæ ita data erat vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis *Tomo. 4. 83. Q. Quæstion. 61. Ioan. 6.*

mentis obtegeretur. Hordei enim medulla tenacissima palea tegitur. Vel ipsum populum nõdum expoliatum carnali desiderio, quod tãquam palea cordi eius inhærebat: id est, nondũ corde circuncisum: Ita vt nec trituratione tribulationũ cũ per deserta quadraginta ãnis duceretur, intellectu reuelato, carnalia integumenta deponeret, sicut nec hordeũ areæ tritura illo paleari tegmine exuitur. Itaq; illi populo cõgruenter lex talis data est. Duo autem pisces qui saporem suauẽ pani dabãt, duas illas personas videntur significare quibus populus ille regebatur, vt per eas consiliorũ moderamẽ acciperet, Regiam scilicet et Sacerdotalẽ, ad quas etiã sacrosancta illa vnctio pertinebat. Quarũ officiũ erat procellis & fluctibus popularibus nunquam frangi atque corrumpi, & violentas turbarũ contradictiones, tanquã aduersantes vndas sepè dirũpere, interdũ ei (custodita sua integritate) cedere: prorsus more piscium tanquã in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versari. Quæ tamen duæ personæ dominum nostrũ præfigurabant. Ambas enim solus ille sustinuit: & non figuratè, sed propriè solus impleuit. Nam & rex noster est Iesus Christus qui nobis pugnandi & vincendi monstrauit exemplum, in carne mortali peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici, neque illecebrosis, neque terribilibus cedens. Postremo exuẽs se carne, principatus & potestates expoliãs fiducialiter, triũphans eas in semetipso. Itaq; ipso duce ab oneribus & laboribus huius peregrinationis nostrę, tanquam ab Ægypto liberamur: & persequẽtia nos peccata Sacramẽto baptismatis (nobis euadentibus) obruuntur: & quãdiu in spe sumus eius promissionis quã nondũ videmus, tanquã per deserta ducimur, cõsolante nos

Tomo.1. 2. lib. Retract. c. 26

Matt. 4.

Coloss. 2.

nos in ſanctis ſcripturis verbo Dei, ſicut illis manna de cœlo. Et eodem ipſo duce in Hieruſalē cæleſtem, tanquā in terram promiſſionis, introduci quos poſſe præſumimus, & in æternum ibi regnante ipſo & cuſtodiente ſeruari. Ita dominus noſter Ieſus Chriſtus oſtenditur Rex noſter. Ipſe eſt etiam Sacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſſionis memoriā cōmendauit, vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum, Chriſti in Eccleſia videamus offerri. &c. [*Erant autem ferè viri quinque milia*] Exceptis mulieribus & pueris. Quod mihi videtur ad hoc pertinere, vt intelligamus & in populo veteris teſtamēti fuiſſe quoſdam infirmos ad implendam iuſtitiam quæ ſecundum legem eſt: in qua iuſtitia Apoſtolus Paulus ſine querela ſe conuerſatū eſſe dicit. Fuiſſe item alios qui facile ſeducerentur in cultum Idolorum. Quæ duo genera, id eſt, infirmitatis & erroris, mulierū & puerorum nominibus figurata ſunt. Infirmus eſt enim mulierum ſexus ad actiones, & facilis ad luſum pueritia. Quid autem luſui puerili, tam ſimile eſt, quàm idola colere? Quando & Apoſtolus ad hoc retulit hoc genus ſuperſtitionis, cùm ait: Neque idolis ſeruientes, quemadmodum quidam eorum, ſicut ſciptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Mulieribus ergo ſimiles erant, qui in laboribus expectationis quouſque ad promiſſa dei peruenirent, nō viriliter perſeuerantes, tentauerunt Deum: Pueris autem, qui ſederunt manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Et ideo in veteri teſtamento tales non admittuntur ad numerum. [*Ait autem ad diſcipu-*

Exod. 16. *Pſal. 109.* *Matt. 14.* *Philip. 3.* *1. Corz. 10* *Exod. 32.* *Ibidem*

discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos, & ita fecerunt, & discubuerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, suspexit in cœlum, & benedixit illis & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.] Qua-propter & panem de paruo semine iuxta inferiorem rationem, in magnam segetem, per longi temporis administrationem innumerabilium hominum pastum procreat: quem secundum superiorem rationem, de materia modica, in momento, per benedictionem multiplicat. Sic & pisces per primam benedictionem multiplicat, quando dictum est: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris. Quorum nunc carnes, per superioris rationis causam, ad turbarum saturitatem præsenti benedictione multiplicantur. [*Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.*] Quod autem de reliquijs fragmentorum duocim cophini buccellarum repleti sunt; significat de ipsius legis ad apertione & disputatione, quam Iudæi reliquerant & deferuerant, repletos fuisse discipulos Domini, in quibus duodenarius numerus principatum tenet.

Tomo. 3. De Mirabilibus sac. script. Li. 3. capit. 9.

Genes. 1.

Tomo. 4. oct. trium Q. Quest. 61.

[*Obserua.*] In quinque panibus & duobus piscibus, quinque milia saturantibus, continentur miratione digna tria, scilicet: Materiæ paucitas, & populi saturati multitudo, & copia fragmentorum. [*Et factum est, cum solus esset orans.*] Solũ dixit, sine turbis, quę cũ illo nõ habitabãt. [*erãt cũ illo & discipuli, & interrogauit illos, dicens Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt & dixerunt: Ioannem baptistam, alij autem Eliam, alij vero quia vnus Propheta de prioribus surrexit. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Christum Dei.*] Quia excellenter vnctus, ideo Christus. Christus enim vnctus, à chris-

Tomo. 3. De Miral. sac. script. lib. 3. ca. 7

Tomo. 4. De Cons. Euan. lib. 2. cap. 47

Tomo. 8. Psal. 103.

chrismate dictus est Christus. Messias hebraicæ, Græce Christus, Latine vnctus. [*At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.*] Venit enim accipere contumelias, & dare honores. Venit haurire dolorē, dare salutē. Venit subire mortē, dare vitā. [*Dicebat autem ad ōnes. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suā quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animā suā saluā facere, perdet illā.*] Nō vtilitatē vetare putādus est, qua debet quisque cōseruare animā suā, sed figurate dictū: [*perdat animam suam:*] Id est perimat atque amittat vsum eius, quem nunc habet, peruersum (scilicet) atque præposterum, quo inclinatur temporalbus, vt æterna non quęrat. Hinc est, quod scriptum est: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quid enim præciosius quam mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur. [*Nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.*] Id est, Quisquis propter Deū vitam hanc, quæ nunc corporis viuificatione ex anima tēporaliter mortalis cōstat, libēter despexerit: in futuro eandē corporis, non solum animæ, vitam æternam & immortalitatē recipiet. [*Quid enim proficit homini si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?*] Pereat ergo mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. [*Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.*] Oporret ergo vt habeat Christianus irreuerentiam, quando venerit inter homines quibus displicet Christus. Si erubuerit de Christo, delebitur de libro viuentiū. Opus est ergo vt habeas irreuerentiam, quando tibi de Christo insultatur,

Tomo. 8. Psalm. 30

Tomo. 3. De Doctrina Christiana. Lib. 3. Cap. 16.

Tomo. 5. De Ciuitate Dei. lib. 13. cap. 7.

Psal. 115.

Tomo. 3. De Spiritu & anima ca. 9.

Tomo. 8. Psal. 103.

sultatur, quando dicitur: Cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occisi. Hæc si erubueris, mortuus es. Sententiam quippe ipsius vide qui
Matth. 10. neminem fallit: [*Qui me erubuerit coram hominibus, & erubescam eum coram Angelis Dei*] Obserua igitur tu, sit in te irreuerentia. Frontosus esto quando audis opprobrium de Christo. Prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? hoc est enim quod Psalmista ait: Propter
Psalm. 68 te sustinui exprobrationem. Et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, operuit irreuerētia faciem meam. [*Dico autem vobis vere sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei.*] Gustabunt, pro eo quod est, experientur. [*Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum & Iacobum & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret.*] Quod autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Mathæus: Lucas autem post octo, non contemnendi sunt si quos mouet, sed ratione reddita instruendi. Dies enim, quādo enuntiamus, dicentes: Post tot dies, aliquando non enumeramus eum in quo loquimur, & eum quo res ipsa futura est quam prænuntiamus vel pollicemur, sed medios, post quos reuera plenos atq; integros illud futurum est. Hoc fecit Mattheus & Marcus, excepto eo die quo hæc loquebatur Iesus, & illo quo exhibuit memoratam in monte visionem, medios dies intuentes, dixerunt. Post dies sex. Quod ille annumeratis finalibus, id est, primo atque vltimo, dixit: Post octo dies, eo loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur. Trophus est enim Synecdoche, qui aut à parte totum, aut à toto partem facit intelligi. Vtrūque enim verum esse non posset, quod de numero dierum dictum est; nisi ille qui dixit; post dies

Tomo. 9 In Euang. Ioā. Tract. 4; Tomo. 4. De Cons. Euan. lib. 2 cap. 56. Marc 9. Matt. 17. Matt 17. Marc. 9. Tomo. 2. De Doctrina Christiana. Libro. 3. cap. 16. 36.

octo, intelligatur partem nouissimam diei ex quo id Christus prædixit futurum, & partem primã diei quo id ostendit impletum, pro totis diebus duobus atq; integris posuisse: Is vero qui dixit, Post dies sex, integros omnes & totos, sed solos medios cõputasse. [*Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus & fulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Ierusalem.*] Qui sũt Moyses & Elias, nisi Lex & Prophetæ? Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo: ostendebant quæ predixerant, manifestabant quæ prophetauerant. Loquebantur. Putas quid loquebantur? Vt Iudæi conuincerentur, Pagani conuerterentur, Manichæi confunderentur, heretici comprimerentur, Catholici confirmarentur. Loquebatur lex & gratia, lenitas & asperitas, terror & mansuetudo, præceptum & adiutorium, ferramentum & medicus, vmbra & lux, præco & Iudex, sententia & misericordia. Et quid postea? [*Petrus verò & qui cum illo, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula; vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ, Nesciens quid diceret.*] Quid dicis sancte Petre? Mundus parturit, & tu secretum petis? Vides tot gentes in vnum conuenisse, & tu requiem queris? Vides tenebras mundi, & tu lumen abscondis? Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Ista domus totus est mundus: Lucernæ accensio, verbi incarnatio: Candelabrum autem crucis est lignum: Lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens.

Tomo. 6 De Quinq; Heres. cap. 7.

Matt. 5.

Ibidem. Nemo accēdit lucernam & ponit eā sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Vides tu, videamus & nos. Tenebræ sunt, non offendamus in Paganis, non erremus cum hereticis. Luceat nobis lucerna, doceat nos
Ioan.1. verbū in carne. Videamus quid dicit Euangelista, videamus si admissum est consilium Petri. [*Hæc autem illo loquente, facta est nubes & obumbrauit eos, & timuerunt intrantibus illis in nubem, & vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*] Omnes audiamus, nemo aures claudat. Audiant Pagani irrisores, audiant Iudæi persecutores, audiant Manichæi phantasma somniantes, audiant heretici erronei litigatores: Audiant & maximè audiant etiam Catholici, fideles Dei cultores. Isti audiant vt instruantur, illi vt corrigantur: Aut isti audiant ne seducantur, Illi vt puniantur. Quid dicit vox de nube? [*Hic est filius meus*
Matth.17. *dilectus in quo mihi complacuit.*] Vbi estis qui aduersamini filio Dei? Pater dicit, [*Hic est filius meus:*] & tu dicis, non habet filium Deus. Tu Pagane quid stas foris & murmuras? Intra huc in scholam Dei, aperi aures cordis tui, audi vocem Domini tui, & disce filium Dei. Quò fugietis Iudæi, qui occidistis filium Dei? Quò fugietis, vbi vos abscondetis? Qui montes, quæ petræ super vos casuræ sunt? Et si in cauernis petrarum vos absconderitis, inde extraham vos, dicit Dominus. Sed & vos venite, intrate, consilium meum audite, desperare nolite, quoniam sunt reliquiæ
Psalm.36 homini pacifico. Sęuistis, occidistis, sanguinem Christi fudistis, increduli fuistis, in periculo positi estis. Quid ergo facere nunc habetis, nisi vt credentes baptizemini, & baptizati bibatis sanguinem quem fudistis, non est quod horreatis.

Fusus

Fusus est sanguis medici, & factus est medicamentum phrenetici. Quid dubitatis? Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Quid tu Manichæe, quamdiu phantasmata somniabis? Euigila & vide, nubila tonant. Quid tonant? [*Hic est filius meus dilectus.*] Vide in terra hominem verum, audi de cælo Deum verum. Vide in terra hominis filium, audi de cælo Dei esse filium. Vtrumque verum esse cognosce, id est, Deum & hominem: Filium Dei & filium hominis, vnum eundemq; esse Deum & hominem. Agnosce hominem & placabis Deum. Caue ne offendas in petra, ne mortis patiaris ruinam: quia quod tu somnias, vanitas est, quod Deus tonat, veritas est. Audi tu Sabelliane, audi de cælo patrem, vide in terra filium, & noli dicere: Idem pater qui filius. Audi & tu Arriane, & in patre & in filio noli errare, sed sequere vnitatem, & vide diuinitatem. Domine audimus, quid dicis de filio tuo? [*Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit.*] Et quid aliud? [*Ipsum audite.*] Gratias tibi Deus æterna virtus, gratias tibi Pater omnipotens, qui & filium tuum ostendisti, & mihi Doctorem dedisti. Recedat Sabellianus, recedat Arrianus, recedant cæteræ pestes, recedat omnis iniqua doctrina. Doceat Deus, non iniquus Arrianus: Doceat Dei filius, non filij aduersarius. [*Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus: & ipsi tacuerunt & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex ijs quæ viderant.*] Licet in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non tamen ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam foris videntibus quantum poterant concessit. Vnde ergo vestimenta candorem niuis habuerunt, dum neque de carne, neque de

Psalm. 33 · *Math. 17.* · *Tomo. 3. De Mir. sac. scrip. li. 3. ca. 10* · *Math. 17.*

diuinitate erant? Nisi forte vt per carnem diuinitas foris illuxit: sic & caro illuminata de diuinitate, per vestimenta radiauit. Moyses autem & Elias specialiter ad talem visionem, velut Legis & Prophetiæ principes, ad finem conducuntur. Vel ideo vt Moyses cornuta facie in quã non poterãt filij Israel intendere: Et Elias curru igneo raptus, comparati Christo obscurarentur. [*& infra.*] Sed dum Elias manens in corpore vel ad talẽ conductionẽ venerat: quid de Moyse dicendum est, vtrum in corpore iterũ ad hanc ostensionem aderat, an ex aere simulatũ, sicut Samuel visus est, habitum fingebat. Et si suo corpore venit indutus, si hac vice resurrectionem suam, quæ cæteris non nisi in nouissimo est futura compleuit? De qua questione autores vna eademq; sentẽtia prolata, non differenter dicunt, quod Dominus cum tribus discipulis suis & Elia, non cum imaginatis, se veris corporibus conuenisse non dubitãtur: Et ipse Moyses in suo vero corpore de sepulchro resumpto videtur Sed dominus Iesus primogenit⁹ mortuorum recte creditur: Moysi iterũ (post hanc visionem) corpus sepulturæ cõmendatum, vt ipsum in nouissimo die, quando resurgent mortui, assumere possit. [*Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa: Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum, & rogaui discipulos tuos vt eijcerent illum & non potuerunt.*] Sic multi clamant ad dominum pro diuitijs acquirendis, damnisque deuitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro fœlicitate temporali, pro dignitate seculari, postremò etiam pro ipsa salute

Tomo. 8. Psalm. 76

lute corporis, quæ est patrimonium pauperis. Pro his atque huiusmodi rebus multi clamãt ad dominum, vix quisquam propter ipsum dominũ. Quid est autem, [*Respice in filium meum,*] nisi miserere filij mei? Vnde plerunque egentes misericordia, dicimus homini: Vide me. Et de illo qui te contemnit, quid dicis? Non me videt. Quærit ergo visionem miserantis cordis, non punientis. [*Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cùm accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit.*] Est enim insita moleuolentia quædam & pernicies nocendi istis malis spiritibus: Gaudent de malo hominum, & de fallacia nostra. Si nos fefellerint, pascuntur. [*Obserua.*] Diuersa sunt dæmonia & disparem habentia voluntatem. Quædam enim sunt, quæ cùm perturbant animos, elidunt corpora. Quędam verò admiscentia se sanguini, generant animis † desideria. Alia autem cordi hominis se copulantia, suggerunt cum blanditijs contraria. Nonnulla autem sunt, quæ sola corpora obligant infirmitatibus: Sicut illam filiam Abrahæ, quam Dominus curauit. [*Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusq́ mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis, futurum est vt tradatur in manibus hominum.*] In manibus, Hoc est, In potestate. [*At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis eorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicunque susceperit pue-*]

Tomo.8. Psalm.32.

Tomo.8. Psalm.96

Tomo. 4. Q. Vet. & Noui Test. Q. 115.

† alias desidiã.

Luc.13.

Tomo.8. Psal.74.

rit puerum istum in nomine meo, me recipit. Et quicunque me receperit, recipit eum qui me misit: Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est] Magnus ergo esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantã quisque vult & disponit superimponere molem ædificij: quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentũ. Et fabrica quidem cùm construitur, in superna consurgit. Qui autẽ fodit fundamentũ, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinẽ humiliatur, & fastigiũ post humiliationem erigitur. Sic quoque, quãtũ humilitate inclinatur cor ad ima, tantũ proficit in excelso. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria. Et quãto quis humilior erit de seipso, tãto maior erit in conspectu Dei. Superbus verò, quanto gloriosior apparet inter homines, tanto deiectior erit ante Deum. Qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum puluerem portat. [*Respondens autem Ioannes, dixit: Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.*] Videndum est ne hoc illi sententiæ Domini putetur contrarium, vbi ait: Qui mecum non est, aduersum me est: & qui mecum non colligit, spargit. Quomodo enim iste non erat aduersus eum, qui cum illo non erat: de quo Ioannes suggessit, quod cũ illis eũ non sequebatur. Si aduersus illũ est, qui non est cũ illo, aut si aduersus illum erat, quomodo dicit Discipulis: Nolite prohibere, [*qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.*] An hoc interesse aliquis dicet, quia hic Discipulis ait. Qui nõ est aduersum vos, pro vobis est: Ibi autem de seipso loquutꝰ est: Qui mecũ nõ est, aduersum me est: Qua

Tomo. 10. De Verb. Dñi Serm. 10.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 213.

Tomo. 4. De Cons. Euangelistarũ. lib. 4. Capi. 5.

Matth. 12. Luc. 11.

Matth. 12 Luc. 1.

si vero

ſi verò poſſit cũ illo non eſſe, qui diſcipulis eius, tanquã mēbris eius ſociatur. Alioqui quomodo verũ erit: Qui vos recipit, me recipit. Et, Quando vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? Aut poteſt etiã non eſſe aduerſus eum, qui fuerit aduerſus Diſcipulos eius? Nã vbi erit illud: Qui vos ſpernit, me ſpernit; Et, Quando vni ex minimis meis non feciſtis, neque mihi feciſtis. Et, Saule, Saule, quid me perſequeris? cũ Diſcipulos eius perſequeretur. Sed nimirum hoc vult intelligi, in tantum non eſſe cum illo aliquem, in quantũ eſt aduerſus illum: & in tantum aduerſus illũ non eſſe, in quantum cum illo eſt. Exempli gratia: Sicut iſte ipſe qui in nomine Chriſti virtutes faciebat, & in ſocietate Diſcipulorum Chriſti non erat: Inquantum operabatur virtutes in illo nomine, in tantum cum ipſis erat, & aduerſus eos non erat: In quantum verò eorum ſocietati nõ adhærebat, in tantũ cum ipſis non erat, & aduerſus eos erat. Sed quia illi hoc eũ facere prohibuerant in quo cũ ipſis erat, dixit Dominus: [*Nolite prohibere.*] Illud enim prohibere debuerunt, quod extra eorũ erat ſocietatẽ, vt illi vnitatem Eccleſiæ ſuaderent, non illud in quo cum illis erat, nomen ſcilicet magiſtri & Domini eorum in dæmoniorũ expulſione commendans. Sicut Eccleſia Catholica facit, non improbans in hereticis Sacramēta cõmunia in his in quibus nobiſcum ſunt, & aduerſus nos non ſunt: ſed improbat & prohibet diuiſionem ac ſeparationem, vel aliquam aduerſam paci veritatique ſententiam, in hoc enim aduerſus nos ſunt quia in hoc nobiſcum non ſunt, & nobiſcũ non colligunt, & ideo ſpargunt. [*Factũ eſt autem dum cõplerentur dies aſſumptionis eius, et ipſe faciem ſuam firmauit vt iret Ieruſalem. Et miſit nũtios ãte cõſpectũ ſuũ,*

Matt. 10.
Matt. 25.
Luc. 10.
Matt. 25.
Act. 9.

& euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Ierusalem. Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Iohannes, dixerunt: Domine, Vis dicamus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare: & abierunt in aliud Castellum.] Reprehendit in eis Dominus, non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus: animaduertens eos non amore correctionem, sed in odio desiderare vindictam. [*Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocunque ieris: Dixit illi Iesus:*] In corde eius inuisibilia videns, [*Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.*] Hoc est, habitant in te insidiæ sicut vulpes, habitat superbia sicut cæli volatilia: Filius autem hominis simplex, contra insidias, humilis contra superbiam, non habet vbi caput suum reclinet. Et ipsa reclinatio capitis non erectio, humilitatis magistra est. Reuocat ergo istum ire cupientem, trahit alterum recusantem. Sequitur enim: [*Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.*] Piè quidem excusauit, & ideo dignior cuius excusatio remoueretur, vocatio firmaretur. Piũ erat quod facere volebat, sed docuit magister quid debuisset præponere. Volebat enim eũ esse viui verbi prædicatorẽ, ad faciendos victuros. Erant autẽ alij per quos illa necessitas impleretur. [*Dixitq́ ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.*] Infideles cadauer quando sepeliunt, mortui mortuũ sepeliunt. Illius corpus animã perdidit, illorũ anima Deum. Sicut enim anima est vita corporis, sic vita animæ

Tomo. 4. De Serm. Dñi in Mont lib. 1. 3. 4. Reg. 1.

Tomo. 10. De Verbis Dñi Serm. 6.

animæ Deus. Sicut expirat corpus cùm animam emittit, ita expirat anima cùm Deum amittit. Deus amissus, mors animæ: Anima emissa, mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. [*Et alter ait: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare ijs qui domi sunt.*] Credo hic sensus est: Nunciem meis, ne forte (quomodo fieri solet) quęrant me. [*Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei,*] Respicere retro, nihil aliud est, quam in eo quenquam pœnitere quod cœperit bonum, & rursum mundanis delitijs obligari. Quid ergo debeo facere? Quæ retro oblitus (quod ait Apostolus) in ea quæ ante sunt extentus.

Tomo, 10. De verbis Domi. Sermone. 7.

Tomo, 9. De Rect. Conuers. 5

Tomo 8. Psalm, 65.

CAPITIS DECIMI ARGVMENTVM.

Designatis interea Septuaginta duobus alijs Discipulis, proximum nostrum sub parabola incidentis in latrones designat, à Martha excipitur, & à Maria (ad pedes sedente) auditur.

CAPVT DECIMVM.

P*Ost hæc autem designauit Dominus et alios septuaginta duos,*] Linguas septuaginta duas esse, plurimi auctores consentiunt, quia in ędificatione turris illius in terra Sennaar, quæ nunc est Babylon, tot patres congregatos fuisse dicunt. Vnde et Dominus, septuaginta duos Discipulos (exceptis illis primarijs Apostolis) elegisse

Tomo, 3. De Mirab. Sacræ scripturæ. Lib. 1 Capite. 9. Numer. 11.

gisse

gisse, sermone Euangelij refertur: per quos postea in omnes Gentes idem Euãgelium prædicaretur. In quorum præfiguratione etiã ipse spiritus Moysi in septuaginta Senioribus distribuitur aliis duobus qui in castris resederãt, Heldad videlicet & Medad, eius spiritus prophetiæ donum condonatur. Quorum quasi hereditarij successores ad Ptolomeum Philadelphum Alexandriæ Regem, à Pontificibus Eleazaro scilicet & cæteris (qui eodem tẽpore Iudæorum populo & templo præerant, septuaginta sapiẽtes, qui ex Israel stirpe descenderant, missi sunt: & Scripturas antiquæ Legis, in Græcum eloquium trãstulerunt. [*& misit illos binos ante faciem suã in omnem ciuitatem & locũ quo erat ipse venturus.*] Quod autẽ binos mittit, sacramentũ est charitatis: Siue quia duo sunt charitatis præcepta: siue quia õnis charitas, minus quàm inter duos esse nõ potest. [*& dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominũ messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*] Admonemur hic querere quæ sit messis de qua Dominus ait: [*Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate dominũ messis vt mittat operarios in messem suã*] Tũc adiecit duodecim discipulis suis, quos & Apostolos nominauit, alios septuaginta duos, & misit illos õnes (sicut ex verbis eius Euãgelistę apparet) ad paratã messẽ. Quæ ergo erat illa messis? Nõ enim illa messis in his Gẽtibus erat vbi nihil fuerat seminatũ. Restat ergo vt intelligamus istã messẽ fuisse in populo Iudęorũ. Ad illã messem venit Dominus messis, ad illã messẽ misit messores: ad Gẽtes autẽ non messores, sed seminatores. Intelligamus ergo messẽ factã in populo Iudæorũ, semẽtẽ in populis gẽtiũ. Ex illa enĩ messe Apostoli electi sũt, vbi iã cũ meteretur maturũ erat, quia ibi Prophetæ

Iosephus

Tomo, 4. Quæ. Euã. lib. 2. cap. 14. Matt. 22.

Tomo, 10. De Sanctis Sermo. 42 Luc. 6.

Prophetæ ſeminauerũt. Delectat inſpicere agriculturã Dei, & oblectari donis eius, & operari in agro eius. In hac enim agricultura operabatur, qui dicebat: Plus omnibus illis laboraui. Sed vires ei dabantur ad operandũ à Domino meſſis, ideo ſubiecit: Non ego, ſed gratia Dei mecũ. Nam ſe in agricultura verſari ſatis oſtendit, vbi ait: Ego plãtaui, Appollo rigauit. Hic autẽ Apoſtolus de Saulo Paulus, hoc eſt, de ſuperbo minimus. Saulus enim à Saule denominatur. Paulum enim modicũ eſt. Vnde nomẽ ſuum quodammodo interpretatus, ait: Ego ſum minimus Apoſtolorũ. Ipſe ergo Paulus, id eſt, modicus & minimus, miſſus ad Gẽtes, præcipuè ad Gentes ſe miſſũ dicit. Ipſe ſcribit, nos legimus, credimus, prædicamus. Ipſe ergo dicit in Epiſtola ſua, quæ eſt ad Galatas, Vocatũ ſe iã à Domino Ieſu veniſſe Ieroſolymã, & Euangeliũ cũ Apoſtolis cõtuliſſe, Dexteras ſibi datas fuiſſe & ſignum concordiæ, ſignũ cõſonantiæ quod † ab eis ſe ipſi didicerãt ĩ nihilo diſcrepabat. Deinde placuiſſe dicit inter ſe & ipſos, vt ipſe ad Gẽtes, illi autẽ in circũciſionẽ irẽt: Ille ſeminator, Illi meſſores. Meritò etiã Atheniẽſes, quamuis neſcientes nomen ſuũ ei dixerunt: Audiẽtes enim ab eo verbũ. Quis eſt (inquiunt) hic ſeminator verborũ? Attẽdite ergo, & delectet vos mecũ inſpicere agriculturã Dei in meſſes duas, vnã trãſactã, aliã futurã in populis Gẽtium. Probemus hoc, & vnde niſi de ſcriptura Dei, Domini meſſis? Ecce habemus ibi in præſenti capitulo dictum eſſe: [*Meßis multæ, operarij autem pauci. Rogate Dominum meßis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.*] Sed quia in illa meſſe futuri erant contradictores & perſecutores Iudæi. [*Ecce, inquit, mitto vos ſicut agnos in medio luporum.*] Euidentius de hac meſſe aliquid oſtendamus

Margin notes: *1. Corin. 15* — *Ibidem.* — *1. Corin. 3.* — *Act. 9. & 13.* — *1. Corin. 15* — *Galat. 1. & 2.* — † quod ab ſe ipſi didicerant, eis in nihilo diſcrepabat. — *Act. 17.*

Ioan. 4. in Euangelio ſecundum Ioannem: Ad puteum, vbi fatigatus Dominus ſedit, magna quidem acta ſunt ſacramenta, ſed anguſtum tempus eſt, vt omnia pertractentur. Quod ad preſentem rem pertinet, audite. Suſcepimus enim meſſem eandẽ in populis in quibus Prophetæ prædicauerunt, ideo enim illi ſeminatores, vt Apoſtoli poſſẽt eſ-
Ibidem. ſe meſſores. Samaritana mulier loquitur cum Domino Ieſu. Et inter cætera, cùm dixiſſet ei Dominus quomodo debeat adorari Deus, ait illa: Scimus quia veniet Meſſias qui dicitur Chriſtus, & omnia nos docebit. Et Dominus ad illam: Ego ſum qui loquor tecum. Crede quod audis, quid queris quod vides? Ego ſum qui loquor tecum. Quod autem illa dixerat: Scimus quia Meſſias veniet, quem annunciauerunt Moyſes & Prophetę, qui dicitur Chriſtus. Iam ſpica meſſis erat gignẽda, acceperat & Prophetas ſeminatores, Apoſto-
Ioan. 4. los expectabat matura meſſores. Mox vt hoc audiuit, credidit, & hydriam dimiſit, & feſtinanter cucurrit, annunciare Dominum cœpit. Diſcipuli tunc ierunt ad emendos panes. Qui redeuntes inuenerunt Dominum loquentem cum muliere, & mirati ſunt. Non ſunt tamen auſi dicere ei, quid vel quare cum illa loqueris? Admirationem apud ſe habuerunt, audaciam corde preſſerunt. Huic ergo Samaritanæ non erat nouum nomen Chriſti, iam expectabat venientem, iam credide-
Ibidem. rat eſſe venturum. Vnde crediderat, ſi non Moyſes ſeminauerat? ſed hoc expreſſius audite. Dominus tunc ad Diſcipulos ſuos ait: Dicitis quia adhuc longe eſt æſtas, leuate oculos veſtros, & videte albas regiones ad meſſem. Et adiungit: Alij laborauerunt, & vos in labores eorum intraſtis. Laborauit Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Prophe-

tæ laborauerunt ſeminando, in aduentu Domini matura meſſis inuenta eſt. Miſſi meſſores cum falce Euangelij, portauerunt manipulos ad areã Dominicam, vbi Stephanus trituraretur. Hic autem accepit Paulus ille & ad Gentes mittitur, & non tacet hoc in commendando gratiam quam præcipuè propriéque ſuſcepit. Ait enim in ſcripturis ſuis, Miſſum ſe eſſe prædicare Euangelium, vbi Chriſtus non erat nominatus. Sed iam quia facta eſt illa meſſis, & omnes Iudęi qui remanſerunt; meſſem attendamus quod nos ſumus. Seminatum eſt enim ab Apoſtolis & Prophetis. Ipſe Dominus ſeminauit; Ipſe enim in Apoſtolis fuit, quia & ipſe meſſuit Chriſtus. Non enim illi aliquid ſine illo. Ille perfectus eſt ſine illis. Ipſe illis ait. Quia ſine me nihil poteſtis facere. Seminans ergo Chriſtus iam in Gentibus, quid dicit? Exijt ſeminãs ſeminare. Ibi mittũtur meſſores metere, hic exijt ſeminans ſeminare impiger. Quid enim pertimuit quod aliud cecidit in via, aliud in petroſa loca, aliud inter ſpinas? Si iſtas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perueniret. Quid ad nos, quid nobis eſt iam de Iudæis diſputare, & loqui de palea: hoc ſolum ad nos ne via ſimus, ne ſaxum, ne ſpinæ, ſed terra bona. Paratum cor meum, vnde tricenum, vnde ſexagenũ, vnde millenum & centenum, illud minus eſt & illud plus eſt, ſed totum triticum eſt. Via non ſit, vbi conculcatum ſemen à tranſeuntibus, velut auis auferat inimicus. Saxum non ſit, vbi modica terra ſtatim faciet germinare, quod non poſſit ſolem portare. Spinæ non ſint, cupiditates ſeculi, ſolicitudines vitæ vitioſæ. Quid enim peius ſolicitudine vitæ, quæ peruenire nõ permittit ad vitã Quid miſerius, quàm curando vitam, amittere

Act. 7.

Rom. 15.

Ioan. 15.

Matt. 13.

vitam

vitam. Quid infœlicius, quàm timendo mortem cadere in mortem? Extirpentur spinæ, paretur ager, suscipiantur semina, perueniatur ad messem, horreum desideretur, non ignis timeatur. Ad nos itaque pertinet, quos qualescunque Dominus in agro suo constituit operarios, dicere ista vobis, seminare, plantare, rigare: aliquibus etiam arbo-
1. Corin. 3. ribus circũfodere, & cophinum stercoris adhibe-
Luc. 13. re. Pertinet ad nos hæc fideliter agere, ad vos fideliter capere, ad Dominum nos adiuuare operantes; vos credentes, omnes laborantes, sed mundum in illo vincentes. Quid ergo ad vos pertinet dixi: quid ad nos pertineat, volo dicere. Sed forte alicui ex vobis videtur, quia dixi, superfluum aliquid velle dicere & apud seipsum loquens, in cogitatione dicit. O si iam dimittat nos, iam dixit quid pertineat ad nos, quod ad ipsum pertinet quid ad nos? Puto melius esse in alterna & mutua charitate pertineamus ad vos. De vna modo quidẽ vos familia estis, nos ex eadẽ quidẽ familia dispẽsatores sumus omnes, ad vnũ Dominũ pertinemus omnes. Nec quod do, de meo do, sed de illius à quo accipio & ego. Nam si de meo dedero mẽdaciũ dabo. qui enim loquitur mẽdaciũ de suo
Luc. 13. loquitur. Debetes ergo audire quid pertineat ad
Ioan. 8. dispẽsatorem, siue in vobisipsis si tales inueneritis cõgratulemini, siue etiã in hoc ipso instruamini. Quam multi enim in hoc populo futuri sunt dispensatores, & nos ibi fuimus, vbi estis. Et nos qui videmur modò de superiore loco conseruis metiri cibaria, ante paucos annos in inferiori loco cum conseruis accipiebamus cibaria. Episcopus laicis loquor: Sed inde scio quàm multis futuris Episcopis loquor. Ergo videamus quomodo nos intelligamus quod pręcipit dominus eis quos

mittebat Euãgelium prædicare: & mente parata messem videamus. *Nolite ergo portare sacculum, neque peram, neque calciamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.*] Si requieuit, perdidi. Absit hoc à mẽte Sanctorũ Ergo nec illud accipiẽdum est carnaliter, ac per hoc forte nec saccus, nec calciamenta, nec pera: maximéque illud vbi nobis (si simpliciter sine discussione accipiamus) superbia videtur imposita, ne quenquã in via salutemus. Attendamus Dominũ nostrum verũ exemplum & adiutoriũ. Probemus quia adiutoriũ: Sine me nihil potestis facere. Probemus quia exẽplũ: Christus pro nobis passus est (dicit Petrus) nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Ipse Dominus noster loculos habuit in via, & ipsos loculos Iudæ cõmendauerat. Patiebatur quidẽ furem. Sed ego à Domino meo discere cupiens, dico: Domine patiebaris furem, vnde habebas vnde tolleret, me hominem miserum & infirmum monuisti nec sacculum portare. Tu portasti loculos, & erat vbi furem patereris. Si nõ portares, nec ille inueniret quod auferret. Quid restat? nisi quod hic dicat mihi: Intellige quod audis: [*Noli portare sacculum*] Quid est sacculus? Pecunia clausa, Id est, Occulta sapientia. Quid est, Nolite portare sacculum? Nolite fieri sapientes penes vosmetipsos. Accipe Spiritum Sanctum. Fons in te debet esse, non sacculus: vnde erogatur, non vbi includatur. Hoc est & pera quod saccul⁹. [*Calciamenta*] quid sũt calciamenta quibus vtimur, coria mortuorum sunt nobis tegmina pedum. Per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses

Ioan. 18. *1. Petr. 2.* *Ioan. 12.* *Rom. 12.*

Moyſes admonebatur, quando Dominus loquens, ait: Solue calciamenta de pedibus tuis, *Exod.3.* locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quid tam terra ſancta, quam Dei Eccleſia? In illa ergo ſtemus, calciamenta ſoluamus, id eſt, mortuis operibus renunciemus. Nam de his calciamentis, quibus calciati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus. Si enim ipſe calciatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret: Non ſũ *Luc.3* dignus ſoluere corrigiam calciamentorum. Sit ergo obedientia, non ſurrepat ſuperba duritia. Ego, inquit, Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo. Tu potes, ego non poſſum. Quod ſimul accipimus, cuſtodiamus. Quomodo charitate flagremus, inuicem diligamus. Ac ſic fit, vt ego amẽ fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam. Quid autem tibi videtur, qui non vis intelligere quemadmodum iſta dicta ſunt, & cogeris prauiter ipſo Domino calumniari de loculis & calciamentis? Quid tibi videtur? Ita ne placet vt iter agẽtes occurram⁹ charis noſtris, & eos nõ ſalutemus maiores, nõ reſalutem⁹ minores. Iámne Euangeliũ imples quia ſalutaris, & taces? Hic vero nõ viatori iter agenti, ſed miliario ſimilis eris iter oſtẽdẽti. Ergo ſtoliditatẽ deponamus, et verba dñi intelligamus, & in via neminem ſalutemus. Non enim ſine cauſa hoc iubemur, aut nollet nos facere quod iuberet. Quid ergo eſt, [*Neminem ſalutetis in via?*] Poteſt quidem & ſimpliciter ſic accipi, quia iuſſit nos feſtinanter agere iniuncta. Et hoc ita dixit: [*Neminem per viam ſalutaueritis.*] Tanquam diceret: Omnia prætermittatis, dũ quod iniunctum eſt peragatis: ea locutione, qua ſolent dicta exaggerari conſuetudine ſermocinandi. Ne longe pergamus, paulopoſt enim dicit: Et tu Capharnaum

naum quæ vſque ad cælum exaltata es, vſque in *Luc.* 10.
infernum deprimeris. Quid eſt, vſque ad cælum exaltata es? Nunquid illius ciuitatis mœnia nubes tetigerunt, aut ad ſidera peruenerunt? Sed quid eſt, In cælum exaltata es? Nimium tibi fœlix videris, nimium potens, nimium ſuperba es. Sicut ergo hoc exaggerandi gratia dictum eſt, In cælũ exaltaris, ei ciuitati quæ non † vtique exaltabatur † vſque.
in cælũ aut aſcendebat: Sic pro feſtinationis exaggeratione dictum eſt. Ita currite, ſic agite quod iniunxi, vt ne nimium quidem vos retardent agentes, ſed omnia contemnentes ad finem propoſitam feſtinate. Sed eſt aliud quod hic magis recogitem, non diſſimile intelligere, quod plus pertinet ad me & ad omnes diſpenſatores, ſed & ad vos auditores. Qui ſalutat, ſalutem dicit. Nam & antiqui in Epiſtolis ſuis ſic ſcribebant: Ille, illi ſalutem. Salutatio à ſalute nomen accepit. Quid ergo eſt? [*Neminem in via ſalutaueritis.*] Qui ſalutant in via, per occaſionem ſalutant. Video vos cito intellexiſſe, nec tamen debeo iam finire. Non enim omnes cito intellexiſtis. Vidi in voce intelligentes, plures video ſilentio requirentes. Sed quia de via loquimur, tanquam in via ambulemus. Veloces, tardos expectate, & pariter ambulate. Quid ergo dixi? Qui in via ſalutat, per occaſionem ſalutat. Non ad eum ibat quẽ ſalutat. Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat, aliud tranſuerſo quod ageret inuenit. Quid eſt ergo per occaſionem ſalutare? Per occaſionem ſalutem annunciare. Quid eſt autem aliud ſalutẽ annunciare, quàm Euangelium prædicare? Si ergo prędicas, hoc per dilectionẽ, non per occaſionem. Sunt ergo homines qui ſua quęrentes, non aliud prædicant Euangelium. De quibus Apoſtolus gemẽs dicit: Omnes *Philip.* 2.

enim ſua quærũt, non quę Ieſu Chriſti. Et hi ſalutabant, hoc eſt, ſalutẽ annunciabant. Euangelium prędicabant, ſed aliud quærebãt: & ideo per occaſionem ſalutabant. Et quid eſt hoc? Si talis fueris, quiſquis es, facis: imo non talis quiſquis facis, ſed fortè talis aliquis qui facis. Si talis fueris non facis, ſed fit de te. Nã & tales admiſit Apoſtolus, nõ tamen vt tales eſſent pręcepit. Et ipſi agunt aliquid, & perficitur ex ipſis: aliud quærunt, & verbum annunciant. Quid querat annunciator ne cures, quod annuntiat, † tene. Quod verò attendit, non ad te pertineat. Salutem audi ab ore ipſius. Salutẽ tene ab ore ipſius. Noli iudex eſſe cordis ipſius. Si vides eũ alia requirentem, quid ad te? Audi ſalutẽ. Quæ dicunt, facite. Securũ te fecit. Quid? Quæ dicunt facite. Mala faciunt, quæ facere nolite. Bona faciunt, non in via ſalutant, non per occaſionẽ Euangelium annunciant? Imitatores eorum eſtote, ſicut & ipſi Chriſti. Bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite. Malus tibi prædicat, carpe vuã pendentẽ in ſepe. Botrus implicitè in palmite inter ſpinas creuit, & de ſpinis non germinauit. Planè quando tale aliquid vides & eſuris, ſolicitè carpe, ne, cùm ad vuam manum mittis, lacereris à ſpinis. Hoc eſt quod dico: Sic audi quod bonum eſt, ne malos mores imiteris. Prædicet ex occaſione, ſalutet in via: illi nocebit quod non audiuit præceptum Chriſti, [*Neminem in via ſalutaueritis.*] Tibi non nocebit: Qui, ſiue à tranſeunte, ſiue à veniente ſalutem audis, ſalutem tenes. Apoſtolum audi, ſicut præmiſeram, admittentem iſta. Quid enim? dum omni modo, ſiue occaſione, ſiue veritate, Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio enim ipſum mihi proficere in ſalutem per veſtram obſecrationem. Tales igitur Apoſtoli

Philip.1. — † tenere velis. — *Matth.23.* — 1.*Cor.* 4. — *Philip.1.*

postoli Christi, prædicatores Euangelij, non salutantes in via, hoc est non aliud quærentes vel agentes, sed germana charitate Euangeliũ annunciantes, veniant ad domum & dicant: [*Pax huic domui.*] Non ore solùm dicunt, quo pleni sunt fundunt: prædicant pacem, & habent pacẽ. Non sunt tales de qualibus dictum est: Pax pax, & non est pax. Quid est, Pax pax, & non est pax? Prædicantes non habent, laudant & amant, dicũt & nõ faciũt. Sed tamẽ tu accipe pacẽ, siue occasione, siue veritate Christus annũcietur. Qui ergo plenus est pace, & salutat: [*Pax huic domui*] Si est illic filius pacis, requiescet super eũ pax illi⁹. [*Si quo minus.*] fortè enim non est illic filius pacis, nihil perdidit qui salutauit. [Ad vos (Inquit) *reuertetur.*] Reuertetur ad te, quæ non discessit à te. Hoc enim dicere voluit, tibi prodest quod annuntiasti, nihil profuit qui non suscepit: non quia ille inanis remásit, ideo tu perdidisti mercedẽ, redditur tibi pro voluntate tua, redditur tibi pro charitate quam impendisti: Reddet tibi qui te securum velit voce Angelica: Pax in terra hominibus bonæ volũtatis. Cũ hãc Euãgelizant pacẽ, de quibus prædictũ est: Quã speciosi pedes eorũ qui ãnunciãt pacẽ, qui ãnunciãt bona: Nobis quidẽ tunc incipit esse quisque filius pacis, cùm obedierit & crediderit huic Euangelio, & ex fide iustificatus pacem ad Deum habere ceperit: secundum autem prædestinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictũ est: Super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis. Sed, [*Vbi fuerit* (inquit) *Filius pacis, requiescet super eum pax vestra.*] Iam ergo & antequam illi annunciaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut eũ nouerat atque præsciuerat, non Euangelista, sed Dominus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit

Ierem. 8. *Luc. 2.* *Tomo. 7. De Correptione & gratia capite. 15.* *Isai. 52.* *Rom. 10.*

filius pacis, aut nõ sit pertinet nullum exceptum facere, nullumq; discernere, sed velle omnes saluos fieri quibus hanc prædicamus pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eã, si ille cui prædicamus non est filius pacis ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi. Si autem super eũ pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi. Quia ergo nos qui salui futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem saluos fieri velle iubet Deus, & ipse in nobis hoc operatur, diffun-
Rom. 5. dendo istam charitatem in corda nostra per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. [*In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus enim est operarius mercede sua. Nolite transire de domo in*
Tomo. 8. *domum.*] Cùm dixisset, quæ apud illos sunt, man-
Psal. 103. ducate, ne illi dicerent: Improbi erimus, ad mensas alienas indigebimus. Vis nos esse ita frontosos? [*Non inquit.*] Nõ est illa donatio eorũ, sed merces vestra. Sed cui⁹ rei merces? Quid dãt? Quid accipiũt? Dant spiritalia, accipiũt carnalia. dãt aurũ
Isai. 40. accipiũt fœnũ. Omnis enim caro fœnũ, & claritas carnis vt flos fœni. Omnia temporalia quę tibi superfluunt & redundant, fœnum sunt iumentorum. Quare? Quia carnalia sunt. Audi quorũ iu-
1. Corin. 9. mentorum sit fœnum. Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Hoc Apostolus dixit, talis annunciator, tam laboriosus, tam impiger, tam exercitatus, vt ipsum fœnum donaret terræ. Ego, inquit, nullius
Ibidem. horum vsus sum. Ostendit sibi deberi, & non accepit, nec condemnauit eos qui acceperunt quod debebatur. Condemnandi enim erant exigentes indebita, non accipientes mercedem suam. [*Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate*

ducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmo qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquabit in vos Regnum Dei. In quãcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit vobis Regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remißius erit, quam illi ciuitati.] Non ideo dictum est, quia Sodomitæ non torquebuntur, sed quia illi grauius torquebuntur, quanquã hoc fuerat fortasse occultum aliquando & incertum. Sicut in Regno Dei velut stella ab stella differunt Sancti: sic in damnatione pœnæ sempiternę, tolerabilius erit Sodomæ quam alteri ciuitati: & erunt quidam duplo amplius quibusdã gehennæ filij. Ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quod in ipsa impietate damnabili magis alius alio minusuè peccauerit. [*Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.*] In his verbis suis Dominus Iesus altius nobis mysteriũ prædestinationis ostendit. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea non fuerant credituri: & apud eos facta nõ sint qui crederent si viderent. Quid respondebimus? Nunquid dicturi sumus quod in libro alio dixi, vbi sex quibusdam questionibus Paganorũ, sine præiudicio tamen aliarũ causarum quas prudentes possunt inuestigare, respondi: Hoc quippe, vt scitis, Christus quare post tam longa tempora venerit quęreretur, dixi: Quod his temporibus & his locis quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali pręsentia fuerunt: qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Item paulo

Tomo. 7. De Baptis. contra Donat. li. 1. cap. 5.

Tomo. 3. De Spiritu & lit. ad Marcell. capite. 28.

1. Cor. 15.

Mat. 23.

Tomo. 7. De Bono. Perseuerãtiæ lib. 2, cap. 9.

poſt in eodem libro atque in eadem Queſtione. Quid mirum, inquam, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſeculis noue rat, vt eis prædicare meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat? Hæc certè de Tyro & Sidone non poſſumus dicere: & in eis cognoſcimus ad eas cauſas prędeſtinationis hæc diuina iudicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præiudicio tunc iſta reſpondere me dixi. Facile eſt quippe vt infidelitatē accuſemus Iudæorum de libera voluntate venientē, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit, & dicit: [*Ve tibi Corozaim & Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio penitentiam egiſſent.*] Sed nūquid poſſumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent cum eis? Ipſe Dominus atteſtatur quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum. Et tamen in die Iudicij punientur, quamuis minore ſupplicio quàm illæ ciuitates quę, apud ſe virtutibus factis, credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: [*Veruntamen Tyro & Sidoni remiſsius erit in iudicio, quàm vobis.*] Seuerius ergo punientur iſti, illi remiſſius, ſed tamen punientur. [*Obſerua*] Quidam diſputator catholicus non ignobilis, huic Euangelij locum ſic expoſuit, vt diceret: Præſciſſe Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cū factis apud ſe miraculis crediđiſſent: & miſericordia potiùs non eum illic iſta feciſſe, quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierēt, ſi fidem quā tenuerant, reliquiſſent, quā ſi eā nullo tēpore tenuiſſent.

Ibidē cap. 10.

tenuissent. [*Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata,*] Quid est, Vsque ad cælũ exaltata? Nunquid illius ciuitatis mœnia nubes tetigerunt, aut ad sidera peruenerunt? Sed quid est, In cælũ exaltata es: Nimium tibi fœlix videris: nimium potens, nimium superba es. [*vsque ad infernum demergeris*]. Non maleuolẽtia optat quæ dicit, sed quid eos immineat prædicit. [*Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*] Qui ergo contemnit Apostolos, contemnit Christum Qui contemnit Patres, cõtemnit Christum qui in Patribus est. [*Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.*] Dixerunt quidem. In nomine tuo: sed ille vidit in eis, quia ipsa gloriatione gaudebant & extollebant se, & ibant inde in superbiam, quia licuit illis expellere dæmonia, vidit illos quærere gloriam suam. [Et] Ille qui medicus venerat sanare tumores nostros, & ferre infirmitates nostras, continuo. [*ait illis*] quærens ipse, imo cõseruans nomina eorum apud se. [*Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*] Non enim potuisset & ipse inuidere fœlicitati humanæ nisi prius amisisset beatitudinem propriam. [*Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*] Non omnes Christiani boni dæmones eijciunt, omnium tamen nomina scripta sunt in cælo. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebãt, sed ex eo quod cum cæteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere Apostolos, vnde gaudes & tu. Intendat charitas vestra: Nullus fidelis habet spem, si nomen eius non est scriptum in cælo. Omnium fidelium

Tomo. 10. De Sanctis Sermo. 42

Tomo. 8. Psalm. 27

Tomo. 10. Ad Frẽs in Her. Ser. 54

Tomo, 8. Psal. 91.

Tomo, 8. Psal. 130.

Tom. 8. Psalm. 91

Tomo, 3. De Mirac. Sac. script. lib. 1. capite. 2.

Tomo. 3. Psal. 130.

qui diligunt Chriſtum, qui ambulant viam eius humiliter, quã ipſe docuit humilis, nomina ſcripta ſunt in cælis. Cuiuſlibet contemtibilis in Eccleſia qui credit in Chriſtum, & diligit Chriſtum, & amat pacem Chriſti, nomen ſcriptum eſt in cælo, cuiuſlibet quem contemnis. Et quid ſimile ipſe & Apoſtoli, qui tanta miracula fecerunt? Et tamen Apoſtoli reprimuntur ex eo quod de bono proprio gaudebant: & iubentur hinc gaudere, vnde gaudet et ille contemtibilis. [*In ipſa hora exul-*
Tomo. 4. *tauit Ieſus in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Domine pa-*
Qu. Euã. *ter cæli & terræ.*] Notandum, confeſſionem poni
ſecundum in laudem Dei. Non enim peccata Dominus con-
Mati. Q. 7 fitebatur, quæ nulla habebat: præſertim quia eum exultantem hoc dixiſſe Euangeliſta commemorat, quanquam & verba ipſa quæ dicit, non habeant dubitationem, quod in laudem Dei dicãtur. Ergo confeſſionem, vocat Scriptura generaliter quicquid manifeſtè, ſicut cernitur, enunciatur.
Matt. 10. Nam & illud quod ait: Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo: Vel ſicut alibi eſt, Coram Angelis Dei.
Luc. 12. Non vtique peccata confitetur, qui Chriſtum cõfitetur. Quod ſi propterea putãt aliqui confeſſionẽ vocari, quia pro crimine obijciebatur Chriſti nomẽ tẽpore perſecutionis: nunquid ita etiam Criſtus corã patre, vel corã Angelis eius, hominẽ qui ſe cõfeſſus fuerit, cõfitebitur? Eſt etiam in Eccleſiaſtico ita poſitum: Et hæc dicetis in cõfeſ-
Eccle. 39. ione, opera Dñi vniuerſa quoniã bona valde. Quo
Tomo. 2. in loco indubitãter Dei laudes exaggerãtur. Hęc
Epiſt. 120 dicta ſũt propter imperitiã fratrũ, qui cũ legẽte
De Gra lectore audiunt hoc verbum, pectora ſtatim tun-
Noui Teſt. dunt, non attendentes quo loco dicatur, quaſi nõ
ad Hon. poſſit niſi peccatorum eſſe confeſſio. Cùm non
cap. 24. tan-

tantum peccatorum est, sed & laus Dei. [*quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater quoniam sic placuit ante te.*] Si dictorũ *Tomo.4.*
sensum inspiciamus, videbimus ea quæ ad exhor *Qu. Veter.*
tationem credentium à Domino dicta sunt, eorũ *& Noui*
qui, propterea quod mundanam sapientiam sper *Test. Que-*
nunt, paruuli videntur sapientibus mundi, qui *stion. 100*
nullo testimonio cõmendati sapientes volunt dici. Idcirco indignum visum est Deo his ostendere veritatem, humilibus autem, qui, nihil de se presumentes, diuinæ se voluntati inclinant, æquitate cogente, salutaria reuelanda sunt. Hic enim prudens Deo est, et salutis suæ memor, qui scientiæ suæ anteponit Dei legem, quam vtique videt non verborum strepitu fulciri, sed rerum virtutibus. Et sine dubio hic stultus & vanus est, qui huic rei se commendat quæ nulla innititur prærogatiua signorum. Vnde non litteratis seculi regnum Deus promisit, sed fidelibus: neque scrutatoribus siderum æternitatem pollicetur, sed rectè agentibus. Non Dialecticis, qui fraude & minutis quibusdam ratiunculis verum excludere nituntur, gloriam dat: sed bonæ voluntatis hominibus qui accurati magis vita sunt quam sermone. Istos enim reprobat Deus, qui oratione clari sermonis magis vti volunt, quàm bonis actibus. Nã & gloriam Dei in se vult conuertere, qui rem Dei verbis exornare se putat. Res enim ipsæ per se placere debẽt, vt nõ sermo, sed sensus laudetur. Si enim sensus autor est litteræ, & verba propter res significãdas inuẽta sũt: cur nõ magis res ipsę puro sensu promẽdę sunt, vt fœlici⁹ mentẽ incitent ad salutem? Ideoque piscatores elegit Dominus noster Apostolos, homines simplices & sine litteris, qui sine aliqua versutia fidem seruando, &

benè viuendo,Dei in se ostenderent veritatẽ:vnde & Apostolus Paulus: Et ego veniẽs(inquit)ad
1.Corin. 4 vos fratres,non veni in sublimitate sermonis aut
1.Corin.4 sapientiæ.Et inter cætera: Quia non (ait) in sermone est regnum Dei, sed in virtute: Vt quia verba contradictioni obnoxia sunt, Dei legi virtus testis existeret,cui omnis cedit sermonũ sublimitas.Itaque hæc idcirco præmissa sunt,fratres charissimi,vt cõsuleretur simplicioribus,ne fortè indignos se putarent gratia Dei, quia minimè sunt literis forensibus eruditi, cùm magis ad laudem proficiat simplicitas eorũ:Quoniã quod prudẽtes mundi non vident superbia literarũ, hoc reddũt, non verbis, sed consilio prudẽtes. Sciunt enim in bonis operibus requiescere Deum:& fidem quęrere,non cultum sermonẽ.Legunt enim dicẽtem
Isai.66. Dominum:In quo requiescã, nisi in humili & mãsueto,& tremẽte verba mea?Quamobrẽ vt digni efficiamur ad præmissa premia,ea quæ à Domino iubentur,facere debemus securi, quia hos diligit Dominus qui verba eius custodiunt.Sic enim dicit Discipulis suis: Si diligitis me, præcepta mea
Ioan. 14 seruate: vt in his domino seruiẽtes regni eius heredes esse possimus,per Iesũ Christũ dominũ nostrũ.[*Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*]Cum omnia
Tomo,10. legis,omnipotentem agnoscis, non decolorẽ,nõ
De Temp degenerem Patris? Cum [*tradita*] legis,filium
Serm. 48. confiteris, cui per naturam omni vnius substantiæ iure sunt propria,non dono collata per gratiam. [*Tradita*] autem sibi dicit omnia,non cælum & terram,vel cætera quæ ipse fecit ac condidit elementa: sed hos qui per filium accessum habent ad Patrem, & ante rebelles Deo, postea
Ioan.6. per fidem sentire cæperunt.Vnde et alio loco dicit:Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.[*Et*

nemo

nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.] Cùm diceret: [*Nemo nouit filium nisi pater,*] non dixit: & cui voluerit pater reuelare, quemadmodum cùm dixit: Nemo nouit Patrem nisi filius, addidit. Et *cui voluerit filius reuelare.*] Quod non ita intelligendum est, quasi à nullo possit cognosci, nisi à solo Patre: Pater autem non solum à filio, sed etiam ab eis quibus reuelauerit filius. Sic enim potiùs dictum est, vt intelligamus & Patrem & ipsum Filium, per filium reuelari, quia ipse est mentis nostræ lumen: Vt quod postea intulit: [Et *cui voluerit filius reuelare.*] nō Patrē tantū, sed etiā filiū accipias, ad totū enim quod dixit illatū est. Verbo enim suo se Pater declarat. Verbū enim nō solū id quod ꝑ verbū declaratur, sed etiā seipsum declarat. Vt scias autē quia sicut filius patrē, quibus vult reuelat ipsum, audi dicentē ipsum Dominū Iesum, cū laudaret Petrū, quod eū filiū Dei esse cōfessus sit: Beatꝰ es Simō Bariona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Reuelat autē filius, per hoc quod ipse intelligitur. A quo enim ipse fuerit intellectus, cōsequēter intelligitur & pater, secundū hoc quod ipse dixit: Qui videt me, videt & Patrem. [*Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.*] Quamuis enim viderent ista in Spiritu, tamen futura illis quodammodo formabantur. Apostolis autem iam præsentia credebantur. [*Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, Quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?*] Legis nomine aliquando simul omnia veteris instrumēti sancta-

Matth. 16

Tomo. 4. De Incar. ver. ca. 11.

Iohan. 14.

Tomo. 8. Psalm. 96

Tomo. 3. De Trinita. lib. 15. Capite 17.

ti sanctarum scripturarũ significantur eloquia.
Esai. 28. Nam ex Propheta Esaia testimonium ponens A-
2. Cor. 14. postolus, vbi ait: In alijs linguis, & alijs labijs loquar populo huic; præmisit, tamen, in Lege scrip-
Ioan. 15. tum est. Et ipse Dominus: In lege (inquit) eorum
Psalm. 34 scriptum est, quia oderunt me gratis, cùm hoc legatur in Psalmo. Aliquando autem propriè vocatur lex quæ data est per Moysen, secundum quod
Matth. 11. dictum est: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.
Matt. 22. Et in his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Hic vtique propriè lex appellata est,
Exod. 20. de monte Sina? Prophetarum autem nomine, etiã Psalmi significati sunt. Et tamen alio loco ipse
Luc. 24. Saluator: oportebat (inquit) impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me: Hic rursus Prophætarum nomen, exceptis Psalmis intelligi voluit. Dicitur ergo Lex vniuersaliter cum Prophetis & psalmis: dicitur & propriè quæ Moysen data est. Item dicuntur communiter Prophetæ simul cum Psalmis, dicuntur & propriè præter Psalmos. [*Ille respondens, dixit: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,*
Tomo. 3. De Doctr. Chri. li. 1. capite, 22. *& ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.*] Vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnẽ intellectum in illum conferas, à quo habes ea quę confers: Cùm autem ait: [*Toto corde, tota anima, tota mente:*] nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare vt alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilec-
Tomo. 1. DeMorib. Eccle. Catholicæ. li. 1, capi. 25. tionis impetus currit. Diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternã venire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere me-

rita

rita,& prius homini dari quam dignus est. Quid enim hoc iniustius,& quid iustius Deo? Non ergo debemus poscere præmiũ, antequam mereamur accipere. Hic fortasse non incongruè quæritur,æterna ipsa vita, quid sit. Sed eius largitorem potiùs audiamus: Hæc est (inquit) vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Eterna igitur vita, est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quam sint peruersi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, vt perfecti simus, cùm perfectorum ipse sit præmium. Quid ergo agendum est? quid queso, nisi vt eum ipsum quẽ cognoscere volumus, prius plena charitate diligamus? Deus enim non se vult verbis tantum diligi, sed corde puro & operibus iustis: quia non verborum, sed cordis est auditor & inspector. [*Et proximum tuum sicut teipsum.*] Te autem ipsum salubriter diligis, si plusquam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, vt etiam ipse perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquã teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducis: Illud est enim vnum bonum quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem in primis est, vt beneuoli simus: id est, vt nulla malitia, nullo dolo aduersus hominem vtamur. Quid enim homini homine propinquius? Accipite etiam quid Paulus dicat: dilectio (inquit) proximi malum non operatur. Breuissimis vtor testimonijs, sed (nisi fallor) idoneis, è quibus susceptę rei satisfiat. Nam quis ignorat, quam multa & quanti ponderis verba, in illis libris de charitate proximi vsquequaque diffusa

Ioan. 17.

Tomo. 4. De Salut. Docum. cap. 24.

Tomo. 4. De Morib. Eccle. Catholicæ li. 1. cap. 26.

Roma. 13.

fusa sunt? Sed cum duobus modis peccetur in homine, vno si ledatur, alio si cùm potest non adiuuetur: eaq́ue ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum qui diligit facit, satis, opinor, quod voluimus demonstrat ista sentẽtia.
Ibidem. Dilectio proximi, malum non operatur. Et si ad bona peruenire non possumus, nisi mala operari destiterimus, ista sunt quasi cunabula charitatis
Rom. 13. Dei, quibus diligimus proximum. Vt quoniam
Rom. 8. dilectio proximi malum non operatur, hinc ad illud ascendamus, quod dictũ est: Scimus quoniã diligentibus Deum omnia procedunt in bonum. Sed nescio quomodo, aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, & prius perficitur proximi. Ad incipiendum enim, citius nos fortasse in se diuina charitas rapit, sed facilius minora perficimus. Quoquomodo se res habeat, Illud maximè tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem & ad Deum quem diligit esse venturum. Atq; vtinam vt facile est benè instituto & benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo vti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. [*Dixitque illi, Recte respondisti. Hec fac, & viue:. Ille autem volens iustificare seipsum.*] Vt scilicet, iustus haberetur & deputaretur. [*dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidã.*] Ipse Adã intelligitur, in genere humano. [*descendebat ab Ierusalem in Iericho,*] Ierusalem ciuitas pacis illa cælestis, à cuius beatitudine lapsus est. Iericho Luna interpretatur, & significat mortalitatẽ nostram, pro hoc quod nascitur, crescit, senescit

Tomo. 7. De Spiritu & litt. ad Marcel. cap. 26.

Tomo. 4. Q. Euang. li. 2. ca. 19

& incidit

[*& incidit in latrones,*] Diabolum, videlicet, & Angelis eius, [*qui etiam despoliauerunt eum*] Immortalitate, [*& plagis impositis*] Peccata suadendo, [*abierũt, semiuiuo relicto.*] Quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum, viuus est homo: ex parte qua peccatis contabescit & premitur mortuus est, & ideo semiuiuus dicitur, [*Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præteriuit. Similiter & Leuita cùm esset secus locum, & videret eum pertransijt.*] Sacerdos autem & Leuita, qui eo viso præterierunt, sacerdotum & ministerium veteris testamenti significat, quod non poterat prodesse ad salutem. [*Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum misericordia motus est.*] Samaritanus, custos interpretatur, & ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. [*Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.*] Alligatio vulnerum, est cohibitio peccatorum, [*Oleum,*] consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. [*Vinum,*] exhortatio ad operandum feruentissimo spiritu. [*Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.*] [*Iumentum*] eius est caro, in qua ad nos venire dignatus est. [*Imponi iumento,*] est ipsam incarnationem Christi credere. [*Stabulum,*] est Ecclesia, vbi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. [*Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.*] [*Altera dies*] est post resurrectionem. [*Duo denarij,*] sunt duo præcepta Charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli, ad Euangelizandũ ceteris, Vel, Promissio vitæ præsentis & futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est: *Matt. 19.* Accipiet in hoc seculo centies tantum, & in seculo

lo futuro vitam æternam consequetur. [*Stabularius.*] ergo est Apostolus. [*Quod supererogat*, aut il-
1.Corin.7. lud est consilium quod ait: de virginibus autem
2.Teß.3. præceptum Domini non habeo, consilium autẽ do. Aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cùm ei liceret pasci ex Euangelio.

Super eandem Parabolam expositio.

HOmo] iste quidem est Genus humanum descendens ab [*Ierusalem in Iericho,*] Id est de paradiso in hunc mundum. Ierusalem enim Hebraicè dicitur, latinè autem Visio pacis interpretatur. Rectè ergo in visione pacis paradisum dicimus. Ante enim quàm peccaret homo in visione pacis erat, hoc est in paradiso: vbi quicquid videbat, pax erat & lætitia. Inde descendens, id est, humiliatus & miser factus per peccatum, in Iericho, in mundum videlicet: Iericho enim, in qua mundus ponitur, Luna interpretatur. Quia sicut Luna oritur & occidit, ita & mundus cum in ea orta occidunt, & iterum oriuntur. [*Incidit in Latrones,*] id est, in diabolum & angelos eius. Per inobedientiam enim primi hominis, diabolus humanum genus despoliauit & vulnerauit, morũ scilicet ornamentis & bono possibilitatis liberi arbitrij perdito. In illo enim peccante plagam fecit, in nos verò plagas, cùm per vnum illius peccatum quod nascentes trahimus, superaddimus multa peccata. Quid est autem, [*Relicto eo semiuiuo abierunt?*] Rectè dictus est semiuiuꝰ, habebat enim vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ei solum ad æternam vitam quam perdiderat redire non sufficiebat, ideo & semiuiuus dicitur. Iacebat ergo humanum genus vulneratum in mundo: Sed cur iacebat? Dicite si

Tomo. 7. Cõtra. Pelagianos Hyponost. lib. 3. H.

Genes. 3.

per

per se surgere poterat vel sanari, nullius indigēs adiutoris. Sed iacebat vulneratus, quia vires eius proprię ad surgendum, quo ad sanandum se, medicum, id est, Deum, requirere non sufficiebant. [*Descendens Sacerdos eadem via, cùm videret illum, præteriuit, Similiter & Leuita, cùm videret eum, pertransijt.*] In his duobus, id est, Sacerdote & Leuita, duo tēpora intelligūtur, Legis scilicet & Prophetarū. In Sacerdote Lex, per quā Sacerdotiū & sacrificia instituta sunt. In Leuita vaticiniū Prophetarum, quorū tēporib⁹ omne genus humanū † saluari nō potuit, quia regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui nō peccauerūt, in similitudinē præuari cationis Adæ, qui est forma futuri: id est, etiā in omnibus Sanctis & in paruulis, qui pręuaricati non sunt sicut Adam, & tamen propter peccatū præuaricationis, quod nascentes ex eo traxerunt (tanquā chirographo paterno constricti) stipēdium peccati, moriendo, soluerunt. Stipendium enim peccati mors. Et quia per Legem cognitio peccati, non abolitio. Lex enim iubet vt cognoscat se homo peccatorem esse, quod antea ignorabat: non peccatum tollit. Ideo & Apostolus: nam concupiscentiam (inquit) nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces. Lex itaque nihil ad perfectū adduxit, quia si ex Lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si enim data esset Lex quę posset viuificare, verè ex Lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Christi Iesu (qui omnia peccata tollit) daretur credētibus. Plenitudo enim Legis & Prophetarum Christus, qui venit, non soluere Legem & Prophetas, sed adimplere. Sacerdote ergo & Leuita prætereuntibus, [*iter faciens Samaritanus, venit secus eum.*] Samaritanus iste, ipse est

† alias sanari.

Roma. 5.

Roma. 6.

Roma. 3.

Roma. 7.

Exod. 20.

Galat. 2.

Galat. 3.

Iohan. 1.

Matth. 5.

Psalm.16. se est saluator Christus; quia Samaritanus, custos interpretatur, cui recte dicimus: Custodi me D[illegible] vt pupillã oculi, sub vmbra alarũ tuarũ protege me. Quid est autẽ, [*venit secus eum.*] Id est, venit in similitudinẽ carnis peccati, nó vt ille qui latebat in carne peccati, sed [*secus eum,*] quia in similitudine. [*Et videns eum misericordia motus est.*] Videns eum. Quid? Iacentẽ. Nunquid surgentẽ & currentẽ? Et ideo misericordia mot⁹ est, quia in eo quod curari dignus esset meritum nullum inuenit. [*Et approprians alligauit vulnera eius*] Quid est, Alligauit

2.Corin.5 vulnera eius? Sicut scriptum est, Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: De peccato, scilicet, damnauit peccatum in carne. [*Infundens oleum & vinum.*] Hoc est, Chrisma sanctum & sanguinem suum. [*Et imposuit illum in iumentũ suum.*] In adiutorium videlicet gratiæ incarnationis suæ, quia, sicut scriptum est: Hic peccata no-

Esai.53. stra portauit, & pro nobis doluit. [*Et duxit in stabulum.*] Scilicet, donans ei fidem ad credendum in se, duxit in Ecclesiam suam, quæ omnibus ambulantibus in via fidei, tanquam stabulum, patet ad succedendum. [*Et altero die,*] quasi tempore alio, post resurrectionem vtique & ascensionẽ suam, [*protulit duos denarios.*] Duo videlicet, vetus & Nouum, Testamenta, in quibus vnum numisma Dei regis est. [*Et dedit stabulario.*] Paulo Apostolo, qui est vas electionis, cui solicitudo est omnium Ecclesiarum. [*Et ait: Curam illius habe.*] Id est. Quæ ad fidem meam pertinent, quomodo eum oporteat ad plenã sanitatem peruenire, doce illum: [*Et quodcunque supererogaueris, dum rediero reddam tibi.*] Si quid ergo super Euangelium meum, tanquã misericordiam meam consecutus vt

1.Cor. 7. esses fidelis, ad eius vtilitatẽ sapueris, dum rediero in-

ro iudicaturus mundum, & vnicuique redditurus secundum opera sua, [*reddam tibi.*] Quid est *Matt. 16.* autem quod super legem & Euangeliũ plus Paulus erogauit? Illud puto, quod ipse ait ad Corinthios: De virginibus autem præceptum Domini *1.Corin.7* non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis. Vel illud, & vbi de coniugatis ait: Nam cæteris *Ibidem.* ego dico, non Dominus, &c. Vide plura Tomo 10. De verbis Domini Serm. 37. [*Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.*] Vt videlicet eum esse proximum *Tomo. 3. De Doctrina Christiana lib. 1. capite 30.* intelligamus cui vel exhibendũ est officiũ misericordię si indiget, vel exhibendũ esset si indigeret. Ex quo est iã cõsequẽs, vt etiã ille à quo nobis hoc vicissim exhibendũ est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus, nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officiũ, quis non videat? quando vsque ad inimicos etiã porrectũ est, eodẽ domino dicente: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. *Matth. 5.* [*Factũ est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domũ suam, et huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solã ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*] Quod Martha accepit illum in domum *Tomo. 4. Questi. Euange. lib. 2. cap. 20.* suam, significat Ecclesiam quæ nunc est, excipiẽtem Dominum in cor suũ. Maria soror eius, quæ

ſedebat ad pedes Domini & audiebat verbũ eius, ſignificat eandem Eccleſiam; ſed in futuro ſeculo, vbi ceſſans ab opere miniſterioque indigentiæ, ſola ſapientia perfruetur. Martha ergo occupata eſt circa multum miniſterium: quia nunc talibus operibus exercetur Eccleſia. Quod autem quæritur quod ſe ſoror eius non adiuuet, occaſio datur ſententiæ Domini, qua oſtendit iſtam Eccleſiam ſolicitam eſſe, & turbari circa plurima, cùm ſit vnum neceſſariũ, ad quod per miniſterij huius merita peruenitur. Mariam verò dicit optimam partem elegiſſe, quæ non auferetur ab ea. Et igitur intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur. Illa verò miniſterij, quamuis ſit bona, tamen auferetur, quando indigentia cui miniſtratur tranſierit. Contemplabatur Maria Deum et hominem, ideo optimam partem elegit. Quare [*optimam partem*] dicit? Niſi quia per contemplationem vita æterna deſignatur? Optima vita eſt enim, quia ſecura eſt, quia ęterna eſt, quia vera eſt: quia fœlicitas noſtra eſt, Deum videre, Deum habere, Deum contemplari. Ideo optima pars eſt, quam partem non poſſumus hic poſſidere. Quare? Quia quamdiu viuimus, peregrinamur à Domino, & ſemper in periculo ſumus, & ſemper in labore in hac vita cum Martha fatigamur. Sumus enim hìc cum Martha laborantes, hoſpites recipiẽtes, & miniſtrãtes ſeruis Dei quæ neceſſaria ſunt. Hanc partem Martha elegit, & bona fuit, ſed non optima, quia non æterna. Bona tamen fuit, quia perſeuerando in operibus charitatis, ſedere ad pedes Domini in æterna vita cum ſorore meruit. Verba Domini noſtri Ieſu Chriſti quæ modò recitata ſunt, admonent nos, eſſe vnum aliquid quo tendamus, quádo

Tomo. 10. Ad frẽs in Here. Serm. 44.

2. Corin. 5

Tomo. 10. De verbis Domini Ser. 12.

do in huius seculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes: adhuc in via, nondum in patria: adhuc desiderando, nōdum fruendo. Tamen tendamus, & sine pigritia & sine intermissione tendamus, vt aliquando peruenire valeamus. Martha et Maria, duæ sorores erant, ambæ (non solum carne, sed & religione) germanæ, ambæ Domino cohęserunt, ambæ Domino in carne præsenti concorditer seruierunt. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. Sed tamen suscepit famula Dominum, ægra Saluatorem, creatura Creatorē. Suscepit autem spiritu pascenda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam serui accipere, & accepta forma serui in illa pasci à seruis, dignatione non conditione: nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem in qua esuriret quidem & sitiret, sed nescitis quia in eremo esurienti Angeli ministrabāt? Ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit. Quid autem mirū si & de sancto Helia præstitit viduæ, quem prius coruo ministrante pascebat? Nunquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non: Sed religiosā viduam per obsequium exhibitum seruo suo, benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est Dominus tanquam hospes, qui in sua propria venit, et sui eum non receperunt: Sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: adoptans seruos, & † liberos faciens: redimens captiuos, & faciens cohæredes. Ne quis tamen vestrum forsitan dicat: O beati qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt. Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando iam Dominum non vides in carne, non tibi abstulit istam dignationem. Cū

Philip. 2. *Matth. 4.* *Ioan. 4.* *Matt. 4.* *3. Reg. 17.* *Ioan. 1.* † fratres *Matt. 25.*

vni,inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Hæc de Domino pascendo, pascente in spiritu, pauca pro tempore dixerimus: Veniamus, ad causam quã de vnitate proposui. Martha Dominum pascere disponens & præparans, circa frequens ministerium occupabatur: Maria soror eius, pasci à Domino magis elegit. Deseruit quodammodo sororem suam circa multum ministerium laborantem; & sedit ipsa ad pedes Domini, & vacans audiebat verbum eius. Auris fidelissima audierat: Vacate & videte quomodo ego sum Dominus. *Psal. 45.* Illa turbabatur, Ista epulabatur: Illa multum disponebat, Ista vnum aspiciebat. Vtrunque officium bonum, sed tamen quod sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quid sit melius, iam cùm legeretur audiuimus: & me commemorantem audiamus: Interpellat Martha hospitem, ad Iudicem deponit postulationem piarum querelarum, quod eam soror deseruerit, & sic laborantẽ ministerio adiuuare neglexerit. Non respondẽte illa, sed tamen presente, iudicat Dominus. Maria causam suam tanquam ociosa iudici maluit committere, nec in respondendo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respondit ergo Dominus, qui in verbo non laborat, quia verbum erat. *Ioan. 1.* Quid ergo dixit? Martha, Martha. Repetitio nominis, indicium est dilectionis, aut forte mouendæ intentionis, vt audiret attentius. Bis vocata est, [*Martha, Martha.*] Audiuit, [*circa multa es occupata: Vnum autem opus est.*] Id est, [*Vnum est necessarium*] Non vnum, quasi singulare opus, sed [*opus est*] expedit, [*necessarium est.*] Quod vnum elegerat Maria. Vnum cogitate fratres mei, & videte in ipsa

multitudine

multitudine si delectat, nisi vnum. Ecce, Deo propitio, quam multi estis. Quis vos ferret, nisi vnũ saperetis? Vnde in multis ista quies? Da vnum, & populus est: Tolle vnum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolũ: Obsecro autem vos fratres (: Multitudini dicebat, sed omnes in vnum facere volebat.) Obsecro autem vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Et alio loco: Vnanimes, Vnum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Et Dominus ad Patrem de suis: Vt sint vnum, sicut et nos vnum sumus. Et in Actibus Apostolorum: Multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum. Ergo, Magnificate Dominum mecũ & exaltemus nomen eius in vnum: Quia vnum est necessarium, vnum illud supernum: vnum vbi Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnum. Videte nobis commendari vnitatem. Certè Trinitas est Deus noster: Pater non est filius, Filius non est pater: Spiritus sanctus nec pater est nec filius, sed amborum spiritus: Et tamen ista tria non tres Dij, non tres omnipotentes, sed vnus omnipotẽs Ipsa Trinitas vnus Deus, quia vnum necessarium est. Ad hoc vnum non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnũ. Bona sunt ministeria circa pauperes, et maximè circa sãctos Dei seruitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apostolo: Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Bona sunt, exhortamur ad hæc, et in verbo Domini ædificamus vos, nolite pigri esse ad suscipiẽdos Sanctos. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciunt, Angelos susceperunt. Bona sunt

1. Corin. 1. *Philip. 2.* *Ioan. 17.* *Act 4.* *Psalm. 33.* *1. Corin. 9*

Hebr. 13. hæc, melius est tamen quod elegit Maria. Illud enim habet ex necessitate occupationem, illud autem habet ex charitate suauitatem. Vult homo occurrere quando ministrat, & aliquando non potest: quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus. Nam si Martha illa sufficeret, adiutorium sororis nunquã posceret. Multa sũt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt: & si bona sunt, transitoria sunt. Marthæ autẽ quid ait Dominus? [*Maria meliorem partem elegit.*] Nõ tu malam, sed illa meliorẽ, [*quia non auferetur ab ea.*] A te auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea quod elegit. Non auferetur, sed tamen augetur. In hac vita augetur, in alia vita perficietur, nunquam auferetur. Cæterùm tu Martha (pace tua dixerim) in bono ministerio benedicta, pro isto labore tuo mercedem queris quietem: modo occupata es circa multum ministeriũ, pascere vis mortalia corpora, licet Sanctorum: Nunquid cùm veneris ad illam patriam, inuenies peregrinũ quem suscipias hospitio? Inuenies esurientem, cui panẽ frangas? Sitientem, cui potum porrigas? Egrum quem visites? Litigantem, quem concordes? Mortuum, quem sepelias? Omnia ista ibi non erunt: sed quid erit ibi? Quod Maria elegit, ibi pascemur non pascemus. Ideo hoc ibi erit plenum atque perfectum, quod hic elegit Maria. De illa mensa opulenta, de verbo Domini, micas colligebat. Nã
Luc. 12. vultis nosse quid ibi erit? Dominus ipse dicit seruis suis: Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & transibit et ministrabit illis. Recumbere quid est, nisi vacare? Recũbere quid est, nisi requiescere? Quid est, transibit & ministrabit illis? Prius
Matt. 8. transibit, & sic ministrat. Sed vbi? In illo conuiuio

superno

ſuperno, de quo dicit: Amen dico vobis, multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Ibi Dominus paſcit, ſed prius hinc tranſit. Nam vt noueritis, Paſcha, tranſitus interpretatur. Venit Dominus, fecit Diuina, paſſus eſt humana. Nunquid adhuc conſpuitur? nunquid adhuc expalmatur? nunquid adhuc ſpinis coronatur? Nunquid adhuc flagellatur? Nunquid adhuc crucifigitur? Nunquid adhuc lancea vulneratur? Tranſiuit. Denique & Euangelium ſic loquitur, quando paſcha fecit cũ Diſcipulis ſuis. Quid dicit Euangeliſta? Cùm autem veniſſet hora vt Ieſus tranſiret *Ioan.13.*
de hoc mundo ad Patrem. Ergo ille tranſiuit, vt paſcat nos, ſequamur vt paſcamur. Vide Serm. 27. ſi plura deſideras.

ARGVMENTVM CAPITIS VNDECIMI.

Diſcipulos ſub parabola tres panes mutuo petentis, docet orare, dæmonij eiectionem, phariſæos Beelzebub tribuentes confutat: & eorum reprobationem ſub multis maledictis reuelat.

CAPVT. XI.

ET *factum eſt cùm eſſet in quodam loco orans, vt, ceſſauit, dixit vnus ex Diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit Ioannes diſcipulos ſuos.*] *Tomo. 10.*
Quia ſtupida mens hominum et ignara cæleſtiũ *De Temp.*
 nec *Serm. 126.*

nec ſcire, nec inuenire poterat quemadmodum Deum dignè precaretur. Ipſe verus Dominus & magiſter, oſtendit & docuit: Per ſe quidem ſanctos Apoſtolos, per illos autem nos quomodo debeamus orare. [*Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem et nos dimittimus omni debenti nobis, et ne nos inducas in tentationem.*] O verè cæleſtis oratio quæ tota eſt oratio. Nā ſi ſingula verba prout ſūt, latiùs tractare voluerimꝰ, dies ātè quā ſermo deficiet. Attamen breuiter percurramus. Dicimus: [*Pater noſter.*] Sic incipiendo bonitatem Dei & gratiam proteſtamur. Nā quando nos terreſtres & miſeri, & imbecilles & inutiles ſerui auderemus, vultum leuantes ad cælum, dicere: [*Pater noſter,*] Niſi ipſe per ſuum nobis vnigenitum hanc fiduciā præ-

Ioan. 1. ſtitiſſet? Sicut ſcriptum eſt: Quotquot eum receperunt, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt nomine eius. Accepta igitur poteſtate [*Patrem*] vocamus Deum, quia per fidem ſpiritum adoptionis accipimus, vt nos factos Dei

Rom. 8. filios gratulemur. Primus ſermo, quantæ ſermo

Tomo 10. De Verbis Domini. Serm. 28. gratiæ. O homo faciem tuā non audebas ad cælum attollere, oculos tuos in terram dirigebas: et ſubitò accepiſti gratiam Chriſti. Omnia tibi peccata dimiſſa ſunt. Ex malo ſeruo, factus es bonus filius. Ideo præſume, non de operatione tua, ſed

Ephes. 2. de Chriſti gratia. Gratia enim ſaluati eſtis, Apoſtolus ait. Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides: prędicare quod acceperis non eſt ſuperbia ſed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrē, qui te per lauacrum genuit: ad Patrē qui per filium te redemit, & dic: [*Pater noſter.*] Bona præſumptio, ſed moderata. Patrē dicis, quaſi filius: ſed noli tibi aliquid

ſpecialiter

ſpecialiter vendicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt pater, nobis omnibus in commune eſt pater: quia illum ſolum genuit, nos creauit. Admonentur autem hoc verbo diuites & nobiles, cùm Chriſtiani facti fuerint, quatenus ſe non extollant aduerſus pauperes et ignobiles, quoniam ſimul dicunt: [*Pater noſter*,] quod verè ac piè dicere non poſſunt, niſi ſe fratres eſſe cognoſcāt. Hoc nomine & charitas excitatur, quia filijs nihil charius debet eſſe, quàm pater: Et ſupplex affectus, cū homines dicunt, [*Pater noſter*:] Et quædam impetrandi prę-ſumptio quod petitur, cùm etiam ante petitionē tam magnum donum accepimus, vt poſſimus dicere, [*Pater noſter*.] Quid enim iam non det filijs petentibus pater, qui iam hoc ipſū dedit vt eſſent filij? Poſtremò, quanta cura animum eius tangit, qui dicit: [*Pater noſter*,] vt tanto patre non ſit indignus. Vtatur ergo populus Noui Teſtamenti voce hac, populus ad æternitatem vocatus. [*Pater noſter*,] Oratio fraterna eſt. Non dicit, Pater meus, tanquam pro ſe tantùm orans, ſed: [*Pater noſter*.] omnes videlicet vna oratione cōplectens, qui ſe in Chriſto fratres eſſe cognoſcunt· [*Qui es in cælis*,] Qui habitas in cælis, Id eſt, In his quorū conuerſatio eſt in cælis. Et accommodatiſſima eſt iſta ſimilitudo, vt tantùm ſpiritaliter diſtare credatur inter iuſtum et peccatorem, quantum diſtat corporaliter inter cælum & terram. Peccatori enim dictum eſt: Terra es, & in terram ibis. Cuius rei ſignificandæ gratia, cùm ad orandum ſtamus, ad Orientem vertimnr, vnde cælum ſurgit: Non ideo quod ibi ſit Deus, tanquam cæteris mundi partibus relictis, ſed vt admoneatur animus ad excellentiorem naturā conſurgere, id eſt ad Deum. Iam quid petendum ſit attendamus:

Tomo. 10. De Temp. Serm. 182.

Philip. 3.

Geneſ. 3

[*Sanctificetur*

[*Sanctificetur nomen tuum.*] Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum Dei nomen, sed vt sancti habeatur ab hominibus, & ita innotescat illis Deus vt existiment aliquid sanctius non esse, quo magis timeant Deum offendere, quia iustum est nomen Dei sanctificare & Deum timere. De quo dicitur, Dominus nomen illi. Hic timor primo gradu est inter beatitudines, de quo dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Et alibi. Timor
Amos. 9. Domini sanctus permanens in seculum seculi.
Prouer. 1. Sequitur; [*Adueniat regnum tuum.*] Id est, manife-
Eccle. 1. stetur mundo. Sicut præsens lux absens est cæcis,
Psal. 110. ita Dei regnum (quamuis vbique sit) deest tamen
& 18. ignorantibus. Vel ita: Vt tu in nobis, & nos in te, te donante regnemus. Hæc petitio ad pietatem pertinet, quæ est secundo gradu inter beatitudines. Sic enim pietas est, qua beati sunt mites. Petamus vt veniat Regnum Dei in nos, id est, mi-
Matt. 5. tescamus & non resistamus. Non vtique vt inci-
Tomo. 10. piat ille regnare, cuius regnum est omniũ secu-
De Temp. lorum, sed hoc optamus vt finem nostris faciat
Ser. 126. malis, & veniens de cælo, nos assumat in regnum. Hoc vero dicto admonemur vbi vitam nostram, & substantiam, et regnum sperare debeamus.
Ibidem. Sequitur. [*Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*]
Ser. 182. Id est, sicut in Angelis, ita hominibus: & sicut in iustis, ita et in peccatoribus: Vel ita consentiat caro tuæ voluntati, sicut consentit spiritus. Quis
Ser. 126. enim obstat Deo, quo minus fiat voluntas eius vbique? Hoc ergo oramus, vt sicut in cælo fit voluntas Dei, vbi nullus offendit, ita virtutem nostris animis tribuat, vt eius voluntatem, nos, qui sumus in terra, facere & implere possimus. Hæc
Ibidem. petitio ad scientiam pertinet, quæ tertio gradu
Serm. 182. est inter beatitudines. Nam sic scientia est, qua
Matt. 5.

beati

beati sunt qui lugent. Oremus vt fiat voluntas Dei sicut in cælo, ita & in terra. Id est, vt consentiat caro spiritui quia non aliunde tantùm dolorem habet humana miseria, quantum inde, quod caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt cum Apostolo exclamare cogamur: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore huius mortis? Vel certe cùm dicimus: [*Fiat voluntas tua.*] Docemur semper ad Dei, non ad nostram respicere voluntatem: quia in nostra voluntate aliquotiens contraria sunt, in Domini autem voluntate vita est semper & bonitas. Cōsequenter iam post cælestia etiam terrestria postulamus, sed tamen necessaria. Nam dicimus: [*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*] Potest simpliciter intelligi de corporali cibo, & spiritaliter de pane diuini verbi. Si de corporali agitur, non extendit petitionem suam in longum iste orator, sed præceptum sequitur Euangelicum vbi dicitur: Nolite curare de crastino: Crastinus enim dies, ipse cogitabit sibi. Sic & Beatus Apostolus monet: Habentes victum & tegumentū, his contenti simus. O sapientia vera, & diuina prouidentia, quæ docuit & panem solum petere, & hodie nominare. Hoc enim dicto, & auiditas cum auaritia tollitur, & humanæ vitæ insinuatur incertū, secundum illud: Nolite soliciti esse in crastinum. Vere enim inconueniens esset eum in multos annos & tempora, vel certè in alium diem necessaria postulare, cui forte sub nocte esset vita finienda. Sic enim & ille auarissimus diues, qui restructis horreis & repletis, dixit ad animam suam: Habes multa bona in ānos multos, epulare, audiuit à Domino: Stulte hac nocte repetunt animā tuam, quæ preparasti cuius erunt? Competenter ergò ora-

Galat. 5.
Roma. 7.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 126
Ibidem Serm. 182.
Matth. 6.
1. Timo. 6.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 126
Matth. 6.
Luc. 12.

go oramus. [*Panem nostrum quotidianum.*] Hodie nobis dari, quia crastinus dies quid pariat ignoramus. Si verò spiritaliter accipias panem istum, vel ipsum Christum intellige qui est supersubstantialis animæ panis, quia omnem superat substantiā, qui de seipso ait: Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Vel ipsum intellectum verbi diuini, qui nobis necessarius est ad reficiendas ruinas animæ, donec cognominatur hodie. Hæc petitio ad fortitudinem pertinet, quæ quarto loco ponitur ascendentibus ad summam beatitudinē. Sic enim fortitudo est, qua beati fiunt qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Orandum nobis est, vt detur nobis iste panis quotidianus, quo confortati ad illā perfectam saturitatem peruenire possimus. Dicimus deinde: [*Et dimitte nobis peccata nostra.*] In baptismo omnia peccata prorsus dimittuntur nobis. Sed quia nemo hic potest viuere sine peccato, & si non magno crimine vnde separetur ab illo pane, tamen nemo potest sine peccatis esse in hac terra, & non possumus accipere nisi vnum baptismum semel, in oratione accipimus vnde quotidie lauemur, vt nobis peccata nostra quotidie dimittantur, sed si faciamus quod sequitur: [*siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis.*] Vides charissime quanta nos cōditione diuinus sermo perstringat. Dimitte ergo, vt dimittatur tibi. Habes aliquem debitorem qui in te peccauit, qui fortè iniuriam fecit, dimitte illi roganti, indulge poscenti, parce pœnitenti: ne dum denegas pietatem fratri, tibi claudas patris indulgentiam. Dicente Iacobo Apostolo: Iudicium enim sine misericordia, ei qui non fecit misericordiam. Petitio hæc refertur ad consilium, quod quinto loco ponitur inter gradus beatitudinū. Sic enim consilium est, quo beati sunt

Tomo 10. De Temp. Serm. 182
Matth. 6.
Ioan. 6.
Matth. 5.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 135.
Ibidem. Serm. 126.
Iacob. 2.
Serm. 182.

ati sunt misericordes. Dimittamus ergo debitoribus nostris debita sua, & sic oremus vt dimittatur nobis debita nostra, Id est, peccata nostra, propter quæ differimus ab impetranda venia, nisi eam acceleret fratrum indulgentia. Iam verò vtilissimo fine oratio sacra completur, orando contra tentationem & malum. Dicimus enim: [*Et ne nos inducas in tentationem.*] Id est. Ne patiaris nos induci in tentationem. Inducit enim Deus in tentationem hominem, cùm tentari permittit vt probet, non vt perimat. Tentat autem, non quasi mentium nescius humanarum, sed vt suos fideles faciat in seculo manifestos, sicut scriptum est: Vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio turbulationis. Sic Abraham tẽtauit in filio, & honorauit. Sic Iob dando in tentationes varias probauit. Sic Sanctos Apostolos, sic beatissimos Martyres per ignem quoque & gladios coronauit. Ex quo apparet à Deo tentationes huiusmodi prouenire, & diabolum nihil sine Dei permissione valere. Oramus ergo, vt nõ permittat nos Deus tentari supra id quod possumus, sed faciat cũ tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Petitio hæc pertinet ad intellectum, qui sexto loco ponitur in numero beatitudinum. Sic enim intellectus est, quo beati sunt mundo corde, Id est, Qui purgatum habent oculum mentis terreno puluere. Oremus non induci in tentationem, id est, Nõ habere duplex cor, sed vnum & simplex appetere bonum. Sequitur: [*Sed libera nos à malo.*] Non tantum in quo induci possumus, sed etiam ab illo in quo inducti sumus, quo peracto nihil restabit lugendũ. Huic petitioni congruit sapientia, quæ septimum inter beatitudines obtinet locũ. Nam sic sapientia est, qua beati sunt pacifici, Id est, qui ordina-

Matt. 5. *Matt. 6.* *Tomo. 10. De Temp. Serm. 126.* *Ibidem: Serm. 182. Serm. 126* *Eccle. 27.* *Genes. 22* *Iob. 1.* *Tomo. 10. De Temp. Serm. 182. 1. Cor. 10.* *Matt. 5.*

ordinatis moribus suis, cogunt omnia seruire spi-
ritui. Orandum est itaque nobis vt liberemur à
malo. Ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est,
Rom. 8. filios Dei, vt spiritu adoptionis clamemus, Abba
pater. [*Amen*] auté in his petitionibus significat
indubitanter à Deo conferri quod petitur, si vlti-
mæ conditionis pactum firmiter teneatur. [*Ob-*
Tomo. 3. *serua.*] Euangelista Lucas in oratione Domini-
Enchrid. ca, petitiones non septé, sed quinque complex-
ad Lauren us est. Nec ab Matthæo vtique discrepauit, sed
ti cap. 116. quomodo illa septem sunt intelligenda, ipsa sua
Matth. 6. breuitate commonuit. Nomen quippe Dei sancti-
ficatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis re-
surrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas
tertiam petitioné duarum superiorum esse quo-
dammodo repetitionem, magis eam prætermit-
tendo fecit intelligi. Deinde tres alias adiungit:
De pane quotidiano, de remissione peccatorum,
de tentatione vitanda. At verò quod Mathæus in
Ibidem. vltimo posuit: [*Sed libera nos à malo.*] Iste non po-
suit, vt intelligeremus ad illud superius, quod de
tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait:
[*Sed libera,*] non ait, Et libera, tanquam vnam pe-
titionem esse demonstrans. Non hoc, sed hoc: vt
sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod
non infertur in tentationem. [*Et ait ad illos: Quis
Tomo. 10. vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet
Ad fratres illi: amice, commoda mihi tres panes.*] Panem scilicet vi-
in Her. tæ, doctrinę, & exempli. [*quoniam amicus meus venit
Serm. 42. de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille dein-
tus respondens, dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum
est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & da-
re tibi. Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non da-
bit ille surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem ta-
men eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.*]
Quid

Quid est, [*propter improbitatem?*] Quia pulsare non destitit, quia & cùm esset negatum non se auertit: Ille qui nolebat dare quod petebatur, fecit, quia ille in petẽdo non defecit. Amicus ad quem venitur media nocte vt accommodet tres panes, vtiq; ad similitudinem ponitur, secundum quam quis Deum rogat in media tribulatione constitutus, vt ei tribuat intelligentiã trinitatis, qua pręsentis vitæ consoletur labores. Sed comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit de lecto & dat, non amicitia sed tędio compulsus: quãto magis De⁹ dat, qui sine tædio largissimè donat quod petitur. Sed ad hoc se peti vult, vt capaces donorum eius fiant, qui petunt. In tribus autem panibus etiam illud significatur, vnius esse substãtiæ trinitatem. Amicus autem quem dicit ille qui petit venisse de via, & nõ se habere quod ponat ante illum: Intelligitur, hominis appetitus, qui debet optemperare rationi. Seruiebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat, propter omnia per tempus trãseuntia. Conuerso autem homine ad Deum, etiã ille appetitus à consuetudine reuocatur: sed si non consolatur interius gaudium de doctrina spirituali, qua creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ sunt in homine quem præmit erumna mortalis, cùm ab his quæ foris delectant præcipitur abstinentia, & intus non est refectio de lætitia doctrinæ salutaris: & ista angustia est media nox, qua cogitur vehementer instare petendo vt accipiat tres panes. Quod autem dicitur deintus, Iam ostiũ clausum esse, pueros quoque eius cum eo in cubili esse, significat tẽpus famis verbi, cum intelligentia clauditur: et illi qui Euangelicam sapientiam, tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicauerunt,

Tomo. 10. De Verb. Dñi Ser. 5
Tomo 4. Quest. Euang. lib. 2. cap. 21.

cauerunt, pueri patrisfamiliâs iam ſunt in ſecreta quiete cum Domino: Et tamen orando efficitur, vt accipiat deſiderans intellectum ab ipſo Deo, etiam ſi homo deſit per quem ſapientia prædicetur.

Altera eiuſdem Parabolæ expoſitio.

Tome 10. De Temp. Serm. 171. OPponit parabolam cuiuſdam hominis, cuius hoſpes improuiſus aduenit, & hoſpes hoſpitem excepit. Paſſus eſt verecundiam, abijt continuò ad domum diuitis magnã: non ſine ſacramẽto tres panes petit, quia vnus hoſpes erat gratia pietatis, ſed ſubſtantia Trinitatis. Nonne vnus hoſpes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? *Geneſ. 18.* Hoſpes & amicus, pranſor & mãſor: Et omnia illi in trinitate ſunt exhibita humanitatis obſequia, quia Trinitatis gloria refulget. *Ibidem.* Trimum attulit vitulum pater, tres menſuras ſimilaginis conſpergit futura mater, paritura filium pro quo pater mactaret agnum, & ipſa corpus Chriſti in trinitate iam fecerat ſacramentum. Ita & iſte amicus veniente hoſpite, pergit ad domũ diuitis, & trium panum allegat neceſſitatem. Pulſat, & nullus reſpondet de ianitoribus, quia omnes tenuerat ſomnus. Non Angeli, non Archangeli, nõ Prophetæ, non miniſtri. Et ille pulſat, quamuis nemo reſpondeat. Quandoque paterfamiliâs ad importunitatem pulſantis reſpondet illi de interioribus ſacris, de throno quietis: quid pulſas ſine tempore, qui piger fuiſti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulaſti: Nox ſuperuenit, & pulſare cœpiſti. Excuſat tempus, quod improbus quærit affectus. [*Iam pueri quieſcunt,*] & non eſt dignum vt propter te iniuriam patiantur: antequam venires diutius vigilauerunt, modò pro tempore quieuerunt, non eſt qui tibi poſſit dare reſpon-

responſum. Et ille, Domine à te peto, ad te pulſo, immò te pulſo, tu es ianua, ſurge tu, da mihi miſericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viſcera mea. Miniſterio nõ indiges, quia omnia potes. Sed ſi pueri tui dormiunt, tu non dormis qui cuſtodis Iſrael. Gratis peto, ſub gratia mendico, non ſub lege præſumo. Sed ſi Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, ſed tua gratia non habet finem. Quòd euenerunt pueri tui, Prophetæ tui, & ego noui. Sed tu Domine qui es initium & finis, primus & nouiſſimus, noli ad me tædiare nouiſſima hora noctis petentẽ, qui nocte media captiuam duxiſti captiuitatem. Quid faciet pater familiâs tanti perſeueratoris voce conſtrictus? Non excitat Prophetã, non immittit Angelum, non Archangelum: ipſe ſurget, & dabit illi quantum deſiderat. Bene pertinax ille petitor & nocturnus mendicator, ad hoſpitem proprium repedauit, diues factus refecit, nec hoſpes ab hoſpite irrefectus receſſit. Quis eſt iſte hoſpes, rogo vos fratres, qui in nocte venit, & imparatum hoſpitẽ inuenit: imò ideo nocte venit hoſpes, in perpetua & deficiente paupertate? In nocte venit hoſpes, Gratia in ſumma ignorantia, in magna egentia; immittit triſtitiam, quando dicit nocturnus petitor: In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Et iterum. Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus, quoniam proximus eſt. Ideo hoſpes ſuperuenit ſubitò improuiſus, cum quiſpiam tædio afficitur preſſurarum, ſuperuenit illi orandi deſiderium, flendi arripiens votum. Illa hora hoſpes venit Gratia vt compungat conſcientiam, ne in ſua moriatur egentia: Sed eat & petat ad Diuitem, non ſuis meritis, ſed meritis hoſpitis veni-

Ioan. 10. Geneſ. 1. Pſal. 120. Matth. 11. Apoca. 22. & 1. Pſalm. 67 Pſalm. 117 Pſalm. 33.

Tomo 10. *De Temp. Serm.*171. entis, & accipiat tres panes, vt in Patre & Filio & Spiritu Sancto possit & ipse pascere cæteros indigentes. Suauis enim Dominus & mitis, fratres charissimi, habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potiùs negligentes: Neque enim aliquid petitur quod non habeat, vt cũ non dederit erubescat. Diues est pius, affluens & *Iacob*,1. benignus: dat, & non improperat. Imò tunc thesauri domus eius tristitiã patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum. Ipse enim Dominus dicit: [*Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.*] E- *Ioan.* 10. go sum ostium & ianua. Quare trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mẽdicitate conscientia vestra? Ego sum ianua vitæ. Non horresco sordidũ pulsatorem, non pauperem repudio petitorem: tantum nemo negligat suam paupertatem. [*Pulsate, & aperietur.*] Stant Angeli ad ianuam vt introducant, non vt repellant: vt suggerant, non vt terreant. Nulla est pompa in ianua mea. Ego sum ianua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timeant, petentes, egentiam: cum nulli aliquando denegauit misericordiam? Quis sperauit in Domino & cõfusus est? Si pulsant qui desiderant castitatem, dat eis continuò gratiam & sanctitatem, & dicit eis: Nolite ambulare pol- *Leuit.*19. luti, nolite incedere maculosi. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Si accedat pupillus parua manu pulsare ianuam paternam, nunciant eum Angeli Domino: Pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat, responde illi Domine: Tibi enim dere- *Psalm.* 9. lictus est pauper, † orphano tu eris adiutor. Res- † pupil- pondet illi qui diues est, misericordia plenus, qui lo. miseris pater est: Ego sum iudex viduarum & pa- *Psal*, 67. ter orphanorum. Nemo ledat quos ego suscipio,

nemo

nemo expoliet quos ego defendo. Et qui accesserunt ad ipsam ianuam, quamuis diuidant vocē disparis precis, tamen ab vnius diuitis patrisfamiliâs domo, omnes accipiunt pietatem. Hoc amat ianua Saluatoris, vt pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus videns ianuam suam à petitorum voce, à pulsantium clamore silere, inuitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Petite, & si nō acceperitis adhuc petite, & perseuerate pulsare. Nolite deficere, quia non necat Deus fame animam iusti. [*Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.*] Ergo perseuerantia opus est vt accipiamus quod petimus, & inueniamus quod quærimus: & quod pulsamus aperiatur: [*Obserua.*] Amore petitur, amore quęritur, amore pulsatur, amore reuelatur, amore denique in eo quod reuelatū fuerit, permanetur. [*Quis autem ex vobis patrem petit panem, nūquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nūquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouū, nūquid porriget illi scorpionem?*] Intelligitur panis charitas, propter maiorē appetitū, & tā necessariā, vt sine illa cętera nihil sint, sicuti sine pane mēsa inops: cui contraria est cordis duritia, quā lapidi comparauit. Piscis autem intelligitur Fides inuisibilium, vel propter aquā Baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur. Quod etiam fides, huius mundi fluctibus circumlatrata, non frangitur, rectè pisci comparatur: Cui contrariū posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini malè suadendo pręseminauit. In ouo intelligitur spes, ouum enim nondum est foetus perfectus, sed fouendo speratur: cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus est, sicut spei contrarium

Tomo 4. De Serm. Dñi in mōte li. 2. BB.

Tomo. 1. De Mor. Eccl. cath. li. 1. ca. 17

Tomo 4. Quest. Euang li. 2 cap. 22.

1. Cor. 13.

Genes. 3.

est retro respicere, cùm spes futurorum in ea quę ante sunt se extendat. Si plura desideras, require Sermonem 29. De verbis Domini. [*Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater*
Tomo. 8. *vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*] Hic
Psalm. 118 est ille spiritus, per quem diffunditur charitas in
Serm. 14. cordibus nostris, vt Deum proximumq; diligen-
Rom. 5. do, diuina mandata faciamus. Hic est spiritus ille
Rom. 8. in quo clamamus, Abba Pater. Ac per hoc ipse nos facit petere, quicquid desideramus accipere: Ipse nos facit quærere, quem cupimus inuenire: Ipse nos facit pulsare, ad quem nitimur perueni-
Ibidem. re. Hoc docet Apostolus: Qui cùm dicat in Spiritusancto nos clamare, Abba Pater: Rursus alio lo
Galat. 4. co dicit, dedit Deus spiritum filij sui, clamantē in corda nostra, Abba Pater. Quomodo nos clamamus, si ipse clamat in nobis, nisi quia ipse clamare nos fecit, dum habitare cœpit in nobis? Etiam hoc itaque agit acceptus, vt largius accipiendus petendo, quærendo, pulsando, poscatur. Siue enim vt vita bona petatur, siue vt benè viua
Rom. 8. tur, quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij
Tomo. 2. Dei. Num igitur Deus pater malorum est? Absit.
Episto. 54. Quomodo ergo dicitur: [*Pater vester cælestis,*] qui bus dicitur: [*Cùm sitis mali.*] Nisi quia vtrunque veritas monstrat, quid simus Dei dono, quid humano vitio: hoc commendans, illud emendans.
[*Et erat eijciens dæmonium, & illud erat mutū: & cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidā autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit*
Tomo. 9. *dæmonia.*] Beelzebub, interpretatū dicitur, Prin-
Expo. in Euan. Ioan. ceps muscarum. [*Et alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo, Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis:*
Tract. 1. *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit*

do stabit regnum eius? quia dicitis me in Beelzebub eycere dæmonia.] Hoc dicens, ex ipsorum confessione volebat intelligi, quod in eum non credendo, in regno diaboli esse delegissent, quod vtiq; aduersum se diuisum stare non possit. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint. Si satanas satanam non potest eijcere, nihil contra Dominum quod dicerent inuenire potuerunt. Si autem potest, multo magis sibi prospiciant & recedant de regno eius quod aduersum se diuisum stare non potest. In quo autem Dominus Christus eijciat dæmones, ne dæmoniorũ principem existiment, attendant quod sequitur, ait enim: [*Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erũt.*] Dixit hoc vtique de Discipulis suis, illius populi filijs: qui certè discipuli Domini Iesu Christi bene sibi conscij fuerant nihil se malarũ artium à bono magistro didicisse, vt in principe dæmoniorũ eijcerent dæmones. [*Ideo* (inquit) *ipsi iudices vestri erunt.*] Ipsi (inquit) ipsi ignobilia & contemtabilia huius mundi, in quibus, nõ artificiosa malignitas, sed sancta simplicitas meæ virtutis apparet: Ipsi testes mei, Iudices vestri erũt. [*Porro si in digito Dei, eijcio dæmonia:*] Id est, in Spiritu Dei. Nomine enim digiti significatur Spiritus sanctus. Neque enim Deus forma corporis definitus est, nec sic in illo mẽbra & digiti cogitandi sunt, quemadmodum videmus in nobis. Sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis diuiduntur, vacùm diuersa possint, non tamen discedant à concordia charitatis. In digitis autem maximè apparet quædam diuisio, nec tamen ab vnitate præcisio: siue propterea, siue propter aliam causam quamcunq; Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei: Non tamen cùm hoc audimus, humani

Tomo 10. De Verbis Dñi Ser. 11 De Blasph. in Spiritũ sanctum.

1. Cor. 1.

Tomo 4. De Cathechizã. Rudi. cap. 20

Tomo. 10. *De verbis Domini Ser.* 11. *De Blasp. in Spiritũ sanctũ. A.* corporis forma cogitanda est. [*profecto peruenit in vos Regnum Dei.*] Quid est hoc? *Si ego* (inquit) *in spiritu Dei dæmones eijcio,*] non aliter possunt filij vestri eijcere, quibus non malignã doctrinã, sed fidem simplicem dedi: [*Procul dubio peruenit in vos regnum Dei,*] quo subuertitur regnum diaboli, cum quo & vos subuertemini, si non mutemini. Et quoniam dixerat: [*Filij vestri in quo eijciunt,*] vt ostenderet in eis esse gratiã suam, non meritũ illorũ, ait: [*Cum fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eũ, vniuersa arma eius auferet in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuet.*] Filij (inquit) vestri, vel qui crediderũt in me, vel adhuc credituri sũt & eiecturi dæmones, nõ in dęmonum principe, sed in simplici sanctitate: qui certè vel fuerunt, vel hoc sunt quod etiam vos e-

† atque stis, id est, peccatores † aut impij, & ideo in domo diaboli & vasa diaboli: quomodo ab illo possint erui, quos pręualẽte iniquitate fortiter obtinebat nisi alligaretur iustitiæ meæ vinculis, & vasa eius diriperem, quæ fuerant vasa iræ, & ea facerem mea vasa misericordiæ? Hoc est quod etiam Bea-

1. Corin. 4 tus Apostolus, superbis & quasi de suis meritis gloriantibus increpãs dicit: Quis enim te discer-

Ibidem. nit? Hoc est, à massa perditionis ex Adam, & à vasis iræ quis te discernit. Et ne quisquam dice-

Ephes. 2. ret, iustitia mea. Quid enim habes (inquit) quod non accepisti? Vnde & de seipso dicit: Fuimus e-

1. Timo. 1. nim & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. Ergo & ipse vas erat in domo illius malè fortis, cùm esset Ecclesię persecutor, blasphem⁹,

Act. 9. iniuriosus, in malitia & inuidia, sicut fatetur, a-

† vasa. gens. Sed ille qui alligauit fortem, ab eo † vas perditionis eripuit, & † vas electionis effecit. Denique ne putarent increduli & impij aduersantes nomini

nomini Christiano, propter diuersas heræses &
scismata eorum, qui sub nomine christiano gre-
ges colligunt perditorum, etiam Christi regnum
aduersum se esse diuisum, consequenter adiungit:
*[Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum,
dispergit.]* Non ait, Qui non est sub voce nominis
mei, aut sub specie Sacramenti mei, sed: *[Qui non
est mecum, contra me est.]* Nec ait: Qui non congregat
sub † voce nominus mei, sed: *[qui non congregat me-* †inuoca
cum, spargit.] Non est ergo aduersum se diuisũ reg- tione.
num Christi, & si homines conentur diuidere, *Matt.12.*
quod emptum est † prætio sanguinis Christi. No- *2.Timo.2.*
uit enim Dominus qui sunt eius. Et recedat, in- † pretio
quit, ab iniquitate, omnis qui nominat nomẽ do- so sãgui
mini. Nam si ab iniquitate non recedit, non per- ne Chri
tinet ad regnum Christi, etiam nominans nomen sti.
Christi & cet. *[Cùm immundus spiritus exierit de homine,
perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueni-
ens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm vene-
rit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit & assumit sep-
tem alios spiritus secum nequiores se, & ingreßi habitant ibi. Et
fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.]* Quoniam *Tomo.4.*
purgationis suæ habitatorem Spiritum sanctum *De fide &*
non recipiens, fecit in se immundum spiritũ mul- *operibus.*
tipliciorem redire. Ne ergo & nos tale aliquid pa- *cap.26.*
tiamur, quantum possumus elaboremus in locis *Tomo.10.*
vitiorũ virtutes inducere, vt possimus ad Dei mi- *50. Homi*
sericordiam peruenire: *[Factum est autem cùm hæc di-* *liarũ.*
ceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus *Hom.38.*
*venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quim-
mò: beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.]* Hoc
est dicere: Et mater mea, quam appellas fœlicem, *Tomo.9.*
inde fœlix quia verbum Dei custodit, non quia *Expos. in*
in illa verbũ caro factũ est, & habitauit in vobis, *Euang.*
sed quia custodit ipsũ Verbũ Dei, per quod facta *Ioan.*
Tract.10.

 est *Ioan.1.*

est, et quod in illa caro factum est. Homines ergo nō gaudeāt prole tēporali, sed exultent si spiritu iūgūtur Deo. [*Turbis autem cōcurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequā est: signū quærit. & signū non dabitur ei, nisi signū Ionæ. Nā sicut fuit Ionas signū Niniuitis, ita erit filius hominis generationi isti.*] De Iona, quē absorptū piscis euomuit illæsum in aridā, euidētē habem⁹ ipsius Domini sentētiā: quod sicut ille fuerit in vētre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita foret fili⁹ hominis in corde terræ. [*Regina Austri surget in iudicio cū viris generationis huius & cōdemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiā Salomonis. Et ecce plusquā Salomō hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & cōdemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquā Ionas hic*] Duas hoc loco res discimus: Et vēturū esse iudiciū, et cū mortuorū resurrectione venturū. De Niniuitis enim & Regina Austri; quādo hæc dicebat, de mortuis (sine dubio) loquebatur: Quos tamē in die iudicij resurrecturos esse prædixit. Nec ideo dixit. [*Condemnabunt*] quia iudicabūt, sed quia ex ipsorū cōparatione, isti meritò dānabūtur [*Nemo lucernā accendit, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed supra cādelabrū, vt qui ingrediūtur lumen videāt.*] Sub modio lucernā ponit, quisquis lucē bonæ doctrinæ cōmodis tēporalibus obscurat & tegit. Super candelabrū autē, qui corpus suū ministerio Dei subijcit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis: per ipsam tamen corporis seruitutē excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est, per vocem & linguam, & cæteros corporis motus, in bonis operibus insumatur discentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam, cùm dicit Apostolus: Non sic pugno tanquam aërem cedens, sed castigo corpus meum & seruituti subijcio, ne fortè

Tomo. 10. De Temp. Serm. 153. Ionæ. 2. Matth. 12.

Tomo. 5. De Ciuit. Dei. lib. 20. cap. 5.

Tomo. 4. De Serm. Domi. in Mont. Lib. 1. E.

1. Cor. 9.

alijs

alijs prædicans, ipse reprobus inueniar. [*Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.*] Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce eũ qui non facit opera bona, intẽtione fidei bonæ, hoc est, eius quę per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. [*Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint.*] Lumen, dicit bonam intentionem mentis qua operamur, [*tenebras*] autem ipsa opera appellat: siue quia ignoratur ab alijs quo animo illa faciamus, siue quia illorum exitum etiam ipsi nescimus, id est, quomodo exeant atque proueniant eis quibus nos ea bono animo inpẽdimus. Plerunque enim beneficijs nostris malè vtendo corrumpuntur, quibus nos ea misericorditer beniuola intentione præstamus. [*Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totũ. Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.*] Nam talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua, cur ea facias. [Et *cùm loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se. Iesus autem ingreßus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non babtizatus esset ante prandium:* Et ait Dominus *ad illum:* Nunc *vos pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit?*] Audistis quomodo Dominus Iesus in eo quod Pharisæis dicebat, suos vtique Discipulos commonebat, ne in corporis mundatione putarent esse iustitiam. Omni enim die Pharisæi antequam pranderent abluebant se aqua, quasi quotidiana lauatio possit cordis esse mundatio. Denique

Tomo. 7. Contr. Iulia. Pelagia. lib. 4. cap. 3. Galat. 5.

Tomo 4. Qu. Euãg. lib. 2. cap. 15.

Tomo. 3. De Opere Monacho. cap. 26.

Tomo 10. De Verbis Domini Serm. 30.

que quales tales essent, ostendit. Ille dicebat qui videbat: non enim tantùm facies eorum, sed etiã interiora cernebat. Denique vt hoc sciatis, Ille Pharisæus, cui respondit Christus, apud seipsum cogitauit, voce non sonuit, & ille tamen audiuit. Apud se enim reprehendit Dominum Christum, quia sic venit ad conuiuium eius non lotus. Ille cogitabat, hic audiebat: ideo respondebat. Quid ergo respondit? [*Nunc vos pharisæi quod foris est paropsidis lauatis, intus autem pleni estis dolo & rapina*] O venire ad prandiũ? Quomodo pepercit homini à quo fuerat inuitatus? Magis obiurgando pepercit, vt correcto, in iudicio parceret. Deinde quid ostendit nobis? Quia & baptismum quod semel adhibetur per fidem, mundat. Fides autem intus est, non foris. Vnde dicitur & legitur in Actibus Apostolorum: [*Fide mundans*] corda eorum. Et Apostolus Petrus in Epistola sua ita loquitur: Sic (inquit) & nobis dedit similitudinem de Arca Noe, quomodo octo animę saluæ factę sunt per aquam. Et adiunxit: Sic & vos simili forma baptisma saluos faciet, non carnis depositio sordium, sed consciẽtiæ bonæ interrogatio in Deum. Hanc conscientiæ bonæ interrogationem Pharisæi contemnebant: & quod erat foris lauabant, intus inquinatissimi permanebant. Et quid eis ait postea? [*Veruntamen quod superest date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.*] Laudata est eleemosina, facite & probate. Sed paulisper attendite quod Pharisæis dictum est. Pharisæi isti Iudęi erant, quasi egregij Iudæorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Pharisęi vocabantur. Baptismo Christi abluti non erant, in Christum filium Dei vnigenitum, qui inter illos ambulabat, & ab eis non agnoscebatur, nondum crediderant. Quomodo eis dicit:

Act.15. *1.Pet.3.* *Genes.7.* *1.Petr.3.*

Date

[*Date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis?*] Si audirent illum Pharisæi & darent eleemosinas, iam secundum verbum eius munda illis essent omnia: quid opus esset vt crederent in eo? Si autem mundari non possunt, nisi credentes in eum, qui fide mundat cor: quid est, Date eleemosinas, & ecce omnia munda sunt vobis? Attendamus, & fortè ipse exponit. Cùm hæc dixisset sine dubio cogitauerunt illi qui dabant eleemosinas. Et quomodo dabant? Omnia sua decimabãt, de omnibus fructibus suis decimam partem detrahebãt & ipsam dabãt. Nó facile hoc facit aliquis christianus. Ecce quod faciebãt Iudęi. Non triticum solum, sed oleum & vinum: neque hoc solum, sed etiam res contemptibiles propter præceptum Dei, Ciminum, mentham, rutam & anetum, totum decimabant. Id est, Decimam partem detrahebant & eleemosinas dabant. Credo ergo quia reuocauerunt ad se, & putauerunt Dominũ Christum inaniter loqui, quasi eis qui non facerent eleemosinas, cùm ipsi scirent opera sua, quod & minutissima & contemptibilia fructuum suorum decimabant, & eleemosinas dabant, irriserint eum apud se talia dicentem, quasi hominibus qui eleemosinas non facerent. Hoc Dominus sciens, continuò subiunxit. [*Sed væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam, & omne olus,*] Vt sciatis, noui eleemosinas vestras. Certè istæ sunt eleemosinæ vestræ, istæ sunt decimæ, etiam minuta quæque & contemptibilia fructuum vestrorum decimatis, [*& præteritis*] atque relinquitis grauiora Legis, [*Iudicium & charitatem Dei.*] Attendite, Reliquistis iudicium & Charitatẽ, & decimatis olera: Non est hoc facere eleemosinam. [*Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*] Quæ facere? iudicium & charitatem

ritatem, Iustitiam et misericordiam: & illa non omittere. Facite illa, sed ista præponite. Sed hæc ita sunt. Quid est quod illis dixit: Facite eleemosinas? et ecce õnia mũda sũt vobis. Quid est, Facite eleemosinas Facite misericordiã. Quid est, Facite misericordiã? Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es misericors alteri, si crudelis sis tibi? [*Date*
Eccle. 30. *eleemosinã & õnia mũda sunt vobis.*] Facite verã eleemosinã. Quid est eleemosina? Misericordia. Audi scripturã: Miserere animę tuę placẽs Deo. Fac eleemosinã, miserere aĩæ tuæ placẽs deo. Mẽdicat à te anima tua, redi ad cõsciẽtiã tuã. Quicũq; malè viuis, quicũq; infideliter viuis, redi ad cõsciẽtiã tuã, & ibi inuenis mẽdicãtẽ animã tuã, inuenis egentẽ, inuenis pauperẽ, inuenis erũnosã: inuenis fortè nec egentẽ sed egestate obmutescẽtẽ. Nã si mendicat, esurit iustitiã. Quando inueneris animã tuã talẽ, intus in corde tuo sũt illa? fac prius eleemosinã, da illi panẽ? quẽ panẽ? Si Pharisęus interrogaret, diceret illi Dominus: Fac eleemosinã cũ anima tua. Hoc enim illi dixit, sed ille nõ intellexit, quãdo illis enarrauit eleemosinas quas faciebãt, & putabãt latere Christũ, et ait illis: Noui quid facitis, [*Decimatis menthã & anetũ, ciminũ & rutã.*] Sed ego alias eleemosinas loquor: [*Contemnitis Iudicium & charitatem*] In iudicio & charitate fac eleemosinã cũ anima tua. Quid est iudiciũ? Respice & inueni, dis displice tibi, pronũtia in te. Et quid est Charitas?
Matt. 22. Dilige Dominum in toto corde tuo, tota anima tua, tota mente tua: Dilige proximum tuum tanquã teipsum, & fecisti prius misericordiam cum anima tua, in conscientia tua. Hanc autem eleemosinam si prætermittis da quantum vis, dona quantum vis, retrahe de fructibus tuis, non decimas sed dimidias: nouem partes da, & vnam mihi

hil dimitte. Nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pauper es. Anima tua vescatur, ne fame pereat. Da illi panem. Quem panem, inquit? Ipse tecum loquitur. Tu si audires & intelligeres & crederes Dominum, ipse tibi diceret. Ego sum panis viuus qui descendi de cælo. Nonne istum panem primum dares animæ tuæ, & faceres cum illa eleemosinam? Si ergo credis, facere debes, vt prius pascas animam tuam. Crede in Christum et mundabuntur quæ intus sunt, & quæ foris sũt munda erunt. Sequitur: [*Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis quia estis vt monumenta quæ non parent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondens autem quidam ex Legisperitis ait illi: Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Sed profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur, vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi, à generatione ista, à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.*] Horum sanguinẽ dicit Dominus Iesus ab eis exigendum, qui in patrum suorum (à quibus illi occisi sunt) iniquitate persisterent. [*Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.*] [*Clauem scientiæ*] vocat, quod in scriptura de humanitate Christi dicitur, quã nec ipsi ĩtelligere, nec ab alijs ĩtelligi volebãt. In semet ipsis enĩ vebũ Dei nõ habebant, sed in literis quas legebãt: Nã si haberẽt in semetipsis, & ipsi intrarent

Ioan. 6.

Tomo. 2. Exẽp, 120 De Gra. Noui Test. ad Honor. capite. 10. Tomo. 4. Quæst. Euang. lib. 2. cap. 23. Tomo. 6. Contra Aduers. Legis & prophet. Libro. 2. capite. 5.

Ioan. 8. & 16. rent, & alios intrare permitterent. Non intrare autem est, non intelligere. Ecce quare (vt alibi dicit) nec eum nouerant, nec eius patrem: Quia nō intelligebāt quod legebāt, non quia Deū & Christū non prędicauerant, quos legebant. Hoc est ergo intrare, non esse contentū superficie literę, sed ad interiora intelligētiæ peruenire. [*Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.*]

CAPITIS DVODECIMI ARGVMENTVM.

Christus sub Pharisæorum fermento, mortis securitate, hæreditatis diuisione, horreorum repletione, auium prouisione, liliorum ornatu, sollicita Domini expectatione, & fideli dispensatione aduersus Antichristum Discipulos roborat.

CAPVT XII.

M*Vltis autem turbis concurrentibus ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad Discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.*] Quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus cùm diceret: [*Cauete à fermento Pharisæorum.*] Et in laude, cùm diceret: Simile est Regnū

Tomo 3. De Doct. Christiana lib. 3. capite. 25.

Matt. 16. Luc. 13.

cęlorum

cælorum mulieri, quæ abſcondit fermentum in *Tomo. 10.*
tribus menſuris farinæ, donec fermentaretur to- *2. Retract.*
tum. Huius igitur varietatis obſeruatio, duas ha- *4. a.*
bet formas: ſic enim aliud atque aliud res quęq;
ſignificant, vt aut contraria, aut tantũmodo diuer
ſa ſignificẽt. Cõtraria ſcilicet, cũ alias in bono, ali-
as in malo res eadẽ per ſimilitudinẽ ponitur: ſicut
hoc eſt quod de fermento ſuprà diximus. Tale eſt
etiam, quod leo ſignificat Chriſtum, vbi dicitur:
Vicit leo de tribu Iuda. Significat & diabolum, *Apocal. 5.*
vbi ſcriptum eſt: Aduerſarius veſter diabolus, tan *1. Petr. 5.*
quam Leo rugiens circuit, quærens quem deuo-
ret. Ita ſerpens in bono eſt: Aſtuti vt ſerpentes. In
malo autem, Serpens Euam ſeduxit aſtutia ſua. *Mat. 10.*
In bono panis, Ego ſum viuus, qui de cælo deſ- *2. Cor. 11.*
cendi: In malo autem panis: Panes occultos libẽ- *Iohan. 10.*
ter edite. Sic & alia plurima. Et hæc quidem quæ *Prouer. 9.*
commemoraui minimè dubiam ſignificationem
gerunt, quia exempli gratia, commemorari non
niſi manifeſtiſſima debuerunt. Sunt autem quæ in
certum ſit in quam partem accipi debeant: ſicut, *Pſalm. 74*
Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.
Incertum eſt enim vtrum iram Dei ſignificet, nõ
vſque ad nouiſſimam pœnam, id eſt, vſque fæcẽ:
An potiùs gratiam ſcripturarũ à Iudæis ad Gen-
tes tranſeuntem, quia inclinauit ex hoc in hoc, re *Ibidem.*
manentibus apud Iudæos obſeruationibus quas
carnaliter ſapiunt, quia fex eius non eſt exinani-
ta. Cùm vero res eadem non in contraria, ſed tan
tum in diuerſa ſignificatione ponitur, illud eſt in
exemplo, quod aqua & populum ſignificat, ſicut
in Apocalipſi legimus, & Spiritum ſanctum, vn-
de eſt illud: Flumina aquæ viuæ fluent de ventre *Apocal. 17*
eius: et ſi quid aliud atque aliud pro locis in qui- *Iohan. 7.*
bus ponitur aqua, ſignificare intelligitur. Sic & a-

liæ res nos ſingulæ, ſed vnaqueque earũ non ſolum duo aliqua diuerſa, ſed etiam nonnunquam multa ſignificat pro loco ſententiæ, poſita reperitur. *[Nihil enim opertum quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aure loquuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ãplius quid faciant.]*

Tomo. 9. Expoſ. in Euãg. Ioã. Tract. 43. Quomodo non habent quod faciant? Quid ſi cũ occiderint, corpus beſtijs lacerandum, & diripiendum alitibus proijciant? videtur adhuc ſæuitia habere quod faciat. Sed cui facit? Qui migrauit. Ineſt corpus, ſed nullus eſt ſenſus: habitatio iacet, habitator abſceſſit. Ergo poſtea non habent quod faciant. Non ſentienti enim nihil faciunt. *[Oſtendam autem vobis quem timeatis: Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.]*

Tomo. 8. Pſalm. 63 Qui ſunt qui corpus occidunt? Inimici. Quid iubebat Dominus? Ne timerentur. Oretur ergo, vt præſtet quod iubet: A timore inimici erue animam meam. Erue me à timore inimici, & ſubde timori tuo.

Pſalm. 63 Non timeã eum qui corpus occidit, ſed timeam eum qui habet poteſtatem & corpus & animam occidere in gehennã ignis. Non enim à timore volo eſſe immunis: ſed à timore inimici liber, ſub timore Domini ſeruus. *[Nonne quinque paſſeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt: Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos.]*

Tomo. 8. Pſal. 145. Nolite itaq; dicere: Non pertineo ad Deum. Pertinet enim ad Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum: quia Deus fecit & animam tuam & corpus tuum. Dicis forte. Non me numerat Deus in magna multitudine. Accedit tibi mirum de Euangelio: *[Sed & capilli capitis*

veſtri

vestri omnes numerati sunt.] Hoc dixit, volens ostendere, quicquid vilissimum homines putant, omnipotentia Dei gubernari. [*Dico autem vobis: Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus.*] (Quantuncunque & quotiescunque peccator, cuiuscũque ordinis, etiam si fuerit Sacerdos) [*& filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.*] Scilicet, blasphemia cordis impœnitentis qua resistitur remissioni peccatorũ, quæ fit in Ecclesia per Spiritum sanctũ. Peccatũ enim in Spiritũ sanctũ, ꝙ neq; in hoc seculo, neq; in futuro dimitti Dominus dicit, nullũ intelligitur nisi perseuerãtia in nequitia & malignitate, cũ desperatione indulgentiæ Dei. [*Cùm autem inducent vos in Synagogas, & ad Magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere:*] Meditari vetuit, & confiteri præcepit: Maluit enim auferre præsumtionem humanam, & gratiam dare diuinã, vt in semetipsis timidi, & mundo essent audaces. [*Ait autem ei quidam de turba: magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?*] Non vtique dedignabatur compescere cupiditatem, sed nolebat fieri iudex ad diuisionem. [*Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritia; quia non in abundantia cuiusquã vita eius est ex ijs quæ possidet.*] Quid est, [*ab omni?*] Quare addidit, [*ab omni?*] Potest enim & sic dicere: Cauete ab auaritia. Pertinuit ad eum vt adderet, [*ab omni,*] & diceret: [*Cauete ab omni auaritia.*] Quare hoc dixerit, velut occasio ipsa, vnde natus est sermo, apparet in sancto Euangelio. Interpel-

Tomo. 3. De Agone Christiano cap. 8.

Tomo. 4. De vera et fals. penit. cap. 5.

Tomo 10. De Verbis Domini Serm. 11. De Blasph. in Spiritũ sanctũ. R.

Tomo 4. Expos. Epistolæ ad Roma. inchoa. X.

Matth. 12.

Tomo. 10. De Sãctis Sermo. 43

Tomo. 9. De Vtilitate ieiunij l.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 196

lauit enim eum quidam contra fratrem suũ, qui totum patrimonium abstulerat,& fratri suo partem non reddebat. Quam bonam ergo causam habuerit interpellator iste aduertitis. Non enim rapere quærebat aliena,sed sua, à parentibus sibi derelicta,quærebat,& ipsa, Domino interpellato & iudicante, poscebat. Habebat inimicum fratrem,sed iustum iudicem inuenerat contra inimicum fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona causa istam occasionem? Aut quis diceret fratri eius? Redde partem suam fratri tuo, si Christus nõ diceret? Ille iudex hoc dicturus erat, quem fortè frater ditior & raptor præmio corrumpebat? Miser ergo & paternis opibus destitutus, tali ac tanto iudice inuento accedit,interpellat,rogat,causam suam breuissimè exponit. Vt quid opus erat causam protelare, quando ei loquebatur qui & cor poterat videre? [*Domine* (inquit) *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.*] Non ei dixit Dominus, veniat frater tuus, sed nec misit vt adesset, aut cùm affuisset interpellatori, dixit, Proba quod dicebas. Petebat dimidiam hæreditatem. Petebat in terra dimidiam,in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quàm ille postulabat. Dic fratri meo, vt diuidat mecũ hæreditatem. Causa iusta,causa breuis. Sed audiamus & iudicantem & docentem: [*Homo ait, homo.*] Qui enim pro magno habes istam hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plusquam est homo. Quid plus illum volebat facere, cui volebat auaritiam tollere. Quid eũ plus volebat facere? Dico vobis: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Ecce quid eum volebat facere. Inter Deos numerare, qui auaritiam non habent. [*Homo, quis me constituit diuisorem inter vos?*] Et

Psalm. 81.

Paulus

Paulus Apoſtolus ſeruus ipſius, quando dicebat: Obſecro vos fratres vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: nolebat eſſe diuiſor. Deniq; doluit eos qui ad ipſius nomē currebant, & Chriſtū diuidebant. Vnuſquiſq; veſtrū dicit: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Nūquid Paulus pro vobis crucifix' eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Videte ergò quàm mali ſunt homines qui volunt eſſe diuiſi. Qui noluit eſſe diuiſor: [*Quis me* (inquit) *conſtituit diuiſorem inter vos?*] Petis beneficium, audi conſilium. Ego dico vobis: [*Cauete ab omni cupiditate.*] Forte inquis: Tu auarum & cupidum diceres, ſi quæreret aliena. Ego autē dico: Cupide & auare, non appetas nec tua, hoc eſt [*ab omni. Cauete* (inquit) *ab omni auaritia.*] Magnum pondus. Si forte hoc pondus infirmis imponitur, rogetur vt qui imponit vires dare dignetur. Non enim leuiter habendū eſt fratres mei, quando Dominus noſter, redemptor noſter, ſaluator noſter, qui mortuus eſt pro nobis, qui ſanguinem ſuum precium dedit vt redimeret nos, aduocatus & index noſter: non eſt leue quando dicit: [*Cauete.*] Nouit ille quantū mali ſit, nos non nouimus. Illi credamus. [*Cauete,*] inquit. Quid? Vnde? [*Ab omni auaritia.*] Meum ſeruo, non alienum tollo. [*Cauete ab omni auaritia.*] Non ſolum auarus eſt qui rapit aliena ſed ille auarus eſt, qui cupidè ſeruat ſua: Sed ſi ſic culpatur, qui cupidè conſeruat ſua: quomodo iudicaturus eſt te, cùm non ſolum ſeruas tua, ſed etiam quæris aliena? Da mihi hominem qui cum timore audiuit: Cauete ab omni cupiditate: & non mihi dicat, ego homo pauper ſum, plebeius, mediocris, gregalis: quando me ſpero ante iudicem futurum, non timeo iſtā ten-

1. Corin. 1.

Ibidem.

tationē, cui⁹ periculū āte oculos posuisti. Ecce di co & pauperi ꝙ timere debeat. Vocat te diues & potēs, vt pro illo dicas falsum testimoniū. Quid facturus es? Modò dic mihi. Habes bonū peculiū, laborasti, acquisisti, seruasti. Exigit ille, dic ꝓ me falsum testimoniū, & tantum & tantū dono tibi. Tu qui nō quæris aliena, dic: Absit à me, nō quęro quod mihi noluit Deus dare, nō accipio, recede à me. Nō (inquit) vis accipere quod do, ꝙ habes tol lo. Ecce modò te proba, modò te interroga. Quid me attēdis? Intus attēde, int⁹ vide, intus examina, & cōstitue te ante te, & in eculeo pręcepti Dei ex tēde te & timore torque te, & noli te palpare. Res pōde tibi: ecce si hoc quisquā minetur, quid facies? Credo tibi, quia ꝙ cū tāto labore acquisisti, mi nime perdere vis. Minatur tibi: nisi ꝓ me falsum testimoniū dixeris, tollo illud: sed si ꝓ me falsum testimoniū dixeris, do illud. [*Cauete ab omni auaritia.*] O serue meus, dicit tibi De⁹, quē redemi & li berū feci, quem de seruo fratrē adoptaui, quē in corpore meo mēbrū posui, audi me: Tollat quod acquisisti, me tibi nō tollit. Ne pereas: Serua tua. Non tibi dixi, cauete ab ōni cupiditate? ecce turbaris, ecce fluctuas. Cor tuū quasi nauis tēpestati
Matth. 8. bus quatitur. Dormit Christus. Excita dormiētē, & nō patieris tempestatē sæuientē. Ipsum excita
Philip. 2. qui nihil hîc habere voluit, & totū habes: qui vsq;
Psalm. 21 ad crucē pro te peruenit, cuius nudi atq; penden tis ossa ab insultantibus numerata sunt, [*& caue ab omni auaritia.*] Parū est auaritia pecunię, caue ab auaritia vitæ. Horrenda auaritia, metuēda auaritia. Aliquando homo contēnit quod habet, & dicit: non dico falsum testimoniū: non dico, dicis mihi? Tollo quod habes. Tolle quod habeo, non tollis ꝙ intus habeo. Nō enim pauper remāserat,
qui

qui dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, si *Iob. 1.*
cut Domino placuit ita factum est: ergo sit nomē
Domini benedictum. Nudus exij de vtero matris
meæ, nudus reuertar in terram. Nudus foris, in-
tus vestitus. Nudus foris à pānis & putribilibus pā
nis, intus vestitus. Vnde, Sacerdotes tui induantur
iustitia. Sed quid si dicat, cū cōtēseris ea quę possi
des, quid si dicat? Occido te: Respōde illi, si Chri- *Psalm. 131*
stū audisti: Occidis me? Melius tu carnē meā, quā
ego per linguam falsam animā meam. Quid fac-
turus es mihi? Occisurus es carnem. Exiet anima
libera in finem seculi, & ipsam quam contemse-
rat carnem receptura. Quid ergo mihi facturus
es? Si autem falsum testimonium dixero pro te,
de lingua mea occido me, & non in carne occido
me. Os enim quod mentitur occidit animā. For- *Sapient. 1.*
tè hoc non dicis. Vnde non dicis? Viuere vis. Vis
viuere, cùm Deus hic limitē viuendi constituit?
Certè, caue ab omni auaritia. Hucusque Deus vo
luit vt viuas, quousque iste ad te accesserit: fortè
occisurus est te, vt martyrem faciat. Noli habere
cupiditatem viuendi, & non habes æternitatem
moriendi. Videtis quia vbique auaritia illa, cùm
plus volumus quam opus est, facit nos peccare?
Caueamus ab omni auaritia, si volumus frui æter
na sapientia. [*Dixit autem similitudinem ad illos, dicens:*
Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager.] Id est, pos- *Tomo. 10.*
sessio, [*attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam,* *50. Homi.*
quod non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciā: *48.*
Destruam horrea mea.] Et Apothecas, [*& maiora*
faciam,] Id est, edificabo. [*& illuc congregabo om-*
nia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: A- *Tomo. 10.*
nima, &c.] Quando mihi audet dicere christia- *De Verb.*
nus, bonum est rapere res alienas, quandoquidē *Apo. Ser.*
non audet dicere: bonum est tenaciter seruare res *19.*

ſuas? Nunquid enim diues hic, cui ſucceſſerat regio, & non inueniebat vbi poneret fructus ſuos, & ſe conſilium inueniſſe gaudebat deſtruendi veteres apothecas & conſtruendi nouas ampliores vt impleret eas, & diceret animę ſuę. [*Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.*] Nunquid ergo iſte diues aliena quærebat? Fructus ſuos colligere diſponebat, vbi poneret, conſulebat: Non de cuiuſque vicini agris, non limite perturbato, non expoliato paupere, non circumuento ſimplice, tantummodo de ſuis colligendis cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter ſeruabat ſua, & hinc intelligite quid expectent qui rapiunt aliena. Cùm ergo prudentiſſimum conſiliū ſe inueniſſe arbitraretur, de apothecis veteribus anguſtis deijciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus ſuis fructib⁹ colligendis & recondendis, non alienis concupiendis aut rapiendis. [*Dixit illi Deus: Stulte.*] Vbi tibi ſapiens videris, ibi ſtulte. [*Stulte* (inquit) *hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt:*] Si ſeruaueris, tua non erunt: ſi erogaueris, tua erunt. Quid (inquit) reponis, quod relicturus es? Ecce increpatus eſt ſtultus malè recondens. Si ſtultus eſt qui recondit ſua, vos inuenite nomen eius qui tollit aliena. Si ſordidus eſt reconditor

Luc.16. ſuorum, vlceroſus eſt raptor alienorum. Sed non qualis ille vlceroſus qui iacebat ante ianuam diuitis, & cuius canes lingebant vlcera. Ille enim vlceroſus erat in corpore: † Raptor, in corde. Fortaſſis aliquis reſpondeat & dicat: Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, Stulte. Non ſic dicit Deus ſtulte, quomodo homo dicit. Tale inquenquam Dei verbum, indiciū eſt. Nunquid enim Deus ſtultis daturus eſt regnum cælorum?

† nō raptor in corde.

rum? Probant hoc illę quinque virgines stultæ, quæ extra ianuam leguntur exclusæ. Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat, nisi pœna gehēnarum? O vanitas huius diuitis, nescit si viuat, & de fructibus cogitat: nocte moriturus, fabricare disponit. O cæcitas auari: Fratres dilectissimi, vna nox ei superabat, & de multorum annorum vita satagebat. Gaudebat quia multum sibi nascendum videbat, & non sciebat, quia nihil secum tollebat, sed hic omnia dimittebat. Nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat: quod in alijs spectabat, in se non sperabat: vtique viderat & ille morientes, viderat possidentes, viderat neminem secum tollere terram. Quanti sunt & modo qui dicunt: Tantum habeo, tantum facio, tantum valeo. Quibus respondendum est: Stulte, hac nocte anima tua auferetur à te, quæ congregasti cuius erunt? Letatur diues stultus, nocte moriturus. Quantuncunque cupiditas radices suas vbique distentet, quātuncunque rapiat, necesse est in vna hora totum dimittat. [*Sic est qui thesaurizat sibi, & non est in Deum diues.*] Nimis enim miser est, qui nō sperat in Deo, & de se sibi secūda promittit: cū ex eo ipso quod non quærat Dei auxilium, ab omni spe veræ salutis exciderit. In magna quoque egestate sunt, qui de iniquitate diuites, iustitiæ opes & sapientiæ non habent. Qui autem Domino seruiunt, ea bona acquirunt, quæ perire non possunt. [*Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.*] Ne forte quamuis iam superflua non quærantur præter ipsa necessaria, cor duplicetur, & ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio, cùm aliquid quasi misericorditer operamur, id est, vt cū

Tomo. 10. 50. Homi. Hom. 7. Matth. 25. Tomo. 10. De Verb. Ap. Ser. 19 Tomo. 10. 50. Homiliarū. Hom. 47. Ibidem. Hom. 48.

Tomo. 3. De Vera Innocent. Sententia 84 Ibidem. cap. 85.

Tomo. 4. De Serm. Domini in Mōt. li. 2. p

consulere alijs videri volumus, nostrum emolumentum ibi potiùs quàm illius vtilitatem attendamus: & ideo nobis nō videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet vt meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse, quando nos fecit & composuit ex anima & corpore,
Genes. 1. & 2.
quam est alimentum & tegumentum quorum cura nos duplicare cor non vult, cùm ait: [*Anima plus est quam esca.*] Vt intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum. [*& corpus plusquam vestimentum.* Id est, plus est. Vt similiter intelligas eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum. Quo loco quæri solet, vtrum & ad animam cibus iste pertineat, cùm anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. [*Sed animam,*] hoc loco pro ista vita positam nouerimus, cuius retinaculum est alimētum istud corporeum. Secundum hanc significa-
Iohan. 12.
tionem dictum est etiam illud: qui amat animam suam, perdet illam. Quod nisi de hac vita acceperimus, quā oportet pro regno Dei perdere (quod potuisse martyres claruit) contrariū erit hoc pręceptum illi sententiæ, qua dictum est: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat?
Matth. 16. Luc. 9.
[*Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?*] Id est, charius vos valetis. Quia vtiq; rationale animal, sicuti est homo, sublimius ordinatum est in rerum natura quam irrationabilia, sicut sunt aues. [*Quis autem vestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris sollicití estis?*] Id est, Cuius potestate atque dominatu factum est, vt ad
hanc

hanc ſtaturam corpus veſtrum produceretur, ei⁹ prouidentia etiã veſtiri poteſt: Non autem veſtra cura factum eſt, vt ad hanc ſtaturam veniret corpus veſtrum. Ex hoc intelligi poteſt, quod ſi curetis & velitis adijcere vnum cubitum huic ſtaturę, non poteſtis. Illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cuius videtis cura factum eſſe vt tantæ ſtaturæ corpus habeatis. [*Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos puſillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli.*] Primo enim hæc ad neceſſitatem implendam homo quærit: Cùm autem hæc abundauerint, incipiet ſuperbire de talibus. Tale eſt hoc, ac ſi ſe vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplaſtra in domo: cum hoc illi bonum eſſet vt vulnera non haberet, ne vno quidem indigeret emplaſtro. [*Hæc autem omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis. Veruntamen quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*] Non ait vtique: [*Quærite primum Regnum Dei,*] & deinde iſta quærite: Sed, [*omnia hæc* (inquit) *apponentur vobis,*] ſcilicet etiam non quęrẽtibus. [*Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit patri veſtro dare vobis regnũ. Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſinã. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurũ non deficientem in cælis. Quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.*] Noluit Deus vt perdas diuitias tuas, ſed vt locum illis mutes. Conſilium tibi dedit. Intelligat charitas veſtra: modò ſi amicus tuus intraret in domũ tuam, & inueniret te in loco humido frumenta poſuiſſe, qui fortè ſciret naturam corruptionis frumen-

Tomo. 4. Q. Euan. li. 2. ca. 29

Tomo 4. De Serm. Domini in Mont. lib. 2. H.

Tomo. 8. Pſalm. 48

frumentorum, quam tu nescires, daret tibi huiusmodi consilium, dicens: Frater, perdis quod cum magno labore collegisti, in loco humido posuisti, paucis diebus ista putrescũt. Et quid facio frater? Leua in superiora. Audires amicum suggerentẽ, vt frumenta leuares de inferioribus ad superiora: & non audis Christum monentem, vt thesaurum tuũ leues de terra ad cælũ, vbi nõ hoc tibi reddatur quod seruas, sed serues terram, accipias cælũ: serues mortalia, accipias sempiterna? Fœnerare Christo, accipiat in terra parua, vt reddat tibi in

Tomo.4. Qu. Euãg. lib.2. cap.25. cęlo multa. [*Sint lumbi vestri præcincti,*] Propter cõtinẽtiã ab amore rerũ secularũ: [*& lucernæ ardentes in manibus vestris.*] Hoc ipsũ vt vero fine & recta intẽtione faciatis. Quid est, lũbos accingere? libidines coercere, quod est cõtinẽtię. Lucernas verò ardẽtes habere, est, Bonis operibus lucere atq; feruere, quod est iustitiæ. Neq; hic tacuit quo fine ista faciamus, addendo atque dicendo: [*Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cũ venerit Dominus inuenerit vigilãtes. Amen dico vobis, quod præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.*] Cùm enim venerit, nos remunerabit, qui continuimus nos ab his quæ cupiditas, & ea quæ imperauit charitas fecimus: vt in eius perfecta & sempiterna pace, sine vlla mali contentione, et cum summa boni delectatione regnemus. [*Hoc autem scitote, quoniam si*

Tomo.4. De Conti. cap.7.

Tomo 8. Psal. 120. *sciret paterfamiliâs qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet.*] Dicitis modò: Quis ergo nouit qua hora veniet, quæ hora sicut fur erit? Nescis qua hora veniat, sẽper vigila; vt quod

nescis

nescis quando veniat, paratum te inueniat cùm venerit. Et ad hoc fortè nescis quando venturus est, vt semper paratus sis. Illũ enim patremfamiliâs subitò occupabit hora illa, qui paterfamiliâs superbus significatus est. Noli velle esse parterfamiliâs, & non te subito illa hora occupabit. Et quid ero, inquis? Qualem audisti de Psalmo: Pauper & dolens ego sum. Si enim pauper & dolens eris, non eris paterfámiliâs quem illa hora subitò inueniet, & subitò premet. Patresfamiliâs enim sunt illi, qui præsumentes de cupiditatibus suis, & in delitijs huius seculi defluentes, tument & eriguntur aduersus humiles, & insultant sanctis intelligentibus angustam viam quæ ducit ad vitam. Talibus enim veniet illa hora subitò. [*Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quisputas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam vt det illis in tempore tritici mensuram?*] Puram scilicet, et probatam doctrinam. [*Mensuram*] dicit, propter modum capacitatis quorũcunque audientiũ. [*Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus inuenerit ita facientem. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari,*] Seruus hic non diligit manifestationem Domini sui. Ex moribus enim apparet animus eius. Quos mores (licet beuiter) ideo magister bonus curauit exprimere, id est, Superbiam atque luxuriam: ne quod dicebat: [*Moram facit Dominus meus,*] Desiderio Domini sui dicere crederetur, quo ardebat ille qui dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniã et apparebo ante faciem Dei? Dicendo enim, quã do veniam, moras se perpeti molestè ferebat: quia etiam

Psalm. 48
Matt. 7.
Tomo. 9. De. 12. Gra. Abus grad. 10.
Tomo. 4. Qu. Euág. lib. 2. cap. 26.
Tomo. 2. Epist. 80. Hesijchio Episcop.
Psalm. 41

etiã quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur. Quomodo autẽ tardus est eius aduẽtus, vel quomodo longe futurus est, cũ ipsi Apostoli
1. Iohan. 2. (tẽpore quo adhuc erãt in carne) dixerint: nouis-
Act. 1. sima hora est, quamuis à Domino audierint: Non est vestrum scire tempora? Hoc ergo nesciebant, quod nescimus & nos. Quantũ ad me attinet, dico et eos qui hoc mecũ nesciunt, & tamẽ quibus dictum est: Non est vestrũ scire tẽpora, quæ pater posuit in sua potestate, diligebant eius manifestationẽ, & dabant conseruis in tẽpore cibaria, nec percutiebãt eos dominando eis, nec luxuriabãtur cũ autoribus mũdi, dicentes: [*Moram facit Dominus meus.*] Alia est ergo ignorantia tẽporum, alia
2. Thess. 2. labes morum amorq́ue vitiorũ. Nã et Apostolus Paulus quãdo dicebat: Non cito moueamini mẽte, neq; terreamini siue per verbũ, siue per epistolam, tanquã per nos missam, quasi instet dies Domini: Nolebat vtique vt crederent eis, qui iã propinquare Domini arbitrabantur aduentum. Nec tamen volebat, vt, tanquam seruus ille, dicerent: [*Moram facit Dominus meus venire,*] & traderent se superbiæ luxuriæq́ue perdendos. Sed sic eos nolebat de propinquãte die nouissimo falsis auscultare rumoribus, vt tamen vellet eos paratos ad ad-
Luc. 12. uentum Domini sui lumbis accinctis, & lucernis
1. Thess. 5. ardentibus operiri, quidus dicit: Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, et filij diei: non sumus noctis neque tenebrarum. Ille autem qui sic dicit: Moram facit Dominus meus venire vt percutiat conseruos suos, epuletur cum ebriosis, non est lucis, sed tenebrarum. Et ideo, [*veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum*
infidelibus

infidelibus ponet.] Quod vnusquisque debet etiam de die huius vitæ suæ nouissimo formidare. In quo enim quẽque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehẽdet mundi nouissimus dies: quia, qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. [*Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & nõ fecit secundũ voluntatem eius, vapulabit multis*] Scienti enim bonum & non facienti peccatum est illi. Itaque omni diligentia studete vt cognoscatis voluntatem Dei. postquam autem cognoueritis voluntatem eius, summo nisu contendite vt hanc faciatis, implentes mãdata illius: & instanter deposcite, vt, in hoc perseuerantes, perueniatis ad promissa illius. [*qui autem non cognouit, & fecit digna plagis vapulabit paucis.*] Quare? Vt quærat voluntatem Domini sui. Seruus ergo nesciens voluntatem, hoc erat mundus antequam magnificaret Dominus sanctum suũ. Seruus erat nesciens voluntatem Domini sui, & ideo vapulabat paucis. Seruus autem iam voluntatem sciens Domini sui, hoc est, modo ex quo magnificauit Deitas sanctum suum: [*& nõ faciens eius voluntatem, vapulabit multis:*] Quid ergo mirum si mundus multa vapulat? Seruus est sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis. Non ergo recuset vapulare multis, quoniã si non vult audire præceptorem, iustè patietur vltorem: vel non murmuret contra castigatorem, cùm videat se plagis dignum, vt misericordiã mereatur. [*Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*] Quibus ergo committuntur multa, maiora perdunt, si nõ rectè dispensauerint rectoris sui munera quæ perceperunt. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur. [*Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi*

Tomo 10. De Temp. Serm. 112. Iacob. 4.

Tomo. 10. De Verbis Dñi Ser. 12 Psalm. 4.

Tomo. 9. De 12. gra. Abus. grad. 1.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 255. *ut accendatur?*] Quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicet & charitatis, et vnus de parte Dei, alter de parte diaboli: vnus deuorãs omnia mala, alter vniuersa bona cõsumẽs: cõsideret vnusquisq; cõsciẽtiã suã, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adiutorio festinet extinguere: quia nihil in eo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accẽderit: sicut è contrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatorum velut in altari, deuorans omnia bona, diabolo odorẽ suauitatis exhalat. In anima vero sancta, velut in sacro sancto altari, flamma charitatis quæcunque superuenerint mala consumens, Deo suauitatis odorem exhibet. Et quia vniuscuiusque cor altare est, aut Dei aut aduersarij (sicut iam dixi) attẽdat vnusquisque conscientiam suam: Et si cupiditatis igne consumitur, eleemosinarũ refrigerio mitigetur, quia scriptum est: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosina extinguit peccatum. Qui ergo cupiditate consumitur, subtrahat à se opera mala, & quod bonum est exercere conetur. Qui vero flamma charitatis accenditur, semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignem, quem in eo Christus dignetur accendere. Dat enim ignem sciens esse spinas & tribulos peccatorum, quos debeat ignis depascere. Per hunc enim incentiua voluptatis & libidinis consumuntur. [*Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor vsque dum perficiatur. Putatis quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur. Pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem: Socrus in nurũ suam, & nurus in socrum suam.*] Diuisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit, cùm ait: Non

Eccle. 3. (beside "tur, quia scriptum est")

Tomo. 10. De Temp. Serm. 87. (beside "sciens esse spinas")

Tomo. 8. Psal. 44. Matt. 10. (beside "trem suum" … "facta est")

veni pacem mittere, sed gladium. Et re vera fratres etiam quotidianis exēplis videmus hæc. Placet iuueni alicui Deo seruire, displicet patri: Diuisi sunt aduersus se. Ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cælestem. Aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam: Deus solus illi præfertur, & tamen litigat cum filio volente seruire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritalis separans, quàm copulans natura carnalis. Fit hoc & de filia aduersus matrem: multo magis & de nuru aduersus socrum. Nam aliquando in vna domo nurus & socrus inueniuntur hæretica & catholica. Et vbi fortiter recipitur iste gladius, rebaptisationem non timemus. Potuit diuidi filia aduersus matrem suam, & non potest nurus aduersus socrum suam? Factum est hoc generaliter etiam in genere humano, diuisus est filius aduersus patrem. Fuimus enim aliquādo filij diaboli. Adhuc infidelibus dictum est: Vos à patre diabolo estis: et omnis infidelitas vestra vnde, nisi à patre diabolo? Non ille creando pater, sed nos illum imitando filij. Iam modò videtis filium aduersus patrem diuisum. Venit gladius ille, renunciat diabolo, inuenit alium patrem, inuenit aliam matrem. Ille ad imitationem se præbens, generabat in exitium: parentes duo quos inuenimus, in vitam æternam generant. Diuisus est filius aduersus patrem, diuisa est filia aduersus matrem suam: Plebs illa quæ credidit de Iudæis, diuisa est aduersus synagogam. Diuisa est & nurus aduersur socrum suam: Plebs de gentibus veniens, nurus dicitur, quia sponsus Christus filius synagogæ. Vnde enim natus est filius Dei secundum carnē? Ex illa synagoga. Ille qui dimisit patrē & matrem & adhæsit vxori suæ, vt essent duo in carne vna,

Iohan. 8.

Genes. 2.

vna, non cõiectura nostra, sed attestãte Apostolo,
Ephes. 5. & dicẽte: sacramentũ hoc magnũ est: Ego autẽ di
co in Christo & in Ecclesia, dimisit enim patrẽ quo
dãmodo: nõ omnino dimisit veluti ad separatio-
nẽ, sed ad susceptionẽ humanæ carnis. Quomodo
dimisit? Quia cùm esset in forma Dei, non rapinã
Philip. 2. est arbitratus esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum
exinaniuit formã serui accipiens. Quomodo dimi
sit & matrem? gentẽ Iudæorum, synagogã illã hæ
rentẽ veteribus sacramentis? Ad ipsam figurã per-
tinet, quod ait: Quæ est mihi mater, aut qui fra-
tres? ille enim intus docebat, illi foris stabãt. Vide
Mat. 12. te si modò non ita sunt Iudei. Docet Christus in
Ecclesia, illi foris stant. Socrus ergo quid est? ma-
ter sponsi. Mater sponsi Domini nostri Iesu Chri-
sti, synagoga est. Proinde nurus eius Ecclesia, quæ
veniẽs de gẽtibus non cõsensit in circũcisionẽ car
nalẽ, diuisa est aduersus socrũ suã [*Dicebat autem ad turbas cũ videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nim-*
Tomo. 4. *bus venit, & ita fit.*] Carnẽ suã à morte resurgentẽ
Qu. Euãg. significat. Ex illo enim omnibus terris Imber Euã
lib. 2. gelicæ prædicationis infusus est. [*Et cùm austrũ flan*
cap. 27. *tem, dicitis: quia æstus erit, & fit.*] Austrũ flantẽ ante æ-
Marc. 16. stus, tribulationes leuiores ãte iudiciũ. [*Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo nõ probatis? Quid autem & à vobisipsis nõ iudicatis quod iustũ est.*]
Arguit autem hic Iudęos, quare tempus non cog
Tomo. 2. noscant: quoniam illud tempus non agnoscebãt,
Epist. 80. quod iam volebat agnosci, id est, primi aduentus
ad Hely. sui, quo in eum crederent, qui alterum eius ad-
Episc. uentum vellent expectare, vigilantes quandocũ-
que futurus esset. Qui enim aduentum Domini
non cognouerit primum, præparare se non po-
terit ad secundum, credendo in eũ, fideliterque
vigilando, ne illum tanquam fur in tenebris com-
pre-

prehendat, siue tardius venerit, siue citius quàm speratur. [*Cùm autem vadis cum aduersario tuo ad Principem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutũ reddas.*] Alius autem Euangelista dixit sic hoc ipsum. Esto consentiens aduersario tuo cito, cùm es cum illo in via. Cætera similia sunt: Ne fortè aduersarius tradat te iudici, iudex ministro, minister in carcerẽ. Ambo Euangelistæ similiter hoc explicauerunt. Vnus dixit, da operam in via liberari ab illo: Alter dixit. Consenti illi. Non enim potetis liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo? Consenti illi. Nunquid diabolus est, cui debet consentire Christianus? Quæramus ergo istum aduersarium cui debemus consentire, ne tradat nos iudici, iudex ministro. Quæramus illum, & consentiamus illi. Si peccas, aduersarius tuus sermo Dei est. Verbi causa: forsitan delectat te inebriari, dicit tibi: noli. Delectat te spectare & nugari. Ille dicit tibi, noli. Delectat te adulterari, dicit tibi Sermo Dei, noli. In quibuscunque peccatis tuis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi, noli. Aduersarius est voluntatis tuæ, donec fiat autor salutis tuę. O quàm bonus aduersarius, quàm vtilis aduersarius: nõ quærit nostrã voluntatẽ sed vtilitatẽ, Aduersarius est nobis, quãdiu sumus & ipsi nobis. Quãdiu tu tibi inimicus es, inimicũ habes sermonẽ Dei. Esto tibi amicus, & cõcordas cũ illo. Nõ homicidiũ feceris, audi & concordasti. Non furtũ facias: audi, & cõcordasti. Nõ mœchaberis, audi, & concordasti. Non falsum testimonium dicas, audi & cõcordasti. Nõ cõcupisces rem proximi tui, audi & cõcordasti. Non concupisces vxorem proximi tui, audi & concorda-

Tomo. 10. De Verbis Dñi Ser. 1.
Matth. 5.
Luc. 12.
Matth. 5.
Exod. 20.

ſti in his omnibus cum tuo iſto aduerſario concordaſti, dic mihi quid perdidiſti? Non ſolũ nihil perdidiſti, ſed & teipſum qui perieras, inueniſti. Via, vita iſta eſt. Si cõcordauerimus cũ illo, ſi conſenſerimus illi, finita eſt via, non timebimus iudicem miniſtrum, carcerẽ. Quando finitur via, non omnibus vna hora finitur. Vnuſquiſq; habet horam ſuã, quando finiatur via. Via, vita iſta dicta eſt. Finiſti iſtã vitam, finiſti viam. Ambulamus, & ipſum viuere accedere eſt. Niſi fortè putatis, quia tẽpus accedit, & nos ſtamus &c. & infra. Quid facturi ſumus cũ aduerſario illo, id eſt, cum ſermone Dei? Concorda cum illo, neſcis enim quando via finiatur. Cùm via finita fuerit, iudex reſtat, & miniſter, & carcer: † Vt ſi ſeruaueris aduerſario tuo bonam voluntatem, & cùm eo conſenſeris, pro iudice inuenias Patrem, pro miniſtro ſæuo Angelum tollentem in ſinum Abrahæ, pro carcere paradiſum: quam cito in via cuncta mutaſti, quia tuo bono aduerſario conſenſiſti.

† At *Luc.16.*

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMITERTII.

Dominus audiens Galilæos à Pilato occiſos, populum hortatur ad pœnitentiam, contractã curat mulierem, ſub parabola ſinapis, fermenti, & anguſtæ portæ, viam paradiſi docet.

CAPVT. XIII.

ADerant autem quidam ipſo tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. Et reſpondens, dixit illis. Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint

fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis: sed nisi pœnitentiã habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos. Putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non dico vobis, sed si non pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.] Remedia ergo conuersionis ad Deum, nullis cũctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. Et ideo qui solebat esse luxuriosus, sit castus: qui superbus, sit humilis: qui erat inuidus, sit benignus: qui per fraudes vel calumnias solebat res alienas rapere, incipiat de suis largiores eleemosinas dare. Et licet hæc ita sint, attamen nec peccatores debent desperare, nec humiles iusti in aliquo (quasi de suis meritis) superbire: quia & iusti, si de se præsũpserint, cito perdũt radicẽ charitatis, & peccatores si ad pœnitentiã conuertũtur, euulsa cupiditate, cito plãtam recipiunt charitatis. Et ideo qui boni sunt, custodiant quod Dei munere perceperunt: & qui mali sunt, studeant reparare quod infeliciter perdiderunt. Nemo se ad illud tẽpus reseruet, & tunc pœnitentiam vel charitatis dulcedinem retinere contendat, quando cœperit de hac luce migrare. Non se ad hoc reseruent, vt quandoque in senectute ad pœnitentiæ medicamenta confugiant, quia nesciunt quid superuentura pariat dies. Qua fronte salutem suam in tempore senectutis dissimulat, cùm vnius diei spacio certus esse non possit? Et ideo si mortem timere nolumus, semper parati esse debemus, vt cùm nos Dominus de hoc seculo iusserit vocari, cum secura conscientia, nõ cum desperatione, sed cum gaudio ante cõspectum iudicis veniamus, & ibi fœliciter audire possimus

Tomo. 3. De Vera Inno. sent. 71

Tomo. 10 De Temp. Serm. 111.

Ibidem. Serm. 44.

Matt. 25.

simus: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituã: intra in gaudiũ Dñi tui. [*Dicebat autem & hãc similitudinem: Arborem fici habebat quidã plãtatã in vinea sua, & venit quærens fructũ in illa, & non inuenit: dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructũ in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illã. Vtquid etiã terrã occupat? At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte illã & hoc anno vsque dũ fodiam circa illam, & mittã stercora. Et siquidem fecerit fructũ: sin autem in futurũ succides eam.*] Arbor ficulnea, gen⁹ humanũ est, non habens fructũ pœnitentię. Non est autẽ importunũ, vt arbor ficulnea intelligatur gen⁹ humanũ. Primus enim homo quãdo peccauit, folijs ficulneis pudẽda velauit. Hęc velauit vnde nati sumus membra. Quæ enim ante peccatũ fuerant glorianda, post peccatum pudenda sunt facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur: non enim erat vnde erubescerẽt, quãdo peccatum non præcesserat: nec poterant de sui creatoris operibus erubescere, qui operibus sui creatoris bonis, nullum adhuc malum opus suum miscuerant. Nondum enim manducauerant de ligno scientiæ boni & mali, vnde manducare prohibiti erant? Postea ergo quàm manducauerunt & peccauerunt, natum est de illis genus humanum, id est, homo de homine, obnoxius de debitore, mortalis de mortali, peccator de peccatore. Hos ergo appellat in hac arbore qui per omne tempus fructum dare noluerunt, & propter hoc imminebat securis radicibus arboris infructuosæ. [*Dominus huius arboris.*] conditor eius. Tanquam per trienniũ visitauit Dominus genus humanum, hoc est tribus temporibus. Quibus? Primum tempus ante Legem, secundum tempus in Lege, tertium quod modò est, tempus est gratiæ.

Tomo. 9. De Temp. Barbaric. cap. 2.
Tomo. 10. & de Ver. Dñi Ser. 12 & 31.
Genes. 3.
Genes. 2.
Genes. 2. & 3.
Genes. 4.

Nam

Nam si non visitauit genus humanum ante legẽ: Vnde Abel, vnde Enoch, vnde Noe, Vnde Abraham, vnde Isaac, vnde Iacob? quorum Dominum se dici voluit: Et cuius omnes gentes erant, quasi trium hominem Deus esset: Et ego sum (inquit) *Exod.3.* Deus Abraham, & Isaac, & Iacob. In lege autem *Exod. 20.* si non visitaret, ipsam legem non daret. Post legẽ *Marc. 15.* venit & ipse paterfamilias passus est, mortuus est, *& 16.* & resurrexit. Spiritum sanctum dedit. Euangeliũ *Ioan. 20.* per totum orbem terrarum prædicari fecit, & *Marc. 16.* adhuc quædam arbor infructuosa permansit. Est quædam adhuc pars generis humani, quæ adhuc se non corrigit. Intercedit colonus, differtur supplicium, vt adhibeatur auxilium. Qui autem intercedit colonus est omnis Sanctus, qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam Et quid orat? [*Domine dimitte illam & hoc anno,*] Id est: Tempore isto, sub gratia, parce peccatoribus, parce infidelibus, parce sterilibus, parce infructuosis. Sic pro plebe orabat Apostolus, flecto (inquit) genua mea pro vobis *Ephes.3.* ad patrem Domini mei Iesu Christi, vt det vobis virtutem: vt in charitate radicati & fundati, valeatis apprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, altitudo & profundum. Cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Flectendo genua pro nobis intercedit apud patremfamiliâs, ne eradicemur. Ergo quia necesse est vt veniat, agamus vt fructuosos nos inueniat. [*Circumfodio eam, & adhibeo cophinum stercoris. Si fecerit fructum benè, sin autem minus, venies & amputabis eam.*] Venies, quando? In iudicio venies, quando venturus es iudicare viuos & mortuos. Interim modo parcitur. Quid

est autem fossa, quid est circunfodere, nisi humilitatem, pœnitentiam & patientiam docere? Fossa enim humilis terra est. Cophinum stercoris, in bono intellige. Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes cultoris, dolor est peccatoris. Qui agunt pœnitentiam, in sordibus agunt, si tamen intelligant, & veraciter agunt. Huic ergo arbori dicitur: Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sit ergo vnusquisque arbor bona: non se arbitretur habere fructus bonos, si manet arbor mala: non erit fructus bonus, nisi arboris bonæ. Muta cor, & mutabitur opus. Extirpa cupiditatem, planta charitatem. Sicut enim radix omnium malorum cupiditas, sic est radix omnium bonorum charitas. [*Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.*] Illam ita morbo incuruatam vt se erigere non posset, rectè comparamus animæ terrenis opinionibus vel operibus debilitatæ vel oppressę, ita vt diuina cogitare non valeat. [*Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, Dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi man⁹, & cōfestim erecta est, & glorificabat Deum. Respōdens autem Archisynagogus indignans, quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ vnusquisque vestrum Sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiā Abrahæ quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati?*] Quasi Satanas cū habeat semper cupiditatem nocēdi, nocere cuiquam possit, nisi ab omnipotente acceperit potestatē. Nam quid aliud, non solùm in Libro Iob, sed etiam magis in ipso Euangelio declaratū est? Vbi

Matth. 3. & 4. *Luc. 6.* *1. Timo. 6.* *Tomo. 4. Qu. Euāg. lib. 2. cap. 29.* *Tomo. 6. Cont. Aduers. Legis & Proph. Li. 2. ca. 12* *Iob. 1.*

Vbi spiritus immundi nec in porcos irēt, nisi hoc Matth. 8.
illis benignus ipse Saluator petentibus (quos certè in abyssum posset relegare) concederet. Rem necessariam docere nos volens, vt scilicet nouerimus multò minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscunque potuerunt. Hanc autem potestatem Deus bonus, occulta nobis iustitia, dare dæmonibus potest, iniustè non potest. [*Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.*] De muliere quæ decem & octo annos habebat in infirmitate, quod Dominus donauerit audite. Sex diebus Deus perfecit opera sua. Terseni, decem & octo faciunt. Quòd ergo significat triennium in arbore, hoc decem & octo anni in hac muliere. [*Curua erat,*] & sursum aspicere nō potuit: quia sursum cor, sine causa audiebat: Sed erexit eam Dominus. Ergo est spes, sed filijs: Quousque veniat dies iudicij. Ergo qui curuus est vt terram intueatur, terrena fœlicitate lætetur, istam solam putat esse vitam beatam, vbi beatus esse possit, aliam non credit: Quicunque tam curuus est, erigatur: si per seipsum non potest, inuocet Dominum, Nunquid enim & mulier illa per seipsam erecta est? Væ illi esset, si manum ille non porrexisset. [*Dicebat ergo: Cui simile est Regnum Dei? & cui simile æstimabitur illud? Simile est grano sinapis.*] Mouet fortassè sensus vestros, quare regnum Dei tam præclarum atque magnificum, grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostrę in se tam grande solatium, rei vilissimæ simile esse dicamus, præsertim cùm alibi idem Dominus Discipulis suis dicat: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti tollere & iactare in mare, & fiet. Igitur si fides tanta est

Tomo. 10. De ver. dñi Ser. 31. Genes. 1. et 2. Supra. Tomo. 10. De Sanctis Serm. 31. Matth. 17.

quæ poteſt ab ipſis ſedibus montium fundamenta transferre, neceſſario & granum ſinapis magnum eſt, ad cuius ſimilitudinem fidē habere compellimur. Magnum autem dixerimus, non ſpecie ſed virtute: & fidei, non qualitate oleris comparandum, ſed vigore acrimoniæ coæquandū. Nam ſi diligenter intendamus, inueniemus à Domino
†rectam † recte hanc ſimilitudinem comparatam. Sicut enim granum ſinapis prima fronte ſpeciei ſuę eſt paruum, vile, deſpectum: non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem. At vbi teri cœperit, ſtatim odorē ſuū fundit, acrimoniam exhibet, cibū flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris feruore ſuccenditur, vt mirum ſit in tam friuolis tantum ignem fuiſſe concluſum. Cuius etiam ſemen in cibum homines, hyemis precipuè tempore, magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viſcerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur. Ita ergo et fides Chriſtiana, prima fronte videtur eſſe parua, vilis & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam ſubminiſtrans: At vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorē ſuū prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur vt & ipſa ferueat, & participantes ſibi ardore compellat. Sicut in ſancto Euangelio duo ex diſcipulis dixerunt, dum cùm ipſis poſt paſſionem
Luc.24. ſuam Dominus loqueretur: nonne cor noſtrum erat ardens in nobis in via, dū aperiret nobis ſcripturas Dominus Ieſus? Ergo granum ſinapis membrorum viſcera calefacit; Fidei autem

vigor

vigor cordium peccata comburit. Et illud quidē asperum, algorem frigoris remouet: hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis (inquam) granum, humores decoquit corporum: Fides autem libidinis fluenta consumit. Et per illud medicina capiti procuratur: per fidē autē spiritale caput nostrū, quod est Christus Dominus, sępius refouetur. Sed & fidei, iuxta comparationē sinapis, sancto odore perfruimur. Sicut ait Apostolus: Quoniā Christi bonus odor sumus Deo. 2. Corin. 2
Multa perstrinximus, quibus probaremus Dei regnū grano sinapis non immerito cōparari, & distantiā in sola æstimatione esse verborum, non in collatione virtutū. Siquidē christiana fides, quæ regnum Dei est, eandē virtutē obtinet, quæ sinapis natura depromit. Nam sicut sinapis granū cū sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas permouemur, & ipsam salubritatē corporis nostri cū quodā fletu austeritatis accipimus. Illinc enim amaritudo nos exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore, tunc magis sani efficimur, cū amplius deploramus: ita ergo & cū fidei christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam salutē nostrā cum quodā fletu ac merore consequimur: inde enim nos ieiunia exasperant, illic peccatorū conscientia macerat: hinc patrimonij iactura perturbat: & toto contristati habitu magis salutē consequimur si ãplius defleamus, secundū quod ait Dominus: Vos plorabitis & flebitis, seculū autē gaudebit. Sicut autē cū sinapi caput fortè curandū est, iubemur ad rasum capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina

Tom. 10. De Sanctis Serm. 33.

Ioan. 16.

dicina perueniat: ita & cũ anima per fidẽ curanda est, præcipimur à nobis substantiã auferre seculi, impedimenta auri argentíque deponere, vt & nudæ & soli animæ congruentius spiritalis medicina conueniat. Quisquis enim rebus mundi & diuitijs seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quòd succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. Sed quoniã in eadẽ Dominica sententia scriptũ est: [*quod acceptum homo misit in hortum suum & creuit, & factã est in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.*] Diligentiùs requiramus quis iste sit, cui hæc conueniant. Diximus aliquando sanctis Martyribus, qui diuersis attriti sunt passionibus, naturã sinapis posse congruere. Sed quoniam dicit scriptura: [*Et creuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius,*] arbitror hoc ipsi Christo Domino decere: & rectiùs comparari, qui nascendo in homine humiliatus vt granum est, ascendendo ad cælum exaltatus vt arbor est. Granũ plane est Christus dũ patitur, arbor est dũ resurgit. Granũ (inquam) est cũ Famis esuriẽ sustinet: Arbor est, cũ quinque milia virorũ quinque panibus saturat: ibi sterilitatẽ humana conditione patitur, hìc satietatẽ propria diuinitate largitur. Granum autẽ dixerim Dominum cùm cæditur, cùm contemnitur, cùm increpatur: arborem autẽ cùm cœcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata cõdonat. Ramos autẽ huius arboris si requiras inuenies. Ramus est Petrus, Ramus est Paulus, ramus est B. Laurentius, Rami sunt omnes Apostoli vel Martyres Saluatoris, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus seculi minimè mergitur, quin potiùs sub vmbra illorum latitans Gehennæ non patietur ardorẽ, securúsq; de diabolicæ tempestatis

Tomo 10. De Sãctis Sermo. 33.

Matth. 4.
Iohan. 6.

flatis procella erit, & de diei iudicij exurentis incendio, ipso adiuuante, qui viuit & regnat vt vnitate Spiritus sancti Deus, per infinita seculorũ secula. [*Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.*] Tria sata farinæ de quibus Dominus loquebatur, genus humanũ est. Recolite diluuium, vnde cæteri repararentur tres remanserunt. Tres filios habebat Noe, de ipsis reparatum est genus humanũ. Mulier illa sancta quæ abscondit fermentum, Sapientia est. Quod est fermentum, nisi Euangelium? [*Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. Ait autem illi quidam: Domine si pauci sunt qui saluantur?*] Dominus ad hoc quid? Non ait: non pauci, sed multi sunt qui saluantur. Non hoc dixit. Sed quid dixit? Cùm audisset si pauci sunt qui saluantur. [*Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam: quia multi (dico vobis) quærent intrare & non poterunt.*] Quando audis ergo: [*Pauci sunt qui saluantur:*] confirmauit Dominus quod audiuit, inquiens: per angustam portam pauci intrant. Alio loco ipse hoc ait: Arcta via est & angusta quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediũtur per illam. Lata autem & spatiosa est via quæ dicit ad interitum, & multi sunt qui ambulant per eam: Quid gaudemus ad multitudines? Audite me pauci. Scio quia multi auditis, & pauci obauditis. Aream video, & grana quæro. Et vix videntur grana quando area trituratur, sed venturum est vt ventiletur. Pauci ergo qui saluantur, in comparatione multorũ periturorum. Nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt, cùm venerit ventilator ferens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam: frumenta recondet in horreo, paleam autẽ comburet

Tomo. 10. De Verbis Dñi Ser. 32
Genes. 7. & 9.
Tomo. 9. In Euang. Ioã. Tr. 9.
Tomo. 10. De Verbis Dñi Ser. 32
Matt. 7.
Matth. 3.

Luc.3. buret igni inextinguibili. Non subsannet palea granum, hoc verum loquitur neminē fallit. Estote ergo inter multos multi, sed in comparatione quorundam multorum pauci. Tanta massa processura est de hac area, vt impleat horreum cæli.
Matth. 7. Non enim cōtrarius sibi esset Dominus Iesus, qui dixit: Pauci sunt qui intrant per angustā portam, multi per latā viam pereunt: Contrarius sibi es-
Matth. 8. set, qui alio loco dixit: Multi ab oriente & occidente venient: Multi certè & pauci, & pauci & multi. Alij ergo pauci, alij multi? nō. Sed ipsi pauci qui multi. Pauci in comparatione multorum perditorum: multi in societate Angelorum. Audite charissimi. Apocalipsis hoc scriptum habet:
Apoc. 7. Post hæc vidi ex omni lingua, & gente, & tribu venientes cum stolis albis & palmis, multitudinē quā nemo dinumerare potest. Hæc est massa Sanctorū. Quanta clariore voce dictura est area ventilata à turba impiorum & malorum, falsorūque christianorum segregata ad ignes æternos, sepa-
Luc. 8. ratis his qui premunt, non tangunt: Mulier enim quædam fimbriam tangebat, turba Christū pre-
Matt. 25. mebat. Segregatis ergo omnibus dānandis, massa purgata stans ad dexteram, nullum sibi misceri timēs malorum, nullum timens perdere bonorū, regnatura cū Christo: quanta fiducia dictura est:
Psal. 134. Ego cognoui quod magnus est Dominus? [*Contendite intrare per angustam portam, &c.*] Quid angusti-
Tomo 9. De Temp. Bar. ca. 8. us illo foramine, quod vnus è militibus percutiēdo latus crucifixi aperuit? et tamen per has angu
Ioan. 19. stias pene iam totus mundus intrauit. Venite & vos Iudęi, vocat vos quem crucifixistis filius Dei. [*Contendite intrare per angustam portam.*] Per hanc enim introierunt patres vestri: illi qui vt crucifigeretur
Matth. 27 clamauerunt, qui in ligno suspensum viderunt,

qui

qui irriserunt, qui caput agitauerunt, per istas ta Marc. 15.
men angustias introierunt. Non enim inaniter Luc. 23.
clamabat ille pendens in cruce: pater ignosce il-
lis, quia nesciunt quid faciunt. Per has ergo, vt
dixi angustias, per angustam portam lateris Chri Ibidem.
sti, ingressus est latro mutatus, pœnitens Iudæ-
us, conuersus omnis paganus: et ab eo exijt foras
malus hæreticus Arrianus. Exijt, quoniã non erat
de numero permanentium. De illis enim erat, de 1. Ioan. 2.
quibus Ioannes dicit. Ex nobis exierunt, sed non
erãt ex nobis: si enim ex nobis essent, mãsissent v-
tiq; nobiscum. [*Cùm autem intrauerit paterfamiliâs & clauserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: nescio vos vnde sitis.*] Nihil aliud est quã Nescitis me, quan- Tomo. 2.
do de vobis potiùs eligitis confidere quã de me. Epist. 120
[*Tunc incipietis dicere: manducauimus corã te & bibimus, & in plateis nostris docuisti: Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis.*] De gra. Noui Test. ad Hon.
Nescire Dei, est quosdã reprobos reprobare. Vnde cap. 35.
subiungit: [*Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentiũ, cũ videritis Abrahã & Isaac & Iacob & omnes prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente & occidente & aquilone & austro, & accũbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi qui erũt primi & sunt primi qui erũt nouissimi.*] Tomo. 4. De Essent. Diuinit. L.
Accumbẽt, inquit, Requies- Tomo 10.
cẽt. Nõ enim debemus illic carnales epulas cogita De Temp.
re, aut aliquid tale in illo cõcupiscere, vt nõ vitia Serm. 74.
mutem⁹ virtutibus, sed vitia subdam⁹. Aliud est
enim desiderare regnũ cælorũ ꝓpter sapientiã &
vitã æternã aliud ꝓpter fœlicitatẽ terrenã: quasi
illic habeam⁹ eã opulẽtiorẽ atq; maiorẽ. Si diuitẽ
te in illo regno futurũ putas, cupiditatẽ nõ ãpu-
tas, sed mutas: & tamẽ diues eris, & nõ nisi illic di
ues eris. Nã hic ĩdigẽtia tua colligit plurima. Qua
re multũ habẽt diuites? Quia multũ ĩdigẽt. Maior

indigen-

indigentia, quasi maiores comparat facultates. Illic ipsa indigentia morietur. Tunc verè diues eris, quando nullius indigens eris. Non tu diues & Angelus pauper, qui non habet iumenta & rhedas & familias. Quare? Quia non indiget. Quia quanto fortior, tantò minus indigus. Ergo ibi diuitiæ & veræ diuitiæ. Epulas terræ huius non ibi cogites. Epulæ enim terræ huius medicamenta quotidiana sunt, ægritudini cuidam nostræ cum qua nascimur necessaria sunt. Ægritudinem istā sentit quisque cùm hora reficiendi transierit. Vis videre quanta ægritudo sit ista, vt tanquam acuta febris septem diebus necet? Ne te sanum putes. Sanitas, immortalitas erit: nam hęc longa ęgritudo est, quia quotidianis medicamentis fulcis morbum tuū. Sanus tibi esse videris? Detrahe medicamenta, & vide quid potes? Nam ex quo nascimur, necesse est vt moriamur. Morbus hic necesse est vt ad mortem perducat. Certè medici quando ægros inspiciunt, hoc dicunt. Verbi gratia: Hydropicus est iste, moritur. Hic morbus non potest curari. Elephantiosus est, nec morbus iste curari potest. Phthisicus est, quis hoc curat? Necessè est vt pereat, necesse est vt moriatur. Ecce iam dixit Medicus phthisicus est, non potest nisi moriatur: & tamen aliquando & hydropicus nō inde moritur, & elephantiosus non inde moritur & phthisicus non inde moritur: & tamen necesse est vt quisquis natus fuerit, inde moriatur. Moritur inde, non potest aliter. Hoc & medicus & imperitus pronuntiat: sed & si tardius moritur, nunquid ideo non moritur? Quando ergo vera sanitas, nisi quando vera immortalitas? Si ergo vera immortalitas, nulla corruptio, nulla defectio; quid illic alimentis opus erit? Ergo cùm

audis

audis: [*Recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.*] Id est, inserũtur in oliua. Huius enim oliuæ radices sunt Abrahã, Isaac & Iacob. Filij autem regni, hoc est, Iudæi increduli, ibunt in tenebras exteriores. [*In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorũ, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Ierusalem*] Post multũ tempus quam hoc dictum est, passus est Dominus: mentiri non potuit. Intelligatur ergo sic: expulsio dæmoniorũ, remissio peccatorum est: eo vtiq; quo diabolus peccatorum pater atque origo sit, per id quod efficitur id quod efficit. Et vtique expulsio dæmoniorũ est remissio peccatorũ, tanquam resoluta causa per quã hominis animã possidebat. Perfectio sanitatum dum de die in diẽ proficit Ecclesia, & corruptionis, cuius reatus ablatus est passio, quotidiana renouatione minuitur. Tertia consummatur, dum resurrectionẽ in seipso initiandam monstrauit Ecclesiæ, qua ad incorruptionis consummationem summamq; perueniat sanitatẽ. Se verò consummari dixit: Et initiũ & finis ipse, ipse caput & plenitudo corporis, in membris suis ipse perficitur. [*Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te. Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis & noluisti?*] Tanquam Dei voluntas superata sit hominũ voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et vbi est illa omnipotentia, qua in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit: si colligere filios Ierusalem voluit, & non fecit? An potius & illa quidẽ filios suos ab ip

Matth. 8.

Tomo. 7. Cont. Iul. Pelagianũ Li. 6. ca. 8

Tomo. 3. Enchir. ad Laurent. cap. 97.

Psal. 134.

so colligi nolint, sed ea quoque nolente, filios eius ipse collegit quos voluit: quia in cælo & in terra quædam voluit & fecit, quædã verò voluit & non fecit, sed omnia quæcunq; voluit fecit.

Psalm,113 [*Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis: quia non videbitis me, donec veniat cum dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*] Cogit profectò etiam illud mysticè intelligi, quod ait: [*Non videbitis me donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini:*] De illo suo aduentu, quo in claritate venturus est, hoc significans: vt illud quod ait, [*Eijcio dæmonia, & sanitates persicio hodie & cras, & tertio consummor,*] referatur ad corpus eius, quod est Ecclesia. Expellũtur enim dæmonia, cũ relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes. Et sanitates perficiuntur, cùm secundum eius præcepta viuitur, posteaquam fuerit diabolo & huic seculo renunciatum, vsque in finem resurrectionis, qua tanquam tertia consummabitur, hoc est, ad plenitudinem Angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia.

Tomo. 4. De Cons. Euan. lib. 2, cap. 75.

CAPITIS DECIMI QVARTI ARGVMENTVM.

Hydropicũ Sabbato curat, & sub magnæ cœnæ parabola docet humilitatẽ, atque sub parentes relinquente, & turrim ædificante, & bello prouidente docet religionem.

CAPVT XIIII.

Tomo. 3. Leuit. de Genes. lib. 1. ca. 39. Matth. 6.

E*T factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem.*] Per panem intelligi voluit omnia ad victũ pertinentia: vnde pro quotidiano victu, panis

tu, panis solus positus intelligitur in oratione Do- *Luc.11.*
minica. [*Et ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & pharisæos, dicens: Si licet Sabbatis curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit illum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.*] Hydropicum recte comparamus diuiti auaro: Sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit. Sic iste, quãto est copiosior in diuitijs, quibus nõ bene vtitur, tanto ardentius talia concupiscit. *Tomo. 4. Q. Euan. li.2.ca.29*
[*Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*]
Quid ergo quæris celsiorem locum appetitu celsitudinis, quem potes apprehendere retentione humilitatis? Si extollis te, Deus deijcit te: Si tu deijcis te: Deus eleuat te. Sententia Domini est, nec addi aliquid, nec detrahi potest. *Tomo 10. De Verbis Domini Serm. 53.*
[*Dicebat autem & ei qui se inuitauerat. Cùm facis prandiũ aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio.*] Sed dicit aliquis. Ergo amicos aut parentes non debeo ad cõuiuium reuocare? Rogandi sunt & parentes & vicini, sed rarius rogandi sunt. Et non nimis deliciosa & sumtuosa, sed tam parca & sobria vel honesta debent eis cõuiuia pręparari, vt remaneat vnde possint paupe- *Tomo. 10. De Temp. Sermo. 2.*

res refici, vnde possit aliquid indigentibus erogari, vt cùm dies iudicij venerit, non cum impijs (qui nunc pauperes despiciunt) audiamus. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Sed cum iustis & misericordibus audire mereamur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quia esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere. Simul etiam nobis illa vox desiderabilis dirigatur. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. [*Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.*] Nec enim iustũ est, vt in populo Christiano (qui vno precio sunt redempti, & vni Domino seruiunt) alij distentis epulis ventribus incedant, alij famis periculo deficiant. Prorsus peccatum est vt nostra superflua à tineis deuorentur, & pauperes nec vetustissima quęque recipere mereantur. Quare non cõsideratis quod pari conditione in hunc mundum venistis? Vnius Domini serui estis, simili exitu de mundo migrabitis. Et si bene agitis, ad vnam venietis beatitunem. Aut quare vobiscum, cibum non accipiat, qui immortalitatis stolam accepturus est vobiscum? Hæc considerantes, ita pauperum curã gerite, vt vberrimam pro his in cælis accipiatis retributionem. [*Hæc dum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. At ipse dixit ei:* Homo quidam *fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*] Quis est iste homo, nisi Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus? [Et *misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.*] Qui sunt inuitati? Nisi per præmissos vocati Prophetas? Quia olim ex quo mittuntur Prophetæ,

Matt. 25. *Ibidem.* *Matt. 25.* *Tomo. 9. De Rect. Cathol. Cõuers. P.* *Tomo. 10. De Verb. Dñi Serm. 33.*

Prophetæ,& inuitant ad cœnam Christi: Mittũtur ergo ad populum Israel.Sæpe missi sunt,sæpe vocauerunt,vt ad horam cœnæ venirent.Illi autem inuitantes acceperunt,cœnã repudiauerunt. Quid est,inuitantes acceperunt, cœnam repudiauerunt?Prophetas legerunt,& Christum occiderunt.Sed quãdo occiderunt, tunc nobis cœnam nescientes præparauerunt.Parata iam coena,immolato Christo:post resurrectionem Christi, cõmẽdata quã sciunt fideles coena Dñi,eiusq; manibus & ore firmata:missi sũt Apostoli,ad quos missi ãte fuerãt Prophetæ.Venite ad coenã. [*Et cœperunt simul õnes excusare.*] Excusauerũt,qui venire noluerunt. Quomodo?Tres fuerunt excusationes. [*Primus dixit ei:Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.Rogo te,habe me excusatum.Et alter dixit:Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.Rogo te habe me excusatum.Et alius dixit:Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*] Putamus non istæ sunt excusationes quæ impediunt omnes homines,qui ad istam coenam venire detrectant? Quæramus eas, discutiamus, inueniamus, sed vt caueamus. In villa empta dominatio notatur,ergo superbia castigatur. Habere enim villam,tenere,possidere,homines sibi in illa subdere, & dominari delectat.Vitium malum, vitium primum.Primus enim homo dominari voluit,qui Dominum habere noluit.Quid est dominari,nisi *Genes.3.*
propria potestate gaudere?Est maior potestas, illi subdamur, vt tuti esse valeamus. [*Villam emi, habe me excusatum.*] Inuenta superbia,venire noluit. Alius dixit: [*Quinque iuga boum emi.*] Nonne sufficeret,Boues emi.Aliquid ꝓculdubio est, quod nos ad quærendum & intelligendum sui obscuritate prouocat.Et quia clausum est,vt pulsemus hor *Luc. 11.*
tatur. [*Quinque iuga boum,*] Sensus huius carnis

quinque numerantur. Sensus carnis huius quod omnibus notum est, & qui fortè non aduertunt, cómoniti sine dubio recognoscunt. Sensus ergo carnis huius quinque inueniuntur. In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba & nigra, & quoquomodo colorata: lucida & obscura sentimus videndo. Rauca & canora, audiendo sentimus. Suaue olentia & graue olentia, odorando sentimus. Dulcia & amara gustando sentimus. Dura & mollia, leuia & aspera, calida & frigida, grauia & leuia, tangendo sentimus. Quinque sunt, & iuga sunt. Sed quia iuga sunt in tribus prioribus sensibus facilius apparet. Duo sunt oculi, duæ sunt aures, geminæ nares. Ecce tria iuga. In faucibus, id est, sensu gustandi, geminatio quædam inuenitur, quia nihil gustando sapit nisi lingua & palato tangatur. Voluptas carnis, quæ ad tactum pertinet, † in occultis geminatur: est enim forinsecus & intrinsecus, ergo & ipsa gemina est. Quare boum dicũtur iuga? Quia per sensus istos carnis, terrena requiruntur. Boues enim terram versant. Sunt autẽ homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati, nolunt credere aliquid nisi ad quod sui corporis sensu quinquepartito perueniunt. In eis quinque sensibus, totius voluntatis sibi regulam ponunt. Nó (inquit) credo ego, nisi quod video. Ecce quod noui, ecce quod scio. Album est, nigrum est, rotundum est, quadratum est, sic vel sic coloratum est: noui, sentio, teneo, natura ipsa me docet. Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere. Vox est, sentio quia vox est. Benè cantat, malè cantat, suauis est, rauca est, noui, scio, peruenit ad me. Benè olet, malè olet, scio, sentio. Hoc dulce est,

† occultius.

ce eſt, hoc amarum eſt, hoc ſalſum eſt, hoc inſulſum. Quid mihi plus dicas neſcio. Tangendo noui quod durum eſt, quid molle ſit, quid leue ſit, quid aſperum ſit, quid caleat, quid frigeat. Quid mihi plus monſtraturus es? Tali impedimēto tenebatur Apoſtolus noſter Thomas, qui Domino Chriſto, id eſt, de Chriſti reſurrectione nec ſolis oculis credere voluit. Niſi miſero, inquit, digitos meos in clauorum & vulnerum loca, & niſi manum meam in latus eius miſero, non credam. Et Dominus qui poſſet ſine vllo ſigno vulneris reſurgere, ſeruauit cicatrices quę a dubitante tangerētur, vt cordis vulnera ſanarētur: et tamen vocaturus ad coenam, contra excuſationem quinque iugorum boum: Beati (inquit) qui non vident, & credunt. Nos fratres mei ad coenam vocati, ab iſtis quinque iugis non ſumus impediti. Nō enim carnis faciem Domini videre in hoc tēpore concupiuimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentē auribus admittere deſiderauimus, nullum in illo temporalem odorem quæſiuimus. Perfudit enim eum quædam mulier præcioſiſſimo vnguento, domus illa odore impleta eſt, ſed nos ibi non fuimus, & non olfecimus, & credimus. Coenam manibus ſuis conſecratam Diſcipulis dedit, ſed nos in illo conuiuio non diſcubuimus, & tamen ipſam coenam fide quotidiè manducamus. Nec magnum putetis in illa coena quam ſuis manibus dedit ſine fide interfuiſſe, melior extitit fides poſtea, quàm tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit, ibi fuit Iudas qui tradidit. Quam multi & modo in ipſa coena, quamuis illam tunc menſam non viderint, nec panem quē Dominus geſtauit in manibus, oculis ſuis aſpexerint, vel faucibus guſtauerint, tamen quia ipſa nunc præ-

Ioan. 20. *Ioan. 20.* *Ibidem.* *Ioan. 12.* *Matth. 26*

paratur: quam multi etiam nunc in ipsa coena iu
1. Cor. 11. dicium sibi manducant & bibunt. Vnde autẽ tan
quam occasio nata est Domino, vt de ista coena
loqueretur. Dixerat vnus dè discumbentibus (In
cõuiuio enim erat, quo fuerat inuitatus) [*Beati qui manducant in Regno Dei panem,*] quasi in longinqua
iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbe
Iohan. 6. bat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit: ego
sum panis viuus, qui de cælo descendi? Nolite pa
rare fauces, sed cor. Inde commendata est ista coe
† quem na. Ecce credimus in Christum, † cùm fide acci-
pimus: in accipiendo nouimus quid cogitemus.
Modicum accipimus, & in corde saginamur. Nõ
ergo quod videtur, sed quod creditur pascit. Non
ergo etiam sensum illum extremum quæsiuimus,
nec diximus. Crediderint qui Dominum ipsum
resurgentem (si verum est quod dicitur) viderunt
oculis, manibus palpauerunt, nos non tangimus,
quare credimus? Si talia cogitaremus, quinque il
lis iugis boum ad coenam impediremur. Vt noue
ritis fratres istorum quinque sensuum non delec-
tationem, quæ permulcet & ingerit voluptatem,
sed curiositatem quandam notatam fuisse, non
ait: [*Quinque iuga boum emi,*] eo pascere illa, sed,
[*eo probare illa.*] Qui vult probare, per iuga boum,
non vult dubitare: quomodo sanctus Thomas
Ioan, 20. per iuga noluit dubitare: videam, tangam, digi-
tos mittã. Ecce (inquit) digitos tuos mitte per la-
tus meũ, & noli esse incredul⁹. Occisus sum prop
ter te, per locũ quẽ vis tangere sanguinẽ fudi vt
redimerẽ te, & adhuc dubitas de me, nisi tetigeris
me: ecce & hoc præsto ecce & hoc exhibeo. Tã-
ge & crede, inueni locũ vulneris, sana vulnus dubi
tationis. Tertius dixit: [*Vxorem duxi.*] Ista voluptas
carnis quæ multos impedit, vtinã foris & nõ in-
tus. Sũt

cus. Sũt homines qui dicũt. Nõ eſt homini bene, niſi cui adſunt carnis delitiæ. Ipſi ſunt quos notat Apoſtolus dicẽs: Mãducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quis huc inde ſurrexit? Quis nobis quod ibi agitur dixit? Hoc nobiſcũ tollimus, quod in hoc tempore benè eſt nobis. Qui hoc dixit, vxorem duxit, carnem amplexatur, carnis voluptatibus iocundatur, à cœna excuſatur: obſeruet ne fame interiore moriatur. Attendite ſanctum Iohannem Apoſtolum & Euangeliſtam: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. O qui ad cœnam Domini venitis, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Non dixit, nolite habere, ſed nolite diligere. Habuiſti, poſſediſti, dilexiſti. Amor rerum terrenarum, viſcum eſt ſpiritualium pennarum. Ecce concupiſti, hæſiſti. Quis dabit tibi pennas ſicut columbæ? Quando volabis, vbi verè requieſcas, quando hic vbi malè hæſiſti, peruerſe requieſcere voluiſti? Nolite diligere mundum, tuba diuina eſt. Continuo huius tubæ verbis, orbi terrarum, & vniuerſo dicitur mundo: nolite diligere mundũ, nec ea quæ in mundo ſunt. Quiſquis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo. Quoniã omnia quæ in mũdo ſunt, cõcupiſcentia carnis ſunt, & concupiſcentia oculorũ, & ãbitio ſeculi. Ab vno cœpit, quo Euãgeliũ terminauit. Inde ille cœpit, vbi Euangeliũ terminũ poſuit; Concupiſcentia carnis, vxorem duxi. Concupiſcentia oculorum, quinq; Iuga boum emi: Ambitio ſeculi. Villã emi. Ideo autem, à † parte ſeculi per ſolos oculos cõmemorati ſunt iſti ſenſus, quia oculorum eſt in quinq; ſenſibus principatus. Propterea cùm propriè ad oculos pertineat viſus, ipſum videre per omnes quinque ſenſus ſolemus appellare. Quomodo?

1. Cor. 15. — *1. Ioan. 2.* — *Pſalm. 54* — *1. Ioan. 2.* — † à parte totum per &c.

Primò, quod ad ipsos oculos pertinet, dicis: vide quam candidum est, intende & vide quam candidum est. Hoc ad oculos pertinet. Audi & vide quam canorum est. Nunquid conuersim potes dicere: audi & vide quam candidum est? Hoc quod dicitur, vide, per omnes sensus currit. Cęterorum autem sensum proprietas non per se recurrit. Intende & vide quam canorum est: Odora & vide quam suaue est: Gusta & vide quā dulce est. Tange & vide quam molle est. Vtique quoniam sunt sensus, sic potiùs diceremus. Audi & senti quam canorum est, odora & senti quam suaue est. Gusta & senti quam dulce est. Tange & senti quam calidum est, Palpa & senti quam lene est, Palpa & senti quam molle est. Nihil horum. Nam ipse Dominus post resurrectionem cùm apparuit Discipulis suis, cumque cernentes adhuc titubarent in
Luc. 24. fide, putantes se spiritum videre. Quid (inquit) dubitatis, & quare cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos. Et parū est videre, tāgite & palpate inquit. Intēdite & videte, palpate & videte: in solis oculis videte, in omnibus sensibus videte. Quia interiorē sensum fidei quęrebat, exterioribus sensibus corporis adiacebat. Nos nihil ab istis exterioribus sensibus in Dño carpsimus: auditu audiuimus, corde credidimus, & ipsum auditū non ab illius ore, sed ab ore prædicatorū eius, ab ore illorū qui iā cœnabant, et nos ructādo inuitabāt. Tollam⁹ ergò de medio excusationes vanas & malas, & veniamus ad cœnā, qua intrinsecus saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos extollat, vel nō nos terreat curiositas illicita & auertat à Deo. Non nos impediat voluptas carnis à voluptate cordis. Veniamus & saginemur. [*Et reuersus seruus, nuntiauit hæc*

hæc domino suo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cœcos & claudos introduc huc.] Et qui venerunt, nisi mendici, debiles, claudi & coeci? Illi autem non venerunt diuites, sani, quasi benè ambulantes & acutè cernentes, multum de se presumentes: & ideo desperatiores quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille inuitat qui propter nos pauper factus est, cùm diues esset, vt illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed malè habentibus. Veniant claudi qui ei dicant: Compone gressus meos in semitis tuis. Veniant coeci, qui dicāt: illumina oculos meos, ne vnquā obdormiā in morte. Tales venerūt ad horā (illis prius inuitatis, sua excusatione reprobatis) Venerunt ad horā, intrauerunt de plateis, & vicis ciuitatis. [*Et ait seruus.*] qui missus erat. [*Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*] Quos inueneris, vt dignentur noli expectare, coge intrare. Magnam cœnam, magnam domū paraui, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & de vicis gentes, veniant de sepibus heretici, hic inueniunt pacem. Nam qui cōstruunt sepes, diuisiones quærunt. Trahantur à sepibus, euellantur à spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate (inquiūt) nostra intremus. Nō hoc Dominus imperauit. [*Coge (inquit) intrare.*] Foris inueniatur necessitas, nascitur intus volūtas. In illis ergo qui leniter primò adducti sunt cōplecta est prior obedientia: In istis autem qui coguntur inobedientia coercetur. Nam quid est, [*Cogite intrare:*] cùm primò dictum esset, [*adducite,*] & responsum esset,

2. Cor. 8.
Matth. 9.
Psalm. 16.
Psalm. 12.
Tomo. 2. De Correc. Donatistarū ad Bonifaciū ca. 16. Ep. 50

esset, [*factum est quod iussisti, & adhuc est locus?*] Si miraculorum terroribus cogendos voluisset intelligi, magis ad eos qui prius vocati sunt diuina miracula multa facta sunt, maximè ad eos de qui-
1. Corin. 1. bus dictum est: Iudæi signa petunt. In ipsis quoque gentibus talia temporibus Apostolorum miracula Euangelium commendauerunt, vt si talibus cogi iuberentur, priores (vt dixi) potiùs conuiuæ coacti esse merito crederentur. Quapropter si potestatem, quam per religionem & fidẽ Regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Ecclesia: hij qui inueniuntur, [*in vijs & in sepibus,*] Id est, In hæresibus & schismatibus, coguntur intrare: non quia coguntur reprehendãt, sed quo cogantur attendant. Conuiuium Domini vnitas est corporis Christi, non solùm in Sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis. [*Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam,*
Tomo. 4. *non potest meus esse discipulus.*] Videri potest contrariũ
De Serm. minus intelligentibus, quod hic discipulum suũ
Domini in negat esse posse quenquam, qui non oderit vxo-
Mont. lib. rem: Alibi autem vetat dimitti vxorem, excepta
1. N. causa fornicationis. Quod si propter concubitũ
Matth. 5. dixerit, non etiam patrem & matrem, & fratres & sorores in eadem conditione poneret. Sed ve-
Matth. 11. rum est quod regnũ cælorũ vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud. Quanta enim vi opus est, vt homo diligat inimicos, & oderit patrem & matrẽ, & vxorem, & filios, & fratres? Vtrũque enim iubet qui ad Regnum cælorũ vocat. Et quo modo hæc non sint contraria inter se, ipso duce facile est ostendere, sed ea intellecta implere difficile est: quanquam & hoc eodem ipso adiuuante
fa-

facillimum. Regnum enim ęternũ quo discipulos (quos etiã fratres appellat) vocare dignatus est, non habet huiusmodi necessitates temporales: Non est Iudæus, neq; Græcus, neq; masculus, neque fœmina, neque seruus, neq; liber, sed omnia in omnib⁹ Christus. Et ipse Dominus dicit: In resurrectione enim neque nubẽt, neque vxores ducent, sed erunt sicut Angeli in cælis. Oportet ergo vt quisquis illius regni vitam iam hic meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales, quibus ista quæ transitura est vita fulcitur, quæ nascendo moriendoque peragitur: quod qui non odit, nec dum amat illã vitam vbi nulla erit conditio nascendi atque moriendi, que copulat terrena coniugia. [Et *qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*] Duo sunt crucis genera, vnum corporale aliud spirituale. Vnum à potu atque epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus & mollissimis suauitatibus coercere, ab his quæ per tactum & gustum visumque decipiunt sensum viriliter reuocare, ac violenter abstrahere. Alterum crucis genus est preciosius atq; sublimius: motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus (quasi ferã bestiã) refrenare, litigare quotidie cõtra vitia sua, increpare se quadã censura austeritatis & virtutis, & rixam quodammodo cũ homine interiore conserere. Preciosa in conspectu Dei & gloriosa crux: cogitationes malas in potestatẽ redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere, & regentis imperio subiugare. A sermone atque opere quo anima læditur, tãquã à cibis noxijs abstinere: & sensum ab his quæ contraria sunt spiritali tẽperantia sobrium custo-

Galat. 3.
Matth. 22.
Tomo. 10. De Sanctis Serm. 20.

um custodire. Hæc qui facit, prærupto passionis muro, violenter ad cælorum regna conscendit. Vim itaque sibi faciat anima, vt palmã laborum quam sibi subtrahi multis inimicis aduersantibus sentit, viribus contendat eripere. [*Quis enim ex vobis volens turrim ædificare: nonne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus cõmittere bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cũ viginti millib⁹ venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui nõ renuntiat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.*] [*Obserua.*] Sumptus ad turrim ædificandum, vires ad discipulatum Christi obtinendum: [*Et decem milia,*] preliaturi cum Rege qui habet viginti milia, simplicitatem christiani dimicaturi cum duplicitate diaboli, hoc est, cum dolis & fallacijs eius, in affectu constituit renuntiantis omnibus quæ sunt eius. Ita enim concludit: *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*] Inter quę omnia etiã ipsa tẽporalis vita intelligatur, necesse est: quã oportet sic possidere ad tẽpus, vt nõ impediat ab æterna, qui eã fuerit minat⁹ auferre. Sicut autẽ de turri nõ perfecta per opprobriũ deterruit, dicentiũ: [*Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit cõsummare:*] Sic in Rege cum quo dimicandũ est, ipsam pacẽ accusauit, cùm ait: [*Adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ sunt pacis:*] Significans enim minas imminentium à diabolo tentationum, non sustinere homines, [*qui non renuntiant omnibus quæ possident,*] & pacẽ cum eo facere cõsentiẽdo illi ad cõmittenda peccata. Turrim quippe illam

Tomo. 9. De Cons. Mundi. ca. 2 & 5. Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. cã. 31.

illã ædificare,& contra Regem illũ dimicare,esse discipulũ Christi est:habere autẽ sumptus ad perficiendam turrim, & habere fortia decem milia cõtra viginti milia Regis,renuntiare est omnibus quæ sunt eius. [*Bonum est sal. Si autem sal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur.*] Id est, si vos,per quos condiendi sunt quodammodo populi,metu persecutionum temporalium,amiseritis regna cælorum:qui erũt homines per quos à vobis error auferatur, cũ vos elegerit Deũs per quos errorem auferat cæterorum? [*Qui habet aures audiendi,audiat.*] Quid est quod Dominus dicebat: [*Qui habet aures audiendi, audiat?*] Cùm omnes qui in conspectu eius erant, vtique haberent aures. Quas ille aures quærebat, nisi cordis? *Tomo. 8. Psalm. 48*

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI QVINTI.

Pœnitentiæ fructus sub perditæ ouis & drachmæ inuentione, subq́ue prodigi filij reuersione Angelos lætificat.

CAPVT. XV.

ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istã, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, et si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?] Nec quia clamantem *Tomo. 4. De salut. Docum. cap. 57.*

mantem audiuit, ideo perrexit, sed antequam cla maret: ait enim Euãgelista: relictis nonaginta nouem in deserto, abijt quærere vnam ouem quæ perierat. [*Et cùm inuenerit eam,*] Lassatam atq; fatigatam, [*imponit in humeros suos gaudens,*] et reportat ad gregem. Pastor eam ad gregem suis humeris reportare dignatus est, & misericordia sua ab errore reuocare. Quod verò ouem istam dominus suis humeris impositam reportauit ad gregem, quantæ misericordiæ eius gratiæ agendæ sunt? qui tantum se ad nos humiliauit & inclinauit, portat & reficit, regit & custodit. [*& veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi. quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente quam supra 99. iustis qui non indigent pœnitentia.*] Quid aliud ostenditur in oue illa perdita ex centum ouibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis bono vitio primi hominis perdito, à iustorum errasse consortio, nec per se ad † curtem, id est, ad paradisum (de quo exiuit) fidelium numero resociandum posse reuerti, nisi indebita gratia sua, vtique voluntate sua, bonus pastor Christus, qui pro nobis animam suam posuit, de deserto errantem, hoc est, de isto mundo (in quo homo, præcepti diuini desertor exulat⁹ est, & errat libero arbitrio in operibus diaboli) humeris suis superimpositũ, in adiutorium scilicet fidei & charitatis reuocauerit? Hoc ipse Dominus probat, cùm in Parabola (volens hominem intelligi) ouem dicit errasse, quæ non sponte redierit, sed à pastore requisita ad † cubile proprium eius sit humeris reportata. Si verò vnam ouem lapsam, humanam animam accipiamus in Adam, quia etiam Eua de illius latere facta est: restat vt nonaginta nouem relictæ in mon-

Tomo. 7. Cont. Pelagia. Hyponosticon Lib. 3. K. Genes. 3.

† cohortem.

Ioan. 10. Genes. 3.

† ouile.

Tomo. 8. Psalm. 8. Genes. 2.

in montibus non humani, ſed Angelici ſpiritus intelligantur. Vel, ouem perditam omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo. Quam humeris ſuis portat, quia humiliando ſe tales erexit. Ideo autem illas nonaginta nouem dixit quas reliquit in deſerto, quia ſuperbos ſignificat, tanquam ſolitudinem gerentes in animo, dum ſolos ſe videri volunt, quibus ad perfectionem vnitas deeſt. Cùm enim quiſque à vera vnitate diuellitur, ſuperbia diuellitur: ſuæ quippe poteſtatis eſſe cupiens, non ſequitur vnum, quod Deus eſt. &c. [*Aut quæ mulier habens drachmas decem ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmã quã perdiderã.*] Perdiderat drachmam mulier illa, accendit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid eſt drachma? Nummus, in quo nummo imago erat ipſius imperatoris noſtri. Factus eſt enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier ſapiens? [*Accendit lucernam.*] Lucerna de luto eſt, ſed habet lucem, quia inueniatur drachma. Lucerna ergo ſapientiæ, caro Chriſti: de luto facta eſt, ſed verbo ſuo lucet & inuenit perditos. [*Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.*] Quotiens enim benè agimus, gaudent Angeli & triſtantur dæmones: quotiens à bono deuiamus, diabolũ lętificamus & Angelos ſuo gaudio defraudamus: gaudiũ eſt enim eis ſuper vno peccatore poenitentiam agente, ſed diabolo ſuper vno iuſto poenitentiam deſerente. [*Ait autem: Homo quidam habuit duos filios. & dixit adoleſcentior ex illis, patri: Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit.*] Quid tibi vis? Melius apud patrem ſeruatur. Tua

Tomo. 4. Queſt. Euang. lib. 2. cap. 33.

Tomo. 8. Pſalm. 138

Geneſ. 1. et 2.

Tomo. 9. Soliloq. Animæ ad Deum. ca. 27.

Tomo. 8. Pſal. 123.

est, dilapidare eam vis? Proficisci vis longius. Da mihi, sed da mihi. [*Et diuisit illis substantiam. Et nō post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.*] Homo habens duos filios, Deus ad duos populos intelligitur, tanquā stirpes duas generis humani: vnam eorum qui permanserunt in vnius Dei cultu, aliam eorum qui vsq; ad colenda idola deseruerunt Deum. Ab ipso autem exordio creaturæ mortalium consideratio debet intelligi vel intendi. Maior ergo filius, ad cultum vnius Dei pertinet: minorem in regionem longinquam profectū esse dicit. Petijt enim vt sibi pars substantiæ, quæ eum tangeret, daretur à patre, tanquam anima sua potestate delectata, id quod illi est viuere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere: omnia ista diuina sunt munera, quæ in potestatem accipiens per liberum arbitrium, quia diuisit pater liberis substantiam: minor filius in regionem longinquam profectus, malè vtendo bonis naturalibus, eo ipso quod patrem deseruit cupiditate fruēdi creatura, ipso creatore relicto. Quod non post multos dies dixit factum, vt congregatis omnibus peregrè proficisceretur in regionem longinquam: quia non multum post institutionem humani generis, placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum quandam velut potentiam naturæ suæ, & deserere eum à quo condita esse presidens viribus suis, quas vires tanto consumit citius, quanto eum deserit à quo datæ sunt. Itaque hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis exterioribus, intus inanescentem, cum ea quisque sequitur quæ ab illa procedunt, & relinquit eum qui sibi est interior. Regio itaque longinqua, obliuio

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 33

Dei

Dei eſt. [*Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames validae in regione illa, & ipſe cœpit egere.*] Fames in illa regione, eſt indigentia verbi veritatis. [*Et abijt, & adhæſit vni ciuium regionis illius.*] Vnus ciuium regionis illius: aliquis aereus princeps ad militiam diaboli pertinens, [*& miſit illum in villam ſuam.*] Villa eius, modus poteſtatis eius, [*vt paſceret porcos.*] Porci immundi ſpiritus qui ſub ipſo ſunt. [*Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant.*] Siliquæ quibus porcos paſcebat, ſeculares doctrinæ ſterili vanitate reſonantes, de quibus laudes idolorum fabularumque ad Deos gentium pertinentium vario ſermone atq; carminibus percrepãt, quibus dæmonia delectantur. Vnde cùm iſte ſaturari cupiebat, aliquid ſolidum & rectum quod ad beatam vitam pertineret, inuenire volebat in talibus, & non poterat. Hoc eſt enim quod ait: [*Et nemo illi dabat. In ſe autem reuerſus,*] Iam ſcilicet ab eis quæ forinſecus fruſtra illiciunt & ſeducunt, in conſcientia interiorem reducem faciens intentionem ſuam, [*dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?*] Vnde hoc ſcire poterat in quo erat tanta obliuio Dei, ſicut in omnibus idololatris fuit: niſi quia iſta recogitatio iam reſipiſcentis eſt, cùm Euangelium prædicaretur? Iam enim poterat talis animaduertere multos prædicare veritatem, inter quos quidã eſſent, non ipſius amore veritatis ducti, ſed cupiditate comparandorum ſecularium commodorum. De quibus dicebat A- *Philip. 1.*
poſtolus, eſſe quoſdam qui Euangelium annuntia- *1. Tim. 6.*
uerant non caſtè, exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem. Non enim aliud annuntiabant, ſicut hæretici, ſed hoc quod Apoſtolus Paulus, non eo tamen animo quo Apoſtolus Paulus. Vnde mercenarij rectè appellantur, in eadem quidem domo

eundem panem verbi tractantes: non tamen in hæreditatem æternam vocati, sed temporali mer
Matth. 6. cede conducti. De talibus dictum est: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. [*Ego autem hic fame pereo.*] Deinde ait: [*Surgam,*] Quia iacebat, [*& ibo,*] Quia longè aberat, [*ad patrem meũ,*] Quia sub principe porcorum erat, [*& dicam ei:*] Cætera verba sunt poenitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Nó enim iam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cùm venerit. Intelligas ergo hoc nunc accipiẽdum esse venire ad patrem, in Ecclesia constitui per fidem, vbi iam possit esse peccatorum legittima & fructuosa confessio. Quid ergo patri dicturum se dicit? [*Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*] Vtrum hoc est, [*Peccaui in cælum,*] quod est, [*Coram te:*] vt cælũ appellauerit ipsam summitatem patris. Vnde est etiam illud in Psalmo:
Psalm. 18. A summo cælo egressio eius, cùm ab ipso patre vellet intelligi. An potius: peccaui in cælum, corá sanctis animis, in quibus est sedes Dei. Coram te autem, in ipso penetrali interiore conscientiæ. [*Et surgens venit ad patrem suũ. Cùm autem adhuc lõgè esset,*] Antequam intelligeret Deum, sed tamen cũ iam piè quæreret, [*vidit illum pater ipsius.*] Impios enim & superbos conueniẽter non videre dicitur, tanquam ante oculos non habere. Ante oculos enim haberi, non nisi qui diliguntur dici solet. [*Et misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius,*] Nó enim pater vnigenitum filium deseruit, in quo vsque ad nostram longinquam etiam peregrinationem cucurrit atque descendit: quia Deus erat in
2. Cor. 5. Christo mundum reconcilians sibi. Et ipse Domi
Ioan. 14. nus ait: Pater in me manens ipse facit opera sua.

Quid

Quid est autem super collum eius cadere, nisi inclinare & humiliare in amplexum eius brachiū suum? Et brachium Domini cui reuelatum est? Quod est vtique Dominus noster Iesus Christus. *Esaia 53.*
[*Et osculatus est eum.*] Id est, consolari verbo gratiæ Dei ad spem indulgentiæ peccatorum. Hoc est post longa itinera remeantem, mereri à patre osculum charitatis. [*Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum & coram te:*] Incipit iam peccata, constitutus in Ecclesia, cōfiteri. Nec dicit omnia quæ dicturum se esse promiserat, sed vsque ad illud: [*iam non sum dignus vocari filius tuus.*] Hoc enim vult fieri per gratiam, quo se indignum esse per merita fatetur. Non addit quod in illa meditatione dixerat: [*Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*] Cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat, quod post osculum patris generosissime iam dedignatur. [*Dixit autem Pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus eius, & calceamenta in pedes eius. Et adducite vitulum saginatū, & occidite, & mãducemus & epulemur:*] [*Stola prima,*] est dignitas quam perdidit Adam. Serui qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores. *Genes. 3.* *Luc. 11.*
[*Annulus in manu,*] pignus est Spiritus sancti, propter gratiæ participationem, quæ digito Dei bene significatur. [*Calceamenta in pedes,*] preparatio Euangelizandi ad non tangenda terrena. [*Vitulus saginatus,*] Ipse item Dominus, sed secundum carnem satiatus opprobrijs. Quod autem imperat vt adducant eum, quid aliud, nisi vt predicent eum, & annuntiando venire faciant in exhausta fame viscera filij esurientis: Nam etiam vt occidant eū iubet, hoc est, vt mortem eius insinuent. Tunc enim cuique occiditur, cùm credunt occisum. [*Et epulemur,*] inquit, hoc ad lætitiam valet, propter

illa quę consequenter dicit: [*Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.*] Et istæ epulæ atque festiuitas nunc celebrantur per orbem terrarum Ecclesia dilatata atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore & sanguine dominico offertur patri, & pascit totã domum: cum interea maior filius, populus Israel secundũ carnem, non quidem profectus in longinquam regionem, sed tamẽ in domo nõ est. Sequitur enim: [*Erat autem filius eius senior in agro.*] In agro autem est, id est, in ipsa hæreditaria opulentia legis & Prophetarum terrena potius operatur, & in quibuscũque Israeliticis † considerationibus. Nam multi tales inuenti sunt in eis, & sæpe inueniuntur. [*Et cùm veniret, & appropinquaret domui,*] Veniens de agro, domui propinquare coepit, id est, à labore seruilis operis improbato, ex ijsdem scripturis, Ecclesiæ libertatem considerauit. [*Audiuit Symphoniam & chorum.*] Scilicet, Spiritu plenos, vocibus consonis Euangelium prædicare. Quibus dictum est: obsecro vos fratres per nomẽ Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes. Et concorditer conuersantium animam & cor vnum in laudes Dei. [*Et vocauit vnum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent.*] Sumit vtique ad legendum aliquẽ Prophetarum, & in eo quærens quodammodo interrogat, vnde ista festa in Ecclesia celebrantur, in qua se esse non videt. [*Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.*] Respondet ei seruus patris Propheta, frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulũ saginatum, quia saluum eum recepit. In extremis enim terræ fuit frater tuus. Sed inde maior exultatio cantantium Domino canticum nouũ, quia laus eius ab extremis terræ; & propter eum qui absens

† alias, considératoribus.

Act. 2.
1. *Cor.* 1.
Act. 4.
Isai. 42.
Isai. 53.

absens erat, occisus est vir in plaga positus, & sciens ferre † imbecillitatem: quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierant, intellexerunt. [*Indignatus est autem, & nolebat introire.*] Sed indignatur etiam nunc, & adhuc non vult introire. [*Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.*] Cùm plenitudo gentium intrauerit, egredietur oportuno tempore pater eius, vt etiam omnis Israel saluus fiat, ex cuius parte cæcitas facta est, velut absentia in agro, donec absentia filij minoris, longè in idololatria gentiū cōstituti, reducta, ad vitulum manducandum intraret. Erit enim quandoque aperta vocatio Iudæorum in salute Euangelij. Quam manifestationē vocationis tanquam egressum patris appellat ad rogandū maiorem filium, [At ille respondens, dixit patri suo: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatū tuum præterini, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.*] Quę respondet maior filius, duas quæstiones habet: quomodo accipiatur populus ille nunquam mandatum Dei prætcrisse: & quem dicat hœdum quem nunquam accepit vt cum amicis suis epularetur. Sed de mandato non pretergresso facile illud occurrit, neque de omni mandato dictum esse, sed de vno maxime necessario, quo nullum aliū Deū præter vnum omnium creatorem, † colere iussus est. Neque iste filius in omnibus Israelitis, sed in his intelligitur habere personam, qui nunquam ab vno Deo ad simulachra conuersi sunt. Quanquam enim, tanquam in agro positus, iste filius terrena desideraret, ab vno tamen Deo ista desiderabat bona, quamuis communia cum pecori-

† alias, Infirmitates.

Isai. 52.

Rom. 11.

† alias, coluisse visus est

bus. Vnde in Psalmo ex persona Synagogæ quod interpretatur Asaph, conuenienter accipitur dic
Psalm. 72 tum: quasi pecus factus sum apud te, & ego semper tecum. Quod etiam patris ipsius testimonio comprobatur, cũ dicit: [*Tu mecum es semper.*] Non enim quasi mentientem redarguit, sed secũ perseuerantiam eius approbans, ad perfruitionem potioris atque iocũdioris exultationis inuitat. Quis est ergo hoedus, quem nunquam accepit ad epulandum? Peccator profectò hoedi nomine significari solet. Sed absit vt Antichristum intelligam. Non exitum inuenio huiusce sententiæ. Multum enim absurdum est eum, cui dicitur, [*Tu mecum es semper,*] hoc à patre optasse, vt Antichristo crederet. Neque omnino in eis Iudæorum qui Antichristo credituri sunt, istum filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hoedo, si ipse esset Antichristus, qui ei non crederet? Aut si hoc est epulari ex hędi occisione, quod est de Antichristi perditione lætari: quomodo dicit filius quẽ recepit pater hoc sibi non fuisse concessum, cùm omnes filij Dei de illius aduersarij dãnatione lætaturi sunt. Nimirum ergo quod in re obscurissima, sine prçiudicio diligentioris inquisitionis dixerim: ipsum Dominum sibi negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat. Cùm enim hoedus est illi genti, id est, cũ eum sabbati violatorem, & prophanatorem legis existimat, iocundari epulis eius non meruit. Vnde quod ait: [*Nunquam dedisti mihi hœdũ, vt cum amicis meis epularer,*] tale sit ac si diceret, eum qui mihi hoedus videbatur, nunquam dedisti mihi ad epulandum: eo ipso mihi eum non concedens, quo mihi hoedus videbatur. Quod autem dicit, [*cum amicis meis:*] Aut ex persona Principum cum plebe intel

ligitur,

ligitur, aut ex persona populi Hierosolimitani cum cæteris populis Iuda. Meretrices autem, cũ quibus dissipasse substantiam suam filius minor accusatus est, rectè intelliguntur superstitiones, relicto vno connubio legittimo verbi Dei, cum turba dæmoniorum cupiditate turpissima fornicari. Quid deinde sibi vult, quod cùm pater diceret: [*Tu mecum es semper,*] quod iam tractatum est, addit, [*Et omnia mea tua sunt.*] Qua in re primò cauendum est, ne intelligas ita dictum: [*Omnia mea tua sunt*] quasi non sint & fratris, aut, tanquam in terrena hæreditate, patiaris angustias. Quomodo possunt omnia esse maioris, si habet & ibi iunior partem suam? Sic enim à perfectis & purgatis, ac iam immortalibus filijs habentur omnia, vt sint & omnium singula, & õnia singulorum. Vt enim cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. Sed quomodo omnia? Num & Angelos, ait aliquis, & virtutes sublimes ac potestates, atq; vniuersa cælestia Dei ministeria, Deus in possessionẽ tali filio subiecisse putãdus est? si possessionẽ sic accipias, vt eius possessor ipse sit Dñs, non vtiq; omnia: Nõ enim dñi erunt, sed cõsortes potius Angelorũ, de quibus dictũ est: Erunt enim æquales Angelis Dei. Sin vero possessio sic intelligitur, quomodo rectè dicimus possidere animas † veritatẽ, nõ inuenio cur nõ verè accipere possum⁹ õnia, quę dicta sunt õnia. Nõ enim illud ita loquimur, vt dominas † veritatis dicamus animas, quã ab eis dicimus possideri. Aut si nomine possessionis adhuc sensu impedimur, id quoq; auferatur. Non enim ait pater: omnia in possessione tibi dabo, siue: omnia mea possides, vel possidebis, sed [*omnia mea tua sunt:*] nec tamẽ ita sunt eius, vt ipsius Dei. Quod enim est in nostra pecunia, potest fa-

Matth. 22. Luc. 20.

† alias virtutes

† alias, virtutis

miliæ nostrę vel alimentum esse, vel ornamẽtum, vel aliud huiusmodi. Et certe cùm ipsum rectè ille posset suum dicere, non video quæ ipsius rectè sua vocare non possit, diuersis duntaxat modis. Cùm enim beatitudinẽ illã obtinuerimus, nostra erunt ad viuendũ superiora, nostra erunt ad conuiuendũ ęqualia, nostra erunt ad dominandũ inferiora. Sequitur: [*Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.*

Alia eiusdem Parabolæ expositio.

SIcut filius ille qui peregrè profectus est in regionem longinquam, vbi dissipauit substantiam suam luxuriosè viuendo: sic quicũque peccator, dum carnales voluptates diligit, à Domino peregrinatur: & quanto peccando fit dissimilior, tanto magis à Deo elongatur. Substantia enim hominis est omne quod viuit, cogitat, sapit, & loquitur: quæ Deus æquè diuidit. Quam substantiam peccator consumit, dum conscientiam & vitam, & cogitationes & verba, in malis actionibus impendit. De filio etiam isto dicitur, quod [*cœpit egẽre,*] & ideo adhæsit vni ciuiũ regionis, & misit eum in villã vt pasceret porcos, & cupiebat implere ventrẽ, de siliquis quas porci mãducabãt & nemo illi dabat. Eget enim peccatur, cũ cupit implere ventrẽ, nõ pane vitę æternę, sed glandibus, qui porcorũ cibus est. Ideo adhæsit vni de principibus mundi, sub cuius fauore pascere porcos, id est, demones, valeat. Porc⁹ enim immundũ animal est, & de sordibus saturatur & delectatur. Siliquæ enim sũt nõ solũ glandes, sed etiã omne turpe & immundũ quod porcus delectatur cõmedere. Istæ deniq; siliquæ sunt fornicatio, ebriositas, & gulositas: isti enim sunt dæmonũ cibi, quib⁹ peccator repleri desiderat, sed nemo dat illi ad sufficiẽtiã. Peccator enim semper

Tomo. 10. Ad fratres in Here. Ser. 27

nim semper

nim semper famescit, semper deuorare quęrit, nũc luxuriãdo, nũc & alia faciendo semper delectari desiderat. Sed visitante Domino patre per gratiam, passionis suæ pœnitet miser peccator, dolet iam pascere porcos: cogitat, & cogitando surgit, pergens ad patrem & dicens: [*Pater peccaui in cælum*,] quia assumsi frequenter nomen tuum & Sanctorum tuorum in vanum. Peccaui etiam coram te, quia in tua humanitate peccaui, quia nõ cognoui opere tuam infirmitatem quam pro me passus es. Peccaui coram te, quia Deus & homo es. Peccaui in cælum, quia in patrem & in Spiritum sanctum. Non, igitur, [*sum dignus vocari filius tuus.*] Sed quid fecerit pius pater audiamus, legamus, prædicemus, non sileamus. [*Nam misericordia motus,*] videns illum venientem, occurrit: vidẽs lachrymantẽ, lachrymatur: videns eum denudatum, stolam iubet parari: videns eum discalciatũ, calciatur: credens eum debilem & famelicum, occidi iubet vitulum saginatum. O quam grandis misericordia tanti patris! O quàm infinita eius pietas! O quam dulcis, ô quam pia miseratio! Ecce enim filius peregrè fugit, & tamen patienter expectat. Omnia bona destruxit, & tamen ad se reuocare festinat. Porcos pascit, & ei iam vitulum parat. Fame iam ferè moritur, & epulari iam clamat. Nudus apparet, bonis operibus priuatus, & ecce stola pristinæ gratiæ saluatoris, quam in baptismo recepit, induitur: & [*annulus*] fidei desponsationis datur, ne amplius valeat pascere porcos, qui ad domum patris fugit: sed tanquã ciuis sanctorum & domesticus Dei, fundetur in domo diuinæ maiestatis in æternum & vltra. Quod benè ostendit ille misericordiæ pater, quia videns illum misericordia motus est, & occurrit, & bra- *Ephes.2.*

chia

chia extendens super collum eius, osculatus est eum, dicens seruis suis: Adducite vitulũ, & manducemus. [*Hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.*] Similiter hoc idem fecit Saluator Petro, quãdo eum negauit: quãdo illũ respexit, quãdo respexit mentẽ eius, tunc fleuit amarè. Occurrit peccatori saluator, quia per se nõ potest ad Deũ accedere, nisi ei subueniat, nisi mentẽ eius respiciat. Sed postquã eum respexerit, flectitur super collum eius, quia onus eius leuè ponit super collum eius, dicens: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Tunc stola induitur, dum anima indumento virtutum vestitur. Duæ enim stolæ: vna videlicet quando anima in presenti indumento virtutum vestitur: altera verò immortalitatis est, quando corpus in fine seculi etiam resuscitabitur. Et ideo fratres mei, licet in heremo sitis, scire tamen debetis quod duæ stolę, sunt duæ resurrectiones, quarum vna est animæ, quando resuscitatur à vitijs in quibus mortua iacebat: altera corporis, quando corpus configuratũ erit corpori claritatis Christi, quando in die iudicij reformabitur. Eia ergo fratres mei & corona matris meæ, scitote quod porcos iam pauimus, cum multo tempore dęmonibus peccãdo placuimus. Iam frequenter eorum siliquas desiderauimus, quando mundo placere voluimus, quando in eo florere concupiuimus, quando delectationibus suis toto affectu adhæsimus. Sed nunc Dei gratia serui Christi sumus, clamare non cessemus: Peccaui Domine, iam non sum dignus vocari filius tuus. Quorum clamorem audiens, occurret nobis osculando, suam pacem donando. Stolam donauit, quando animam vitijs spoliauit. Annulum donauit, quando in fide sua nos roborauit. Cal-

Luc. 22.

Mat. 11.

ceamenta

cramenta donauit, quando memoriam mortis nobis impressit. [*Vitulum occidit,*] quando in sacramento altaris memoriã passionis eius in mente renouauit. Tunc nobiscum pater manducat & epulatur, quando in operibus suis perseuerando delectamur. Tunc sic nobis ornatis præcipit Angelis Deus, vt conuiuium preparent, quia mortui eramus, & resurreximus: perieramus, & inuenti sumus. [*Tertiam huius parabolæ expositionem habes Tomo 9. Lib. De Tempore Barbarico. cap. 7.*

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI SEXTI.

Quoniam modo sit Deo seruiendum sub callidi villici parabola, vxorem repudiantis, diuitis epulonis & pauperis Lazari designatur.

CAPVT XVI.

DIcebat autem ad discipulos suos: Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dißipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem. Fodere non valeo, mendicare erubesco,] Quid est autem mendicare, nisi ad hominum misericordiam viuere? [*Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis*

Tomo. 8. Psal. 108.

gulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantũ debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & sede cito scribe quinquaginta. Deinde alio dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait. Centum coros tritici. Ait illi, accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.] Ad consu-

Tomo. 3. De Genes. ad litterã lib. 11. ca. 3
Tomo. 4. Q. Euan. li. 2. ca. 34

lendum, scilicet, sibimet in posterum, quamuis fraude non iure. In villico quem eijciebat Dominus de villicatione, & laudauit eum quod in futurum sibi prospexit, non omnia debemus ad imitandum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, vt de ipsa fraude eleemosinas faciamus: aut eos à quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei & Domini nostri fas est intelligi, cùm iusti & sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui suis necessitatibus terrena bona communicauerint: de quibus etiã dicit, quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit, tantũ in nomine discipuli, non perdet mercedẽ suam.

Matt. 10.

Sed etiã è contrario dicuntur istæ similitudines, vt intelligamus si laudari potuit ille à Domino qui fraudẽ faciebat, quanto amplius placent Domino Deo qui secundũ eius præceptũ illa opera faciunt? Sicut etiã de iudice iniquitatis qui interpellabatur à vidua, comparatione duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte Iudex iniquus conferendus est.

Luc. 18.

Quod autem de centũ cadis olei, quinquaginta scribi fecit à debitore: & de centum coris tritici, octoginta ad nihil aliud valere arbitror, nisi vt ea quæ similiter atq; in Leuitas Iudęi, quisque operatur in Christi Ecclesia, abundet iustitia eius super Scribarum & Pharisæorum: vt cùm illi decimas darent, isti dimidias

Matth. 5.

midias dent; sicut nõ de fructibus, sed de ipsis bonis fecit Zachæus. Aut certe duplicet decimam, aut duas decimas dando superet impendia Iudæorum. [*Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*] Qui sunt qui habebunt æterna tabernacula, nisi sancti Dei? Et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui eorum indigentię seruiunt, & quod eis opus est hilariter subministrant? Recordemur ergo in nouissimo iudicio Dominum esse dicturũ eis qui stabunt ad dexteram eius: Esuriui, & dedistis mihi manducare, & cætera quæ nostis. Et cùm illi quærerent quando ei obsequia ista præbuissent, respondit: Quando vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Isti minimi sunt qui recipiunt in æterna tabernacula. Hoc dixit dextris qui fecerunt, hoc sinistris qui facere noluerunt. Sed dextri qui fecerunt, quid acceperunt, vel potiùs quid accepturi sunt? Venite, inquit, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à cõstitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Quando vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Minimi ergo qui sunt Christi? hi illi sunt qui omnia sua dimiserunt, & sequuti sunt eum, & quicquid habuerunt pauperibus distribuerunt, vt Deo sine seculari compede expediti seruirent, & ab oneribus mundi liberatos (velut pennatos) sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, non superbi. Appẽde minimos istos, & graue pondus inuenies. Sed quid est quod ait, eos esse amicos de mammona iniquitatis? Quid est mammona iniquitatis? Primum, quid est mammona? Verbum est enim quod latinum non est. Hebræum verbum est, cognatũ

Luc.19

Tomo 10. De Verb. Dñi Serm. 35.

Matth. 25

Matth.25

Ibidem.

linguæ

linguæ Punicæ. Istæ enim linguæ sibi significatio nis quadam vicinitate sociantur. Quod Punici di cunt Mammon, latinè lucrum vocatur. Quod He bræi dicunt Mammona, Latine diuitiæ vocãtur. Vt ergo Latinè totum dicamus, hoc ait Dominus Iesus Christus: Facite vobis amicos de diuitijs ini quitatis. Hoc quidam malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim: Rapere res alienas, mammona est iniquita- tis: erogare inde aliquid, maximè egentibus sanc tis, hoc ita est facere amicos de mammona iniqui tatis. Intellectus iste corrigendus est, immo de ta- bulis cordis vestri omninò dolendus est. Nolo sic intelligatis: de iustis laborib⁹ facite eleemosinas, ex eo quod rectè habetis date. Non enim corrup- turi estis iudicem Christũ, vt non vos audiat cum pauperibus quibus tollitis. Si enim depredareris aliquem inualidum, tu validior & potentior, & veniret tecum ad iudicem hominẽ quemlibet in hac terra habentem iudicandi aliquã potestatẽ, vellet tecum causam dicere, si tu de preda & spo- liatione illa inopis dares aliquid iudici, vt pro te iudicaret iudex ille, vel tibi placeret? Nempe pro te iudicauit, & tamen tanta est vis iustitiæ, vt & tibi displiceat. Noli tibi talem pingere Deum, no- li collocare in templo cordis tui tale idolũ. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu. Si tu non sic iudices, sed iustè iudices; etiam sic me- lior est te Deus tuus, non est inferior, iustior est, fons iustitiæ est. Quicquid boni fecisti, inde sum- sisti: & quicquid boni eructuasti, inde bibisti. Lau das vas, quia habes inde aliquid, & vituperas fon tem? Noli velle eleemosinas facere de fœnore & vsuris. Fidelibus dico, eis quibus corpus Christi e-

rogamus,

rogamus, dico: Timete, corrigite vos, ne dicam
postea, tu facis, & tu facis. Et puto si fecero non
mihi debetis irasci, sed vobis, vt corrigamini: ad *Psalm. 4.*
hoc enim valet quod dictum est in Psalmo: Irascimini, & nolite peccare. Volo vos irasci, sed non
vt peccetis. Vt autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? vt accipiat veniam, de
seipso exigit pœnam, & rectè dicit Deo: Auerte *Psalm. 50*
faciem tuam à peccatis meis, quoniam peccatum
meum ego agnosco. Si tu agnoscis, & ille ignoscet: qui faciebatis, nolite facere. Non licet. Sed iã
si fecistis, & pecunias tales habetis, & inde saccellos implestis, inde thesaurizabitis. De malo est ꝙ
habetis, iam nolite malum facere; & facitis vobis
amicos de mãmona iniquitatis. Nunquid Zachæ- *Luc. 19.*
us de bono habebat? Legite & videte. Maior erat
publicanorum, id est, cui vectigalia publica conferebant. Inde habebat diuitias. Multos presserat,
multis abstulerat, multa congesserat. Intrauit domum eius Christus, & venit salus super domum
eius. Sic enim ait ipse Dominus: hodie salus huic
domui facta est. Sed ipsam salutem videte. Primò *Luc. 19.*
desiderabat Dominum videre, quia statura pusillus erat, & turba impediente, ascendit in arborẽ
sycomorum, & vidit transeuntem. Ille autem aspexit eum, & ait: Zachæe descende, apud te opor *Ibidem.*
tet me manere. Tu pendes, sed non suspendo, hoc
est, non te differo. Volebas videre transeuntem,
hodie me apud te inuenies habitantem. Ingressus
ad eum Dominus, repletus illi gaudio, ait: dimidium rerum mearum do pauperibus. Ecce quo- *Luc. 19.*
modo currit, qui currit facere amicos de mammona iniquitatis. Et ne reus aliundè teneretur: Si
cui aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Infixit si

bi condemnationem, ne incurreret damnationē. Ergo qui habetis, de malo, facite inde bonum Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. Esto bonus tu, qui facis bonum de malo: & cū cœperis boni aliquid facere de malo, noli remanere tu malus. Nummi tui conuertūtur in bonū, tu autem remanes malus? Est quidem & alius intellectus, nec ipsum tacebo. Mammona iniquitatis diuitiæ sunt sæculi omnes vndecunque sint: Vndecunque enim congregentur, mammona iniquitatis est, id est, diuitiæ sunt iniquitatis. Quid est, diuitiæ sunt iniquitatis? Pecunia est quam nomine diuitiarum appellat iniquitatis. Si enim veras diuitias quæris, aliæ sunt. Talibus Iob nudus abundat, quando in Deum cor plenum habebat, & laudes Deo (perditis omnibus rebus) tanquam gemmas preciosissimas proferebat. De quo thesauro si nihil habebat, ipsæ sunt veræ diuitiæ. Istæ autem, ab iniquitate appellantur diuitiæ. Habes illas, non reprehendo. Hæreditas venit, pater tuus diues fuit, & dimisit tibi. Honestè acquisisti, de iustis laboribus plenam domum habes, non reprehendo, Tamen etiam sic non dices illas diuitias, nā si dicis illas diuitias amabis illas. Et si amaueris illas, peribis cū illis. Perde ne pereas, dona vt acquiras, semina vt metas. Has diuitias noli appellare, quia verę nō sūt: paupertate plenę sūt, & semper obnoxię casibus. Quales diuitię sūt, propter quas latronē times, propter quas times seruū tuū ne te occiso auferat et fugiat? Si veræ diuitię essēt securitatem tibi darent. Ergo illæ sunt veræ diuitiæ, quas cū habuerimus, perdere non possumus. Et ne fortè propter illas furem timeas, ibi erunt vbi nullus auferet. Audi Dominum tuum: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, quo fur non accedat.

Iob.1. *Matth. 6.*

cedat. Tunc erunt diuitiæ, quando eas migraueris. Quamdiu in terra sunt, diuitiæ non sunt, sed diuitias vocat illas mundus, iniquitas vocat Deus: ideo mammona iniquitatis, quia diuitias vocat iniquitatem. &c. [*Mammona verò iniquitatis,*] ideo à Domino appellata est ista pecunia quã possidemus ad tempus, quia mammona diuitiæ interpretantur. Nec sunt istæ diuitiæ nisi iniquis, qui in eis constituunt spem atque copiam beatitudinis suæ. A iustis verò cùm hæc possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt tamen illis diuitiæ nisi cælestes & spirituales, quibus indigentiam suam spiritaliter supplentes, exclusa egestate miseriæ, beatitudinis copia ditantur. De isto mammona iniquitatis, de diuitijs istis quas iniqui vocant diuitias, fac tibi amicos & prudens eris: comparas tibi, non fraudaris. Modo enim vi deris perdere. Nunquid perdes in thesaurario ponens? Nam pueri, fratres, vnde sibi emant nescio quid, simul inueniũt nummos, & ponunt in thesaurario, & non aperiunt nisi postea: nũquid quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? Noli timere. Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt: ponis in manus Christi, & times? Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cælo. Esto prudens ergo, imitare formicam, sicut dicit scriptura: Reconde æstate, ne esurias in hyeme. Hyés est dies nouissimus, dies tribulationis: Hyems est dies scandalorum & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit in posterum: [*Vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula.*] Cùm ergo serui Dei pij, dum iugiter Deo vacant, aliquotiens indigent, illi qui habent mundi diuitias, eleemosinas largiantur: Quomodo enim eos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur

Tomo. 4. Qu. Euan. lib. 2. cap. 34.

Tomo. 8. Psalm. 48

Prouer. 6. & 30.

Tomo. 10. 50. homil. Homilia. 18.

tur in vita æterna. [*Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.*] Quod minimũ est, minimũ est: sed in minimo fidelẽ esse, magnũ est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est & imago in disco, quæ in nummulo exiguo: Ita vbi parua iustè geruntur, non minuitur iustitiæ magnitudo. [*Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?*] [*Alienas*] vocat terrenas facultates, quia nemo eas secum moriens auferet. Hoc est quod dicit Dauid: ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm morietur non accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria eius. Cæterum dispendium magnum est, si Deum de Dei dono promereri nolueris, aut cùm tibi Dominus ad hoc dederit vt dispenses, eius delegata nõ serues. Semper enim sua Dominus tibi dispensanda interim commendauit, de re sua pauperibus te dare pręcepit. Cur dantis iussa contemnis? Cur pactum destituis? Cur Dominum iubentem dare nõ audis? Facilè enim poterit pecuniam acceptam amittere, qui quod acceperit, in lucrum noluerit erogare. [*Nemo seruus potest duobus Dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet.*] Quod ait: [*Aut vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet:*] Non sine consideratione sunt distinguenda. Non enim passim aut quasi temerè dicta sunt. Nemo enim interrogatus vtrum diligat diabolum, respondet se diligere, sed potiùs odisse. Deum autem se diligere omnes fere proclamant. Ergo aut vnum, [*odiet & alterum diliget,*] vt fieri debet: odiet scilicet diabo-

Tomo. 8. De Doct. Christian. li. 4. ca. 18

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 35

Psalm 48

Tomo. 10. De Temp. Serm. 76.

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 36

diabolū, diliget verò Deum. Quod verò adiunxit: [*aut alteri adhærebit, & alterum contemnet:*] Adhærebit scilicet diabolo, cùm quasi eius præmia temporalia sectatur, cōtemnet autem Deum. Non dixit, odiet, sed contemnet. Sicut solent misericordias eius postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate eius ad impunitatem sibi blandiuntur. Quibus per † Salomonem dicitur: Fili, ne adijcias peccatum super peccatum, & dicas: miseratio Dei magna est. [*Non potestis Deo seruire & mammonæ.*] Mammona apud hebræos diuitię appellari dicūtur: congruit & Punicum nomen, nam lucrū punicè mammon dicitur. Sed qui seruit mammonę, illi vtique seruit, qui rebus istis terrenis merito suæ peruersitatis præpositus, Magistratus huius sæculi à Domino dicitur. [*Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur,*] finis enim legis Christus est, in quo lex iustitiæ non consumitur, sed impletur. Omnis enim perfectio est in ipso, vltra quem non est quo se spes fidei & charitatis extendat, [*& omnis in illud vim facit.*] Non solum vt ista quisque contemnat, sed etiam linguas deridentium se talia contemnentem: Hic enim vi facta inuadit quodammodo, quasi prædator violentus, regna cælorum. Hoc enim subiunxit Euangelista, cùm dixisset derisum fuisse Iesum à Pharisæis, cùm de contēnendis terrenis diuitijs loqueretur. [*Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*] Quomodo mœchatur, nisi quia illa quam duxit, eo viuēte à quo dimissa

† Iesum filiū Sirach.

Eccle. 5.

Tomo. 4. De Ser. dñi in monte. lib. 2. P.

Tomo 3. De Vera Innoc. Sententia 190.

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 34

Tomo. 6. De Adult. Coniugis ad Pollētiū li. 1. ca. 12.

dimissa est, adhuc vxor aliena est? Si enim iam suę non alienæ miscetur vxori, vtique non mœchatur. Mœchatur autem, aliena est ergo cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est, eius à quo dimissa est, etiã si propter fornicationis caussam dimissa est, nondũ dimittentis vxor esse cessauit. Si autẽ illius esse cessauit, iã huius est cui alteri nupsit. Et si huius est, nõ mœchus iudicandus est, sed maritus. Sed quia non eũ maritũ dicit scriptura sed mœchũ, adhuc illa illius est à quo etiã causa fornicationis abiecta est. Et ideo quãcunque etiã ipse illa dimissa ducit vxorẽ, quia cũ alieno marito concũbit, adultera est. Vnde autẽ fieri potest, vt adulter etiã ipse non sit, cũ constat adulterare quã duxit?

Tomo.6. De bono Coniugali cap.7.

[*Obserua.*] Vsque adeo fœdus illud initũ nuptiale, cuiusdã sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritũ fiat: quandoquidẽ viuẽte viro à quo relicta est, mœchatur si alteri nupserit, & ille huius mali causa est qui reliquit, &c.

Tomo.3. De Genesi ad litterã li.9.ca.7

[*Nota.*] Bonũ nuptiarũ tripartitũ est: Fides, Proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cũ altera vel altero concumbatur. In prole, vt amãter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur.

Tomo.6. De Bono Coniugali cap.24.

Generationis causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: Volo (inquit) iuniores nubere. Et quasi ei diceretur: Vt quid? Continuo subiecit, filios procreare, matresfamiliâs esse.

1.Timo.5.

1.Cor.7.

Ad fidem autem castitatis illud pertinet: Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.

Ibidem.

Ad Sacramenti sanctitatem illud: Vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir vxorẽ

non

non dimittat. [*Homo quidam erat diues.*] Diues (inquit) erat, non dixit, calumniator, non dixit, pauperum oppressor, non dixit, rerum alienarũ raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum spoliator, non dixit viduarum persecutor. Nihil horum, sed, [*Erat quidem diues.*] Quid magnum est? Diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? An forte ille auferret, & Dominus de illo reticeret: & personam eius acciperet, si crimina eius absconderet, qui nobis dicit: nolite personaliter iudicare? Si vis ergo audire crimen diuitis illius, noli amplius quærere quàm audis à veritate. Diues erat, [*qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.*] Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam vlcerosus & non adiutus. Sequitur enim: [*Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis: & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.*] Hoc ergo apertè de illo dictum est, quod immisericors erat. &cæt. Aduertit sanctitas vestra fratres charissimi, & mecum vt arbitror tota mentis intẽtione prospexit, opulentiam diuitis, & indigentiam mendicãtis. Vnum cibis æstuantem, & alium fame deficientem. Ambo quidem homines, ambo carnales, ambo mortales: sed non ambo æquales. Natura vna, sed vita non vna. Nullus eorum à conditione mortis immunis, & tamen vnus epulatur splendidè, & alter in pannis & ærumna sordescit. Ille delicatis escis ad intentionem coquorum gaudebat, iste si caderent micæ de mensa eius expectabat. [*Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*] Sicut peccatoribus diuitibus nihil prosunt exequiæ sumptuosæ, ita nihil nocent aut viles, aut nullæ sanctorum pauperum

Tomo. 10. De Verbis Ap. Ser. 19

Ioan, 7.

Tomo. 10. De Verb. dñi Ser. 25

Tomo. 3. De Vera Innoc. sententia 89.

ſepulturę. [*Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno.*] Audiant nunc diuites qui nolunt eſſe miſericordes. Audiant, quia vna omnes naſcimur lege, vna viuimus luce, vnum ſpiramus aërem: vna quoque extinguimur morte, quæ ſi non intercederet, nec pauper ipſe duraret. Hic vlceroſus & nudus iacens Lazarus, ad Abrahæ ſinum Angelorũ portatur manibus: ecce diues refectus & ſplendidus, tartareo carcere clauditur. Vbi eſt veſtis illa byſſina? Vbi vita abundans & affluens copijs multis? Nonne morte omnia tranſeunt tanquam vmbra? Nihil intulimus in hunc mundum (dicit Apoſtolus) ſed nec quicquam auferre poſſumus. Superbia diuitem illum, qui ante ianuam ſuã iacentem contemnebat pauperem iuſtum, & ſpes in incerto diuitiarum, qua ſe propter purpuram, byſſum, & epulas ſplendidas beatum putabat, nõ ipſe diuitiæ, perduxerunt ad inferni tormenta. [*Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans, dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*] Deſiderat guttam, qui negauerat micam. Hæc ergo cogitent diuites qui facultatibus ſuis ſe redimere nolunt, ne ſimilia patiantur. Diues fuit ille de quo nunc loquimur. Sunt & hîc diuites ad quos nunc loquimur. Vnius ſunt nominis, caueant ne ſint vnius conditionis. Ergo inter diuitem purpuratum & Lazarum vlceroſum mutatæ ſunt vices. Diues perdidit quod habebat: pauper cœpit eſſe, quod non erat. Diues ille in ſeculo apothecas plenas reliquerat, & in inferno guttam ardens petebat, & impetrare nõ poterat. Attendite fratres. Totũ diuitis corpus flammis gehennæ conſumitur, & ſola lingua amplius

Tomo.10. De verb. dñi Ser.25

1.Timo.6.

Tomo.2. Epiſt. 89. Qu. hilarij Solutio. Queſt.3.

Tomo.10. De Temp. Serm. 227

amplius cruciatur. Ideo ſine dubio in lingua maiorem ſentit ardorem, quia per eam ſuperbè loquendo contemſerat pauperem. Ipſa enim lingua quæ noluerat dicere vt eleemoſina pauperi donaretur, grauius gehennæ flammis exuritur. Clamauit enim, & dixit: [*Pater Abraham, mitte Lazarum vt intingat digitum ſuum, & refrigeret linguam meam.*] O diues, qua fronte quæris guttam, qui noluiſti porrigere micam? Iuſtè nunc exigeres, ſi dediſſes. O mundi bona, apud inferos mala. Acceſſerunt ad ſeruitium diuitis ignes, & ad obſequiū ſæui tortores: patitur duros tartarorum miniſtros, torquetur & clamat: O iuſte & integer iudex, vel ſecundum peccata mea cōpenſentur ſupplicia iſta, vel contra ſpatia annorum meorū quibus habui bona mala recipiam, aut certè in duplū vel quadruplum: cur per tot milia annorum me teneri iubes in flamma? Peccatorum meorum ſum nexibus alligatus, ne fugiam: per momenta compungor, vt doleam. Sæuit in me ignis & non parcit, cruciat & reſeruat, nec totum eſt quod punit, cui ſæuum eſt quod ignoſcit. Poſt illas lamentabiles voces, potuit ei ſine dubio reſponderi: quid faciam tibi? Eleemoſinas non feciſti, quæ peccatorum tuorū pœnas extinguerent. Clamauit tibi ſcriptura & non audiſti, Propheta non tacuit, Apoſtolus prædicauit, Euangelium tonuit: annuntiatum eſt ſupplicium impiorum, iuſtorum pręmium eſt repromiſſum: Tu vmbras & nebulas ſeculi huius tenere te credens, diuina pręcepta (velut inanes fabulas) reſpuiſti. Interueniāt pro te pauperes, & quicquid petieris dono. Sed iuſto iudicio vicem tibi reddo: quia iudicium ſine miſericordia ei, qui nō *Iacob. 2.*
fecit miſericordiam. Non tibi poterit pręſtare iuſtitia mea, niſi quod merentur opera tua. Sine

causa, mortuus, in potestate aliena positus, clamas: qui eo tempore quo potuisti, cùm me videres in paupere, cœcus eras. Sequitur ergo: [*Et dixit ill. Abraham: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde hic transmeare.*] Pensantur pro diuitijs pœnæ, refrigeriũ pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, vt salua sit æquitas stateræ, & non mentitur modus illius mensuræ: in qua (inquit) mensi fueritis mensura, ita metietur vobis. Ideo negatur in pœnis misericordia diuiti, quia ipse dum viueret noluit misereri. Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si se inuicem supportarent: & nullus laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare: Dei est pro paruis magna pensare. De misericordia eius parua, magna nascitur copia. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper, per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui (quo es ligatus) compedem, in hac vita resolue, vt liberè ad cælum possis accedere. Abijce abs te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tedia quæ te pluribus annis inquietant. Da petenti, vt possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flammis exuri. Da in terra Christo, vt tibi reddat in cælo. Obliuiscere quod es, & attende quid futurus es. Præsens vita fragilis est,

Tomo. 10. De Verbis dñi Ser. 25

Mat. 7. & Luc. 6.

lis est & in mortē procliuis. Nemo potest stare, sed omnes coguntur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem aliquid ante nos mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus: quod autem rapimus, hìc totum dimittimus. Quisquis verò vis regnare cum Christo, elige pauperiem cum ipso, vt requiescas cum Lazaro mendico. Non enim potes gaudere cum seculo, & regnare cum Christo. Audi Apostolum dicentem: per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Et iuxta veritatis vocem, primo nos oportet bibere calicē Domini, vt sic pertingamus ad regni confessionem. Qui autē vult æpulari cum diuite, præparat se æpulas vermibus gehennæ, in qua pro gaudio momentaneo ardebit perpetuè cum capite suo diabolo. Infoelix commertium, pro tam breui gaudio, cælesti priuari regno. Foelix paupertas, per quā cælestis acquiritur hæreditas. Foelix commertium, pro perituris æterna recipere: & quod ineffabile bonū est, cum Christo sine fine regnare. Ecōtrario ineffabilis miseria, perpetua cum diabolo pati supplicia. [*Et ait, rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*] Iacebat diues & sepultus erat in inferno, & quid de fratribus suis esset ignorabat, & nesciebat omnino, & tamē curam de eis videbatur habere: sicut & nos viuētes de mortuis, quamuis quid agant, vtique nesciamus. [*Et ait illi Abraham: habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*] Dixerit aliquis: si nulla est mortuis cura de

Tomo. 9. De Contēp. mūdi ca. 7

Act. 14.

Matt. 20.

Tomo. 10. Ad Frat. in Here. Serm. 26.

Tomo. 4. De cu. pro Mort. gerēd. c. 14.

viuis,

viuis, quomodo ille diues qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem vt mitteret Lazarum ad quinque fratres suos nondum mortuos, & agat cum eis ne veniant & ipsi in eundem tormentorũ locum? Sed nunquid quia hoc ille diues dixit, ideo quid fratres agerent vel quid paterentur in illo tempore, sciuit? Ita illi fuit cura de viuis (quamuis quid agerent omninò nesciret) quemadmodnm est nobis cura de mortuis, quãuis quid agant vtique nesciamus. Nam si nihil de mortuis curaremus, non vtique pro illis Deo supplicaremus. Denique Abraham nec Lazarum misit, & Moysen & prophetas hic eos habere respondit, quos audire deberent, vt ad illa supplicia non venirent. Vbi rursus occurrit, quomodo quid hic ageretur Abraham pater nesciebat, vbi sciebat esse Moysen & prophetas, id est, libros eorum, quibus homines obediendo, tormenta inferni euitarent; vbi denique nouerat diuitem illum in delitijs, pauperem verò Lazarum in laboribus doloribusque vixisse. Nam & hoc illi ait: [*Memento fili, quia percepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala.*] Sciebat ergo hæc, quæ vtique apud viuos, non apud mortuos gesta fuerant. Verum non cùm agerentur in viuis, sed eis mortuis, potuit Lazaro indicante cognoscere. Ne falsum sit quod ait Propheta: Abraham nesciuit nos. *Esai. 63.*

Tome. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 38

Allegorica eiusdem Historiæ expositio.

PEr Allegoriam sic accipi possunt, vt in diuite intelligantur superbi Iudæorum, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. *Rom. 10.* [*Purpura & byssus,*] dignitas regni est. Et auferetur (inquit) à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. *Matt. 21.* [*Epulatio splendida,*] iactantia legis est, in qua gloriabantur, plus ad pompam ela-

tionis

tionis abutentes ea, quàm ad necessitatem salutis vtentes. Mendicus autem nomine Lazarus, qui interpretatur adiutus, significat indigentem, veluti Gentilem aliquem aut Publicanum, qui tanto magis adiuuatur, quanto minus de suarum copia facultatum præsumit. Tales erant illi duo qui orabant in templo, vnus Publicanus & alter Pharisæus. Diues ergo dicit, tanquam satiatus iustitia (Non inter illos beatos numerandus qui esuriunt & sitiunt iustitiam) Gratias tibi ago, quia nõ sum sicut Publicanus iste. Pauper autem qui se adiuuari desiderat, dicit: propitius esto mihi peccatori. Desiderat tamen saturari de micis, quæ cadunt de mensa diuitis, iacens ad ianuam: Non enim admittebatur ad epulas eius, qui nec bene illis vtebatur, nec egenti dabat: tanquam Scriba habens claues regni cælorum, nec ipse intrans, nec alios intrare permittens. Micæ cadentes de mensa diuitis, sunt quædam verba legis, quæ illi iactantes, quasi proijciebant in terram, cum superba populo loquerentur. Vlcera autem sunt confessiones peccatorũ, velut mali humores à visceribus intimis foras erumpentes. Canes qui ea lingebant, nequissimi homines sunt amantes peccata, qui lata lingua etiam laudare non cessant opera mala, quę in se alius gemens & confitens detestatur. [*Sinus Abrahæ*,] requies est beatorum pauperũ, quorũ est regnum cælorum, in quo post hanc vitã recipiuntur. [*Sepultura inferni*,] poenarum profunditas, quæ superbos & immisericordes post hanc vitam vorat: quos tamen Dominus in ista narratione dicit videre de longinquo atque sentire beatorum requiem, quo sane transire non possunt. Quod autem linguam sibi vult refrigerari, cùm in flamma vtique totus arderet, significat quod scrip-

Luc.18. *Matth. 5.* *Luc.18.* *Luc.11.* *Matth.5.*

Prouer.18 ſcriptum eſt:Mors & vita in manibus linguæ. Et
Rom. 10. quia ore confeſſio fit ad ſalutem, quod per ſuperbiam ille non fecit. [*Extremum* autem *digiti,*] vel minimam operationem miſericordiæ ſignificat, qua per Spiritum ſanctum ſubuenitur, Cùm autẽ ei dicitur: [*Recepiſt. bona in vita tua.*] Illud tangitur, quia foelicitatem dilexit ſeculi, nec aliam vitam præter iſtam, in qua ſuperbus tumebat, adamauit. Lazarum autẽ mala dicit recepiſſe, quia intellexit huius vitæ mortalitatem, labores, dolores, & erumnas, poenam eſſe peccati, de quo ſcriptum
Ephеſ. 2. eſt: fuimus & nos natulariter filij iræ ſicut & cæteri, de quo iterum ſcriptum eſt: nec infantẽ (cuius eſt vnius diei vita ſuper terram) mundum eſſe
Geneſ.3. à peccato. Quia omnes vtiq; in Adam morimur, qui factus eſt tranſgreſſione mortalis. Quod autẽ dicit, ad ea loca in quibus torquẽtur impij, iuſtos (etiam ſi velint) non poſſe tranſire: quid aliud ſignificat, niſi poſt hanc vitam, ita receptis in carcere, vt inde non exeant donec reddant nouiſſimũ quadrantem, per incommutabilitatem diuinæ ſententiæ nullum auxilium miſericordiæ poſſe præberi à iuſtis, etiã ſi velint illud præbere? Quo admonet, ſcilicet, vt in hac vita homines ſubueniant quibus poſſunt, ne poſtea (etiam ſi optimè recepti fuerint) eis quos diligunt opitulari non va
Luc. 16. leant. Illud enim quod ſcriptum eſt: vt & ipſi vos recipiant in æterna tabernacula, non de ſuperbis & immiſericordibus ſcriptum eſt (qualis iſte diues fuiſſe demonſtratur) quod recipi à Sanctis in illa tabernacula mereãtur: ſed de his qui ſibi amicos officioſiſſimis operibus miſericordię fecerũt: quanquã nec ipſos Iuſti velut propria poteſtate, quaſi gratificando recipiãt, ſed promiſſione atque promiſſione illius, qui eos cõſili o põnuit vt ſibi

ami-

amicos facerēt: & qui seipsum pasci, vestiri, hospi Matth. 25
cio recipi, visitari in vnoquoq; minimorū suorū
liberatoris bonitate dignatus est. Quanquā illa re
ceptio vtrum statim post istam vitam fiat, an in
fine seculi in resurrectione mortuorum atque vlti
ma retributione iudicij, non minima questio est:
sed quandolibet fiat, certè de talibus qualis ille
diues insinuatur, nulla scriptura fieri pollicetur.
[*Quinque autem fratres,*] quos habere se dicit in do-
mo patris sui, Iudęos significant. Appellati autē
sunt quinque, quia sub lege detinebantur quæ
per Moysen data est, qui libros quinque conscrip
sit. Quod verò Lazarum petit mitti ad fratres su- Ioan. 1.
os, sensit se vtique indignū qui testimonium per-
hibeat veritati. Et quia non impetrauerat paulu-
lū se refrigerari, multo minus credit se relaxari
posse ab inferis ad prædicationē veritatis. Quod
Abrahā dicit: si volunt credere, habent Moysen &
Prophetas, non istos Euangelio præposuit: sed
quia Euangelium (sicut dicit Apostolus) testimo-
niū habet à lege & Prophetis: illis credēdo, posse Rom. 3.
eos significat ad Euangelium peruenire. Sicut alio
loco ipse Dominus dicit: si crederetis Moysi, cre- Ioan. 5.
deretis & mihi, ille enim de me scripsit. Denique
ad hoc pertinet, quod etiā postea dicit: si Moysen
& prophetas non audiunt, neque si quis ex mor-
tuis resurrexerit credent: quia eum prænuntiaue-
runt Moyses & prophetæ qui surrexit à mortuis,
hoc ipsum etiā de illo quod resurrecturus esset à
mortuis: quibus nō credēdo, vtique nec Christo
volūt credere. Multo minus ergo cuilibet possunt
credere qui à mortuis resurgeret, quando ei non
credunt, cuius resurrectionē Moyses & prophetę Tomo. 4.
prædicauerunt, quibus credere nolunt. Aliter etiā Qu. Euan.
intelligi potest ista narratio: vt Lazarum, Dominū li. 2. ca. 38
signifi-

significare accipiamus, iacentem ad ianuam illius diuitis, quia se ad aures superbissimas Iudæorum, incarnationis humilitate deiecit, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & quærens ab eis vel minima opera iustitiæ, quę suæ mẽsæ (hoc est) suæ potestati per superbiã non vsurparent: quæ opera misericordiæ atque humilitatis, quamuis minima, & si non disciplina & perseuerantia vitæ bonæ, saltẽ interdum vel casu facerẽt, sicut micæ de mensa cadere solent. Vlcera, passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quam pro nobis suscipere dignatus est. Canes ergo qui ea lingebant, gentes sunt, quos homines peccatores & immundos dicebant Iudæi: & tamen passiones Domini in Sacramentis corporis & sanguinis eius per totũ iam orbem suauitate lambunt deuotissima. [*Sinus Abrahæ*] intelligitur secretũ patris, quo post passionem resurgens assumptus est Dominus, quo eum portatũ ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem qua in secretũ Patris abscessit, Angeli annuntiauerunt Discipulis intuẽtibus. Dicendo enim: quid statis aspicientes in cælum, quid aliud dixerunt, nisi, nullo modo posse oculos hominum vsq; in illud penetrare secretum quo ibat Dominus cùm in conspectu discipulorum ferretur in cælum. Iam cætera secundum superiorem expositionẽ accipi possunt, quia secretũ Patris benè intelligitur vbi etiã iustorum animæ ante resurrectionẽ viuunt cum Deo: Tanto enim verius vbique est Deus, quanto nullo continetur loco. Sicut & latroni dictũ est: hodie mecum eris in paradiso, vnde nunquam recessit Dei filius, quamuis ab hominibus per susceptam carnem in ciuitate Iudæorum tanta pateretur.

Act. 1.

Ibidem.

Luc. 23.

ARGV-

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI SEPTIMI.

Cauendum à scandalo, fratri condonandum, fides habenda, & vtiliter seruiendum decem mundatis leprosis, diem iudicij monet expectandum.

CAPVT XVII.

ET *ait ad Discipulos suos: impoßibile est vt non veniāt scandala.*] Scandala futura prædicta sunt, vt inter inimicos erudiamur, ac sic & fides & dilectio nostra possit esse probatior: fides vtique ne ab eis decipiamur: dilectio autem, vt etiam ipsis corrigendis quantum possum^9 consulamus. [*Væ autem illi per quem veniunt.*] Si has Domini comminationes religioso corde metuimus & reueremur, plus de alijs quàm de nobis extimescamus periculum nostrum, qui mutuis (testāte Apostolo Paulo) vtilitatibus obligamur: non quę sua, inquit, singuli cogitantes, sed aliorū. Et iterum: nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Prouidendum ergo est, ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatum in te redundet. [*Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare,*] Id est, Congruit ei vt cupiditas rerum temporalium, cui stulti & cæci colligātur, eum deuinctum pondere suo deducat ad interitum, [*quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.*] Id est, ex humilibus, quales vult esse discipulos suos, non obtemperando, vel etiam contraueniendo, sicut

Tomo. 2. Epist. 50. ad Boni. Comitem.
Tomo. 4. De Singul. Cler. ca. 8
Philip. 2.
1. Cor. 10.
Tomo. 9. De Cogn. Ver. vita.
Tomo. 4. Qu. Euan. li. 1. ca. 24
Matth. 11. & 18.
2. Tim. 4.

ſicut de Alexandro ærario Apoſtolus dicit. [Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & ſi
Tomo.10. pœnitentiam egerit, dimitte illi.] Hoc loco, [fratrem,]
De Temp. omnẽ hominem debemus accipere. Adam enim
Ser.61.& & Euam attendamus, & omnes fratres ſumus. Et
239. ſi quidem fratres ſecundum quod homines ſu-
Tomo. 9. mus, quanto magis ſecundum quod Chriſtiani ſu-
col. 910. mus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam,
Geneſ. 4. vna mater Eua. Ad id quod Chriſtianus es, vnus pater eſt Deus, vna mater Eccleſia. [Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens:
Tomo.11. pœnitet me, dimitte illi.] Non enim poteſt peccator
De Temp. miſericordiam à Deo ſperare, qui non facit miſe-
Serm.203 ricordiã peccantibus in ſe. Ergo dimittat homo debitum temporale, vt mereatur recipere æternale bonum. Si animas noſtras cupimus peccatorum ſordibus emundari, miſericordiã in nos peccantibus non negemus: vt in die retributionis ad Dei miſericordiã promerendam, miſericordiæ operibus adiuuemur. Quomodo verò miſericordiã à Deo expectat vel ſperat, qui crudelis eſt in conſeruos ſuos? Sicut quis cupiat Deum ſibi miſereri, ita & miſereatur debitorib⁹ ſuis. Certiſſimè enim indulgentiam ſperare poterit, qui alijs indulgere nouit. [Et dixerunt Apoſtoli Domino: adauge nobis fi-
Tomo.4. dem.] Quod dixerunt Diſcipuli: [Domine, adauge
Qu. Euan. nobis fidem,] poteſt quidem intelligi hanc fidem ſi-
li.2.ca.39 bi augeri poſtulaſſe, qua creduntur ea quæ non videntur: ſed tamen dicitur etiã fides rerũ, quando non verbis ſed rebus ipſis præſentibus creditur quod futurum eſt: cùm iam per ſpeciẽ manifeſtam ſe contemplandam præbebit ſanctis ipſa
Pſal.103. Dei ſapientia, per quam facta ſunt omnia. De qua fide rerum, luciſque illius præſentatæ, forſitan Paulus Apoſtol⁹ dicit: iuſtitia enim Dei reuelatur

ex

ex fide in fidem. Dicit enim & alio loco: nos autẽ Rom.1.
reuelata facie gloriam Domini speculantes, in e- 2.Corin.3
andem imaginem transformamur de gloria in
gloriam, tanquã à Domini spiritu. Sicut enim hic
ait: de gloria in gloriam: ita & ibi, de fide in fidẽ.
De gloria scilicet Euangelij, quo nunc credentes
illuminantur, in gloriã ipsius incommutabilis &
manifestæ veritatis, qua tunc commutati perfruentur: ita ex fide verborũ, quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fide rerum, qua in æternum quod nunc credimus obtinebimus. Secundum sententiã hanc, etiam illud est quod dictum est à Ioanne, in Epistola ad Parthos: dilectissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit 1.Ioan.3.
quid erimus: scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Vnde enim nunc filij Dei sumus, nisi quia potestatẽ dedit nobis filios Dei fieri, credentibus in nomine eius: vt videamus in ænigmate? Vnde autẽ tũc Ioan.1.
similes ei erimus, nisi, quoniam (vt ipse ait) vide- 1.Cor.13.
bimus eum sicuti est. Quod etiam dictũ est, tunc autem facie ad faciem. Illã ergo fidem presentissimæ veritatis, plerisque non intelligentibus, videri potuit Dominus discipulis suis, non ad id quod petiuerant, respondisse. Cùm enim dixissent, [*Domine adauge nobis fidem,*] [*Dixit Dominus: si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis.*] Deinde sequitur, [*Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues, cui regresso de agro, dicit illi statim: transi, recumbe: et non dicit ei: para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Nõ puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*] Quid

haec pertineant ad id quod dictum est: [Domine adauge nobis fidem,] difficilè apparet, nisi intelligam ex fide in fidem. Id est, ex fide ista qua ministratur Deo, in illam fidē eos significasse transferendos vbi fruantur Deo. Augebitur enim fides, cum primo verbis prædicantibus, deinde rebus apparentibus creditur. Sed illa contemplatio summā quietem habet, quæ in æterno Dei regno tribuitur. Summa verò quies illa præmium est iustorū laborū, qui in Ecclesiæ ministratione peraguntur. Et ideo quamuis in agro aret seruus, aut pascat boues, hoc est, in vita seculari vel terrena verset negotia, vel stultis hominibus (tanquam pecoribus) seruiat, vt opus est, vt post illos labores domum veniat, hoc est, Ecclesiæ societur, laboret etiam ibi ministrans Domino suo donec manducet & bibat: nam & esuriens ille quæsiuit poma in arbore, & à Samaritana aquam sitiens postulauit. Manducet ergo & bibat confessionē & fidē Gentium, ministrantibus, hoc est, Euangelizantibus seruis suis. Quo pertinet etiam illud, quod de grano sinapis eis primo respondit, prius illos fidē habere debere præsenti vitæ necessariam, quæ minima videtur, quamdiu thesaurus est in vasis fictilibus, sed vi maxima efferuet & germinat Dominus noster Iesus Christus, qui vult pasci ministerio seruorum suorum, hoc est, in corpus suum, quasi mactatos & manducatos transferre credentes: etiam hic pascit eos sacramento passionis suæ, & verbo fidei. Non enim venit ministrari, sed ministrare. Dicant ergo illi serui per sinapis granum huic arbori moro, hoc est ipsi Euangelio crucis Dominicæ per poma sanguinea, tanquā vulnera in ligno pendentia, victum populis præbituræ. Dicant ergo illi, vt eradicetur de perfidia Iudæorum,

Rom. 1.
Marc. 11.
Ioan. 4.
2. Cor. 4.
Matt. 20.

rum, & in mare Gentium transferatur atq; plantetur: hac enim domestica seruitute esurienti & sitienti Domino ministrabunt. Tunc demũ quærant escis incorruptibilibus in æternum diuinæ sapientiæ perfrui, cùm dixerint: [*serui superuacui sumus: quod debuimus facere, fecimus.*] Nihil nobis operis restat, cursum consummauimus, agonẽ perfecimus, superest nobis corona iustitiæ. Omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, & tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid dignè dici potest. Nam & lux est illuminatorum, & requies exercitatorum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vincentium : & quæcunque bona temporaliter transeuntia, per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in creatore omniũ simul inuentura est pietas filiorũ. 2.Timo.4
[*Et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galileam, & cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voca magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: nonne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriã Deo, nisi hic aliemgena. Et ait illi, surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.*] In decem Leprosis quos Dominus ita mundauit, cùm ait: [*Ite ostendite vos Sacerdotibus:*] multa quæri possunt, quæ meritò quærentes mouent. Non solũ de numero, quid sibi velit quod decem sunt, sed quod vnus ex illis solus gratias egit: hæc enim liberè quæruntur, vt etiã non inuestigata, vel nihil, vel non multum impediant inten- Tomo.4. Qu. Euan. li.2.ca.4.

tionē legentis: ſed illa potiùs, cur eos ad Sacerdotes miſerit, vt cùm irent mundarētur. Nullum enim eorum quibus hæc corporalia beneficia præſtitit, inuenitur miſiſſe ad Sacerdotes, niſi leproſos. Nā & illū à lepra mundauerat, cui dixit: vade, & oſtende te Sacerdotibus, & offer pro te ſacrificiū quod præcepit Moyſes, in teſtimoniū illis. Deinde qualis mundatio ſpiritalis poſſit intelligi eorū quos ingratos extitiſſe redarguit. Secundū corpus enim facilè eſt videre, poſſe hominē non habere lepram, & tamen animi eſſe non boni. Secundum ſignificationē autem huius miraculi, conturbat conſiderantē, quomodo mundus dici poteſt ingratus. Quærendū igitur eſt quid ipſa lepra ſignificet, Non enim ſanati, ſed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium eſt, non valetudinis, aut integritatis ſenſuum atque membrorum. Leproſi ergo non abſurdè intelligi poſſunt, qui ſcientiā veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abſcondunt imperitiam ſuā, ſed pro ſumma peritia proferunt in lucem, & iactantia ſermonis oſtentant. Nulla porro falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergo falſis inordinatè permixta in vna diſputatione vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparētia, ſignificant lepram, tanquā veris falſiſque colorum fucis humana corpora variantē atque maculantē. Hi autem tam vitandi ſunt Eccleſiæ, vt (ſi fieri poteſt) longius remoti, magno clamore, Chriſtum interpellent. Sicut iſti decem ſteterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: [*Ieſu præceptor miſerere noſtri.*] Nam quod præceptorem vocant, quo nomine neſcio vtrum quiſquam Dominum interpellauerit pro medicina corporali, ſatis puto ſignifi-

Luc. 5.
Leuit. 14

ſignificare lepram falſam eſſe doctrinam, quam bonus præceptor abſterget. Sacerdotium verò Iudæorum nemo fere fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri Sacerdotij regalis, quid eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi & veri principis ſacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc Regibus tantùm & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus, ad chriſtianum populum ſcribens: Regale Sacerdotium: Vtrunque nomen illi populo conuenire declarauit, quo illa vnctio pertinebat. Cætera itaque vitia, tanquam valetudinis & quaſi membrorum animæ atque ſenſuum, per ſeipſum interiùs in conſcientia & intellectu Dominus ſanat & corrigit. Doctrina verò vel imbuendi per ſacramenta, vel cathechizandi per ſermonē ſanātem atque lectionē, vbi color quidam intelligitur verus atque ſincerus, quia in promptu eſt & foris eminentiſſimus: non enim in occultis cogitationibus, ſed in manifeſtis operationibus hęc quę aguntur Eccleſiæ propriè contributa ſunt. Itaque & Paulus voce Domini audita, quid me perſequeris? Et ego ſum Ieſus quem tu perſequeris, ad Ananiam tamē miſſus eſt, vt illo Sacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum eſt, ſacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color. Non quia non poteſt per ſeipſum Dominus omnia facere, nam quis alius hæc facit, etiam in Eccleſia? Sed vt ipſa ſocietas congregatorum fidelium, approbando inuicem atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel ſignantur Sacramentis, tanquā vnam ſpeciem veri coloris obducat. Ad hoc etiā pertinet quod idem dicit Apoſtolus: deinde poſt annos quatuordecim aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba,

1. Petri 2. *1. Petri. 2.* *Act. 9.* *Galat. 2.*

Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & exposui cum eis Euangeliũ quod prædico Gentibus. Seorsum autem his qui videbãtur aliquid, ne fortè in vacuum curro aut
Galat. 2. cucurri. Et paulò post: cùm cognouissent (inquit) gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Petrus, & Ioannes (qui videbantur columnę esse) dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Ipsa enim collatio, vnam doctrinæ speciem, exclusa omni varietate, monstrabat. Quod salubriter etiam Corin-
1. Cor. 1. thios monet dicens: obsecro autem vos fratres,
Act. 10. per nomẽ Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes. Cornelius etiam, cùm eleemosinæ eius acceptæ, & præces eius auditæ illi ab Angelo nuntiarentur, propter doctrinæ tamen Sacramentorumque vnitatem ad Petrum iubetur mittere, tanquã illi & suis diceretur: [*Ite ostendite vos Sacerdotibus.*] Nam cùm irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto Baptismatis Sacramento, nondum spiritaliter ad Sacerdotes peruenerunt, & tamen infusi-
Ibidem. one Spiritus sancti, & linguarum administratione, eorũ mundatio declarata est. Quæ cùm ita se habeant, iam facilè est etiam illud videre, fieri posse, vt quisque in Ecclesiæ societate doctrinã integrám veramque assequatur, & omnia secundum catholicæ fidei regulã edisceret: distinguat à creatore creaturã, eoque manifestetur varietate mẽdaciorũ tanquam lepra caruisse. Et tamen ingratus sit Domino Deo mundatori suo, qui elatus superbia, gratiarũ agendarum pia humilitate non subditur, similisque efficitur illis, de quibus dicit
Rom. 1. Apostolus: qui cùm cognouissent Deum, non vt Deũ magnificauerunt, aut gratias egerunt. Quod enim dicit eos, Deũ cognouisse, ostendit quidem

à lepra

à lepra fuiſſe mundatos, ſed tamen ſtatim accuſat ingratos. Ideoq; tales ingratos, in nouenario numero, tanquã imperfecti remanebunt. Vnũ enim ſi addatur ad nouem, quædã effigies vnitatis impletur, quo fit tanta completio, vt vltra iã non progrediatur numerus, niſi rurſus ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula cuſtodiatur. Nouẽ itaque indigent vno, vt quadã vnitatis forma coagulentur vt decem ſint: vnum autem non eis indiget vt cuſtodiat vnitatẽ. Quamobrẽ vt illi nouẽ, qui gratias non egerunt: reprobi effecti, à conſortio vnitatis excluſi ſunt: ita vnus ille qui gratias egit, vnicæ Eccleſiæ ſignificatione approbatus atque laudatus eſt. Et quia illi erant Iudæi, amiſiſſe per ſuperbiã declarati ſunt regnũ cælorum, vbi maximè vnitas cuſtoditur. Iſte verò qui erat Samaritanus, quod interpretatur cuſtos, illi à quo accepit tribuens quod accepit, & quodammodo illud cantans è pſalmo: fortitudinem meã ad te cuſtodiã: per gratiarum actionem Regi ſubiectus, humilitatem regni, humili deuotione ſeruauit. *Pſalm. 58.* [*Interrogatus autem a Phariſæis, quando venit regnum Dei, respondens eis, dixit: non veniet regnum Dei cum obſeruatione, neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*] Quia nimirum in Deo conſiſtentes, eum in nobiſipſis, & in omni cueatura, & extra omnẽ creaturã ſicut eſt cernimus. Idcirco autem nunc extra Deum, vel extra regnum cælorũ dicimur, quia hac viſione priuamur. *Tomo. 9. De Cognit. veræ vitæ. ca. 44* [*Et ait ad Diſcipulos ſuos: Venient dies quando deſideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis, & dicent vobis: ecce hic, ecce illic: nolite ire, neq; ſectemini.*] De ſecũda præſentia ſuę glorię dicẽs, propter Pſeudochriſtos, & ꝓpter falſos ꝓphetas propter Antichriſtũ ne aliquis errore pręuẽtus in falſos incidat Chriſtos, quoniã Chriſti Sal- *Tomo. 10. De Temp. Serm. 13.*

uatoris aduentũ prȩueniet antichristus. Ideo solli citè prȩcauendũ est, ne quis pastorẽ quæ[r]ens, lupum inueniat. Ob hoc prædico tibi, vnde [c]ignoscas veri pastoris aduentum. Nam quia primus aduentus eius latenter factus est, ne † existimes quoniam secundus aduentus eius talis erit, hoc dedit signum. Hæc enim fuit voluntas eius, vt primus aduentus latenter fieret, & quæreret quod perierat. Secundus verò aduentus, non ita simpliciter, ait enim: [*Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua.*] Subitò õnibus apparebit, nec erit indigens quisquã interrogare, siue hic, siue illic est Christus. Quemadmodum enim cùm fulgur emicuerit, non egemus interrogare si facta sit coruscatio: ita cùm reuelatio præsentiæ eius effulserit, non indigebimus interrogare, an venerit Christus. [*Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in Arcam, & venit diluuiũ & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth. Edebãt & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabãt: qua die autem èxijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit. Secundũ hæc erit qua die filius hominis reuelabitur.*] Quid ergo? Omnes peribũt qui ista faciunt, qui nubunt, qui vxores ducũt, qui nouellant, qui ædificant? Non. Sed qui de his prȩsumũt, sed qui ista Deo præferunt, sed qui propter hæc offendere Deum cito parati sunt. At verò qui istis inanibus omnibus aut non vtuntur, aut vtuntur tanquam non vtentes, plus præsumentes de illo qui dedit, quàm de his quæ data sunt, & intelligentes in his eius consolationem & misericordiam, & non sunt occupati donis, ne à donatore ruant: qui

Margin notes: † esti- mes. | Luc. 19. | Tomo. 8. | Psal. 120. | 1. Corin. 7.

ruant: qui tales sunt, non illos inuenit imparatos hora illa sicut fur: talibus dixit Apostolus: vos autem non estis in tenebris, vt dies ille vos tanquam fur cōprehendat: ōnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. [*In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa.*] Quid est quod dicit Dominus? [*Qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, non descendat tollere illa.*] In tecto est, qui excedens carnalia, tanquā in aura libera, spiritaliter viuit. Vasa eius in domo, sunt sensus carnales, quibus ad inuestigandam veritatē (quæ intellectu capitur) multi vtentes, penitus errauerunt. Huius ergo spiritalis viri, iam ista vasa vacant in domo: quia mente corpori supereminens per aciem intelligentiæ, tanquā in tecto positus, perspicuitate sapientiæ, veluti cælo apertissimo fruitur. Caueat ergo iste, ne in die tribulationis, rursus vita carnali (quæ per sensus corporis pascitur) delectatus, ad vasa huiusmodi tollenda descendat. [*Et qui in agro, similiter non redeat retro.*] Id est, qui operatur in Ecclesia, sicut Paulus & Apollo, plantat & rigat, non respiciat spem secularem, cui renunciauit. [*Memores estote vxoris Loth.*] Quæ in via, iam liberata de Sodomis, retro respexit. Vbi respexit, ibi remansit: facta est statua salis vt condiat te. Exemplo enim tibi data est, vt tu cor habeas, non remaneas fatuus in via. Attende remanentē & trāsi, attēde retro respicientē, & tu in anteriora extētus esto sicut Paulus. Vt quid enim in statuā salis versa est, si non homines condit vt sapiant? Ergo exemplū eius malum, tibi fit bonum si caueris. [*Mementote* (inquit) *vxoris Loth.*] Respexit enim retro vnde liberata erat à Sodomis, & inde remansit vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios cōditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vi-

Mat.24. *1.Thess.5.* *Tomo.4. Qu. Euan. lib.2.cap.41.* *Ibidē cap. 42.* *Tomo. 8. Psalm.69 & .83.* *Genes.19.* *Philip.3.* *Genes.19.*

tæ, non respiciamus retro. Nam hoc festinare est, non attendere quod promisit Deus, quia longè est, & respicere ad id quod proximum est, vnde
2.Petr. 2. iam liberatus es. De talibus quid dicit Apostolus Petrus? Contigit illis res veri prouerbij: canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum accepta indulgentia qua si vomuisset, & reuelatũ est peccatum tuũ: facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? Vnusquisque enim fratres charissimi, de loco itineris sui, ad quẽ proficiẽdo peruenit, & quẽ vouit Deo, inde respicit retro, cùm idipsum dimiserit. Verbi gratia. Statuit castitatem coniugalẽ seruare, inde enim incipit iustitia, recessit à fornicationibus, & ab illa illicita immunditia: quando se ad fornicationes conuerterit, retro respexit. Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, statuit nec nuptias pati: qui non damnaretur si duxisset vxorem: post votum quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur, cùm hoc faciat quod ille qui nó promiserat, tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare? Nisi quia iste respexit retro? Iam enim ille ante erat, iste autem illuc nondum peruene-
1.Corin.7 rat Sic virgo, quæ si nuberet non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retro de loco quo accesserat. Sic quibus placet relicta omni spe seculari, & omni actione terrena, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, vbi non dicit a-
Act.2. & 4. liquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est eis anima vna & cor vnum in Deum: quisquis inde recedere voluerit, nó talis habetur, qualis ille qui non intrauit. Ille enim nondum ac

cessit,

cessit, iste retro respexit. Qua propter charissimi, quomodo quisque potest, vouete & reddite Domino Deo vestro quod quisque potuerit: nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo auertatur ab eo quod ante est, ad id quod retro est, currat donec perueniat. [*Obserua.*] Significauit vxor Loth, eos qui in tribulatione retro aspiciunt, & se à spe diuinæ promissionis auertũt. Et ideo statua salis facta est, vt admonendo homines ne hoc faciant, tanquam condiat cor eorum ne sint fatui. [*Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, viuificabit eam.*] Hoc præceptum non ad id valet, vt se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est: & tamẽ valet vt interimat in se carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ, præsens vita delectat. [*Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in vnũ, vna assumetur, & altera relinquetur. Duo in agro, vnus assumetur. & alter relinquetur: respondentes dicũt illi: vbi Domine? Qui dixit illis: vbicũque fuerit corpus, illuc congregabũtur & aquilæ.*] Qui sunt in illa nocte, duo in lecto, duę molentes in vnum, & duo in agro: de quibus omnibus binis singuli assumentur, & singuli relinquentur? Tria genera hominum hic videntur significari: vnum eorum, qui ocium & quietem eligunt, neque negotijs secularibus, neque negotijs Ecclesiasticis occupati, quæ eorum quies, lecti nomine significata est. Alterum, eorum qui in plebibus cõstituti regũtur à doctoribus, agentes ea quæ sunt huius seculi, quos & fœminarum nomine significauit, quia consilijs (vt dixi) peritorum regi eis expedit: & molentes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, quas tamen in vnum molentes dixit, in quantum de ipsis rebus & nego-

Psalm. 75

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 43

Genes. 19.

Tomo. 2. Episto. 38

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 44.

1.

2.

3. & negotijs suis præbent Ecclesiæ. Tertiũ, eorum qui operãtur in Ecclesię ministerio, tãquã in agro
1. Corin. 3 Dei. De qua agricultura Apostolus loquitur: in his ergo tribus generibus, bina sunt rursus genera hominum in singulis, & pro robore suarum viarũ discernũtur. Cùm enim omnes ad Ecclesiæ membra pertinere videantur, adueniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui sunt in otio, & ex illis qui sunt in negotijs seculi, & ex illis qui Deo ministrant in Ecclesia, aliqui permanẽt, aliqui cadunt. Qui permanent assumuntur, qui cadunt relinquuntur. Ergo vnus assumetur, & vnus relinquetur. Non quasi de duobus hominibus dictũ est, sed de duobus generibus affectionũ, in singulis generibus triũ professionũ. In illa ergo nocte, dixit, in illa tribulatione. Ad ipsa tria genera quæ assumuntur, pertinere arbitror etiam illa tria nomina virorũ sanctorũ, quos solos liberandos Ezechiel Propheta pronũciat: Noe, Daniel &
Ezech. 14 Iob. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Ecclesia regitur, sicut per illũ in aquis arca guber-
Genes. 7. nata est, quæ figurã gestabat Ecclesiæ. Daniel autẽ,
Dan. 1. qui elegit cælibẽ vitã, id est, nuptias terrenas con-
1. Cor. 7. tẽsit, vt (sicut dicit Apostolus) sine sollicitudine viueret cogitãs quæ sunt Dei: genus eorũ significat qui sunt in ocio, sed tamẽ fortissimi in tẽtationibus, vt possint assumi. Iob autẽ, quia vxorẽ & fi-
Iob. 1. lios habuit, & amplas terrenarũ rerũ copias, ad illud genus pertinet, cui molẽdinũ deputatum est. Sed tamẽ vt sint fortissimi in tẽtationibus, sicut ille fuit: non enim aliter assumi poterunt. Nec puto esse alia genera hominum quibus cõstat Ecclesia, quã ista tria habẽtia binas differẽtias, propter assumptionem & relictionem: quamuis in singulis multæ studiorum voluntatumque diuersitates,

ad con-

ad concordiam tamen vnitatemque concurrentes, possunt inueniri.

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI OCTAVI.

Continuam ac humilem sub iudicis tyranni, atque Pharisæi & publicani Parabolis docet orationē: sub paruulorū simplicitate humilitatē, sub principe potente quid faciendum vt vitam æternam habeas: ac cæcum illuminans, prædicit suam paßionem.

CAPVT. XVIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem nō reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad illum, dicens: vindica me de aduersario meo, Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: & si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia mihi molesta est hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouißimo veniens sugillet me.] Quantum præ cæteris viduæ debeant vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suspiciendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum. &c. [*Ait autem Dominus: audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in*

Tomo. 2. Epist. 121 De orādo Deum ad Probam. cap. 16.

Ibidē. ca.8 *bit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.*] Mi-
Matth. 6. rum videri poteſt, quamuis multiloquium prohibuerit, cur nos ſic orare adhortatus ſit, qui nouit quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo, vt diceret: [*Oportet ſemper orare & non deficere.*] Viduæ cuiuſdam propoſito exemplo, quę de ſuo aduerſario cupiens vindicari. Iudicem iniquum ſæpè interpellando flexit ad audiendum, non iuſtitia vel miſericordia permotum, ſed tædio ſuperatum: vt hinc admoneremur, quam certius nos exaudiat miſericors & iuſtus Dominus
Pſalm. Deus ſine intermiſſione orantes, quando illa nec ab iniquo & impio iudice potuit aſſidua interpellatione contemni. Et quam libens atque placatus, bona deſideria impleat, eorū, à quibus aliena peccata nouit ignoſci: ſi quo cupiebat illa peruenit, quæ voluit vindicari. Quid eſt autem quod ad
Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 45 ſemper orandum & non deficiendum, de iudice iniquo voluit parabolam ponere? Qui cùm Deum non timeret, & hominem non reuereretur: viduę tamen aſſiduis interpellationibus ceſſit, vt eam vindicaret, ne ſibi ab illa tædium fieret. Nam hoc eſt quod ait: [*ne veniens ſugillet me.*] Quoniam parabolas Dominus, aut ſecundum ſimilitudinem
Mat. 18. aliquam ponit: ſicut de ſeruo illo, cui Dominus dimiſit, quod ratione reddita debere inuētus eſt, & ipſe conſeruo ſuo dilationem ſaltem dare no-
Luc. 7. luit. Et de fœneratore, qui cùm duobus debitoribus donaſſet quod debebant, ab eo plus dilectus eſt cui plus donauit. Et de homine qui habebat duos filios, maiorem in agro ſibi propinquantem,
Luc. 15. minorem autē in longinquo luxuriantem. Et innumerabilia huiuſmodi. De his enim in quantum ſimilia ſunt, ducitur intellectus eius rei cui adhibetur, ad myſterium inſinuandæ aut requirendæ veritatis:

veritatis: aut ex ipſa diſſimilitudine aliquid probat, veluti eſt illud: Quod ſi fœnũ agri quod hodie eſt, et cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei? Ad hoc genus pertinet etiam illud, quod de ſeruo ait cui dominus denunciauerat vt à villicatu remoueretur: fraudem quippe ille fecit domino ſuo, vt falſatis chirographis, debitoribus eius, quãtum commodum viſum eſt, relaxaret. Neque vllo modo nos dominus vt ſibi fraudẽ faciamus hortatur: ſed ſi fraudando quaſi prouidit in poſterum laudatum eum dicit à domino, quanto maiore alacritate ſibi prouidere debent in eternam vitam, quibus vt bene operentur iubetur de mammona iniquitatis? quod ſuo loco expoſitum eſt. Ad hoc genus pertinet & ille, qui non propter amicitiam, ſed vt tædio careret iam dormiens excitatur, vt tres panes commodet amico ſuo. Si enim ille moleſtia compulſus dedit, quantò magis Deus, qui ſeruos ſuos diligens, vt petamus hortatur, dabit bona petentibus ſe? Itaque illud ſuperius genus his verbis adiungi poteſt, ſicut illud, ita & illud. Hoc autem poſterius, his verbis: Si illud, quanto magis illud? Aut, ſi non illud, quanto minus illud. Sed alicubi apertè, alicubi obſcurè iſta ponuntur. Hic ergo iniquus iudex non ex ſimilitudine, ſed ex diſſimilitudine adhibitus eſt, vt oſtenderet dominus quanto certiores eſſe debeant, qui Deum perſeueranter rogãt, fontem iuſtitiæ & miſericordiæ, vel ſi quid excellentius dici aut audiri poteſt, cùm apud iniquiſſimum iudicem vſque ad effectum implendi deſiderij valuerit perſeuerantia deprecantis. Ipſa verò vidua poteſt habere ſimilitudinem Eccleſiæ, quod deſolata videtur donec veniat Dominus, qui tamen in ſecreto etiam nunc

Matth. 6.

Luc. 16.

Luc. 11.

curã eius gerit. Si autẽ mouet cur electi Dei se vin
Apoc.6. dicari deprecentur, quod etiã in Apocalypsi Ioã-
Matth. 5. nis de martyribus dicitur, cũ apertissimè monea-
mur vt pro nostris inimicis & persecutoribus ore
mus. Intelligendũ est eã vindictã esse iustorũ, vt
omnes mali pereant. Pereunt autem duobus mo-
dis, aut cõuersione ad iustitiã, aut amissa per sup-
plicium potestate, qua nunc aduersus bonos (quã
diu hoc ipsum bonis expedit) vel tẽporaliter ali-
Matth.5. quid valent. Itaq; etiã si omnes homines conuer-
terentur ad Deũ (inter quos sunt etiã inimici pro
quibus iubemur orare) diabolus tamen, qui opera
tur in filijs diffidentiæ, remaneret in seculi finem
damnandus. Quem finẽ iusti cũ venire desiderant,
Tomo. 10. quãuis pro inimicis suis orẽt, tamen non absurdè
De verbis vindictã desiderare dicuntur. Sed quæ ad orandũ
dñi, ser. 36 maior hortatio, quã vt nobis de iudice iniquo pro
poneretur similitudo? Iudex enim iniqu⁹ nec deũ
timẽs, nec hominẽ reuerens, audiuit tamen viduã
interpellantẽ se, victus tædio, non pietate inclina-
tus. Si ergo exaudiuit, qui oderat quòd rogaba-
tur: quomodo nõ audit, qui vt rogemus hortatur?
Cùm ergo nobis ista econtraria cõparatione do-
minus suaderet, [*quia oportet semper orare, & nõ deficere.*]
Adiecit, & ait: [*Veruntamen filius hominis veniens, puta*
inueniet fidem in terra?] Si fides deficit, oratio perit.
Quis enim orat qui non credit? Vnde & beatus A-
Rom.10. postolus, cũ ad orandum exhortaretur, ait: Omnis
quicunque inuocauerit nomẽ domini saluus erit.
Et vt ostenderet fidem esse fontem orationis, nec
posse ire riuũ vbi caput aquæ siccaretur, adiunxit
Ibidem. atque ait: Quomodo autẽ inuocabũt, in quẽ non
crediderunt? Ergo vt oremus, credamus: & vt ipsa
non deficiat fides qua oramus, oremus. Fides fun-
dit orationẽ, fusa oratio fidei impetrat firmitatẽ.
Etenim

Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea dominus ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quid est in tentationē intrare, nisi à fide exire? Intantū enim tentatio proficit, inquantū fides deficit: et intantū tentatio deficit, inquantum fides proficit. Nam vt apertius nouerit charitas vestra, de fide ne deficeret & periret dixisse dominum: Vigilate & orate, ne intretis in tentationē, eo loco Euangelium ait: Hac nocte postulauit satanas vexare vos sicut triticum, & ego rogaui patrem pro vobis ne deficiat fides vestra. Rogat qui tuetur, & non rogat qui periclitatur? Quod autem ait dominus: [*Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra?*] De fide dixit quæ perfecta est: Ipsa enim vix inuenitur in terra. Ecce plena est Dei Ecclesia. Quis huc accederet, si nulla esset fides? Quis non montes transferret, si plena esset fides? Attendite ipsos Apostolos: Dimissis omnibus suis, calcata spe seculi, Dominum non sequerentur, nisi magnam haberent fidem. Et tamen si plenam haberent fidem, non dicerent Domino, auge nobis fidem. Vide etiam vtrunque illum de se confitentem. Vide fidem, & non plenam fidem: qui cùm obtulisset domino filium à malo dæmonio sanandū, & esset interrogatus, vtrū crederet, respondit, & ait: Credo domine, adiuua incredulitatem meā. Credo (inquit) credo domine, ergo est fides: sed adiuua incredulitatem meam, ergo non est plena fides. Intelligimus ergo hoc dictum, vel propter ipsam fidei perfectionē, quæ ita difficilis est in hominibus, vt ipsis quoq; admirabilibus sanctis (sicut in ipso Moyse) inueniatur aliquid vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illā iniquorū abundantiā & paucitatē bonorū. Propterea enim tanquā dubitans hoc Dominus dixit.

Matt. 26. *Matt. 26.* *Luc. 22.* *Matth. 17.* *Matth. 19* *Luc. 17.* *Marc. 9.* *Tomo. 7. Contra Petiliani Donatistæ Epist. Ca. 14* *Num. 20.*

Non enim ait, veniens filius hominis non inueniet fidem in terra: [*Sed, putas inueniet fidem in terra?*]
Ioan. 21. Cui vtique cuncta ſcienti & præſcienti, de aliqua re dubitare non conuenit, ſed illius dubitatio noſtram dubitationem figurauit, quia propter multa ſcandala circa finem ſeculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana dictura.
Pſal. 118. Vnde in Pſalmis dicitur: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.
Tomo. 10. De verbis Domini Serm. 36. Sed quia non eſt fides ſuperborum, ſed humiliū. [*Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti,*] Hoc eſt, Qui ſibi iuſti videbantur, [*& aſpernabantur cæteros parabolam iſtam dicens: duo homines aſcendebant in templum vt orarent, vnus Phariſæus & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum,*] Diceret ſaltem, ſicut multi homines. Quid eſt cæteri homines, niſi omnes præter ipſum? Ego (inquit) iuſtus ſum, cæteri peccatores. Non ſum ſicut cæteri homines, [*raptores, iniuſti, adulteri,*] Et ecce tibi ex vicino Publicano maioris tumoris occaſio. [*velut etiam hic Publicanus.*] Ego (inquit) ſolus ſum, Iſte de cæteris eſt. Non ſum, inquit, talis, qualis iſte, per iuſtitias meas quibus iniquus non ſum. [*Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poßideo.*] Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, nihil inuenies. Aſcendit orare, noluit Deum rogare, ſed ſe laudare. Parum eſt non Deum rogare, ſed ſe laudare, inſuper & roganti inſultare. [*Et Publicanus à longè ſtans,*] De longinquo ſtabat, & Deo tamen ipſe propinquabat: Cordis conſcientia remouebat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo ſtabat, ſed Dominus eum de propinquo attendebat.
Pſal. 137. Excelſus enim Dominus, & humilia reſpicit: Excelſos autem, qualis erat ille Phari-

ſæus, à

ſæus, à longè cognoſcit. Deus autem à longè cognoſcit, ſed non ignoſcit. Adhuc audi humilitatē Publicani. Parum eſt quia de longinquo ſtabat: [*Nolebat nec oculos ad cælum leuare.*] Non enim habebat cum qua ſubſtantia leuaret oculos ſuos homo peccator. Attendebat ad inanitatem ſuam, ſed plenitudinem domini agnoſcebat: Nouerat ſe ad fontem venire ſitientem, aridas fauces oſtendebat. Vt aſpiceretur, non aſpiciebat: Reſpicere non audebat: Premebat conſcientia, ſpes ſubleuabat. Adhuc audi: [*ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.*] Ecce qui rogat. Quid miraris ſi Deus ignoſcit, quando ipſe agnoſcit? Non iactabat ille merita, ſed offerebat vulnera. Ad medicum venerat, ſciebat ſe eſſe languidum, ſciebat ſe ſanandum. Oculos ad cælum leuare non audebat, pectus percutiebat: ſibi non parcebat, vt ille parceret. Se agnoſcebat, vt ille agnoſceret: ſe puniebat, vt ille liberaret. [*Obſerua.*] Rectus eſt, & bene inuocat Deum, qui in omnibus malis quæ patitur ſe accuſat, non Deum: & in bonis quæ facit, non ſe laudat, ſed Deum. Sicut enim repellit Deus peccata ſua defendentem, ſic recipit confitentem. Melior eſt enim in malis factis humilis confeſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio. Et bene currit ad remiſſionem peccatorum, qui diſplicet ſibi. Apud enim iuſtum iudicem & miſericordem, qui ſe accuſat, excuſat. Denique de Phariſæo & Publicano accepiſti controuerſiam, audi ſentētiam. Audiſti ſuperbum accuſatorem, audiſti reum humilem, audi nunc iudicem: [*Amen dico vobis.*] Veritas dicit, Deus dicit, Iudex dicit: [*Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, ab illo.*] Hoc eſt, deſcendit iuſtificatus Publicanus ille de templo,

Tomo. 10. De Temp. Serm. 212.

Tomo. 10. De Verbis dñi ſer. 36

Tomo. 8. Pſal. 39.

Tomo. 3. De vera innocētia Sententia 72. 118. & 187.

Tomo. 10. De Verbis Domini, Serm. 36. Ioan. 14.

magis quàm ille Pharisæus. Dic Domine causam. Ecce video Publicanum iustificatum magis de templo descendere, quàm Pharisæum. Quæro quare. Quæris quare? Audi quare. [*Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*] Audisti sententiam, caue causam malam. Aliud dico: Audisti sententiam, caue superbiam. Videant nunc, audiant ista, nescio qui impiè garrientes, & de suis virtutibus præsumentes. Audiãt qui dicunt: Deus me hominem fecit, iustum ipse me facio. O peior & detestabilior Pharisæo. Pharisæus ille superbè quidem iustũ se dicebat, sed inde ille Deo gratias agebat. Gratias tibi Deus, quia non sum sicut cæteri homines. Gratias tibi Deus: Gratias Deo agit, quia non est sicut cæteri homines, & tamen tanquã superbus & inflatus reprehenditur: non, quia Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat. Gratias tibi quia nó sum sicut cæteri homines iniusti. Ergo tu iustus, er-
Iob. 7. go nihil rogas, ergo iam plenus es: ergo non est té-
Matth. 6. tatio vita humana super terram. Ergo iam plenus es, ergo iam abundas. Ergo iam non est quare dicas: Dimitte nobis debita nostra. Quid ergo qui impiè oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbè agit Deo gratias? Et ecce post dictã controuersiam, prolatãque sententiam: [*Afferebãt ad illum & infantes, vt eos tangeret.*] Offeruntur paruuli tangendi. Cui tangẽdi, nisi medico? Certè infani. Cui offeruntur infantes tangendi? Cui? Saluatori. Sed si Saluatori, vtiq; sanãdi. Cui? nisi illi, qui venit quę-
Luc. 19. rere & saluare quod perierat. Vbi isti perierant, quantũ ad ipsos propriè attinet, innocentes? Video
Rom. 5. reatũ, quæro vnde? Apostolũ audio, per vnũ hominẽ intrauit peccatũ in orbem terrarũ. Per vnũ (inquit) hominẽ peccatũ intrauit in mundum, & per

peccatũ mors,& ita in oẽs homines pertrãſiuit,in quo oẽs peccauerũt. Veniãt ergo paruuli,veniãt. [*Quod cũ viderent diſcipuli,increpabãt illos.Ieſus autem conuocans illos,dixit: Sinite paruulos venire ad me, & nolite vetare eos.*] Audiatur domin⁹,dicẽs:[*Sinite paruulos venire ad me.*] Veniant paruuli, veniant languidi ad medicũ,veniant perditi ad redemptorẽ: veniant,nemo prohibeat.In ramo adhuc nihil cõmiſerunt,ſed in radice perierunt.Benedicat dominus puſillos cũ magnis.Tangat medicus & puſillos & magnos. Cauſam paruulorum commendamus maioribus. Loquimini pro tacentibus, orate pro flentibus. Si non fruſtra eſtis maiores,eſtote tutores,tuemini eos qui adhuc cauſam ſuã agere non poſſunt.Cõmunis fuit perditio,ſit cõmunis inuentio. Simul perieramus,ſimul inueniamur in Chriſto. Diſpar eſt meritũ,ſed comunis eſt gratia.Nihil mali habẽt niſi quod de fonte traxerũt.Nihil habẽt mali, niſi quod de originetraxerunt.Non eos impediãt à ſalute, qui ad id quod traxerũt multa addiderunt. Quia qui maior eſt ætate,maior eſt iniquitate.Sed gratia Dei delet quod traxiſti,delet & quod addidiſti.Vbi enim abũdauit peccatũ,gratia ſuperabũdauit. Rom.5. [*Talium eſt enim regnũ Dei. Amen dico vobis,quicunque nõ acceperit regnum Dei ſicut puer,non intrabit in illud.*] [*Taliũ,*] ad comparationẽ videlicet ad ſe venientiũ,dixit,non omnium paruulorum generaliter, etiam & qui in eo renati non ſunt.Ideo inquit; [*Sinite paruulos venire ad me.*] Id eſt,Nolite eos credere me non indigere, non enim poſſunt venire in regnum patris,niſi per me. [*Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens,vitam æternam poſſidebo?*] Bene eſt mihi, ſed labitur quod teneo: Bene eſt mihi, ſed ſubitò non erit quod habeo.Dic mihi vnde habeam quod ſemper erit?

Tomo. 7. Cõt. Pela. Hypponoſt. li.5.cap.1.

Ioan.14.

Tomo. 10. De Temp. Serm.245

Dic mihi quomodo perueniam ad id quod non perdam? [*Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.*] Quomodo ergo & ipse bonus, nisi quia Deus? Non solum autem Deus, sed cum patre vnus Deus. Non enim, dicendo: [*Nemo bonus, nisi vnus Deus:*] discreuit se, sed vniuit. [*Mandata nosti? Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Quo audito Iesus,*] Consiliarius vitæ æternæ, [*ait ei: Adhuc vnum tibi deest.*] Si vis perfectus esse: [*Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.*] Hoc est, In Deo. Quem thesaurum nullus vnquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per suimetipsius voluntatem pauper est. Non dixit ergo, perde, sed serua: [*& veni sequere me. His ille*] (Qui delectabatur diuitijs, & propterea quærebat à Domino, quid boni faceret vt vitam æternam consequeretur, quia à delitijs ad delitias migrare cupiebat, & has quibus delectabatur relinquere formidabat,) [*auditis, contristatus est, quia diues erat valdè.*] Et abscessit tristis ad thesauros suos terrenos. [*Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: Quam difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.*] Diuitem hic appellat cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. His diuitibus contrarij sunt, pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. [*Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri?*] Eo manifestatur omnes cupidos, etiam si facultatibus huius mundi careant, ad hoc genus diuitum quod est reprehensum pertinere, cùm incomparabiliter maior turba sit pauperum: Videlicet

Tomo. 8. Psal. 44.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 245

Tomo. 9. De Cognit veræ vitæ. ca. 47. & De 12. grad. Abusion. gra. 4

Tomo. 10 De Temp. Serm. 245

Tomo. 4. Qu Euan. li. 2. ca. 47 Matth. 5.

delicet intelligentes in eo numero deputari etiam illos, qui quanquam talia non habeant, tamen habendi cupiditate rapiuntur. Sensus est autem, faciliùs Christum pati pro dilectoribus seculi, quàm dilectores seculi ad Christum posse conuerti. [*Cameli*] autem nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. In quo enim manifestius intelligitur, quàm in ipso, quod scriptum est: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Per acum autem, punctiones significat: per punctiones, dolores in passione susceptos. [*Foramen acus ergo*] dicit angustias passionis. *Ecclesi.3.*

[*Ait illis: Quæ impoßibilia sunt apud homines, poßibilia sunt apud Deum.*] Hoc non ita accipiendum est, quod cupidi & superbi, qui nomine illius diuitis significati sunt, in regnum cælorum sunt intraturi cum suis cupiditatibus & superbia: Sed possibilè est Deo, vt per verbum eius (sicut & iam factum esse, & etiam quotidie fieri videmus) à cupiditate temporalium, ad charitatem æternorum, & à perniciosa superbia ad humilitatem saluberrimam, conuertantur.

[*Ait autem Petrus: Ecce nos dimißimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore: & in seculo venturo vitam æternam.*] Aliud est reliquerit, aliud vendiderit. Nam & in his quæ dimittenda mandauit, etiam vxor commemorata est, quam nullis humanis legibus licet vendere: Christi autem legibus, nec dimittere, excepta causa fornicationis. Quid sibi ergo volunt ista præcepta? Non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia incurrat aliquando necessitatis articulus, vbi aut vxor dimitta- *Tomo.2. Episto.89. Qu. Hilarij Soluti. Questio.3. Matt.5.*

tur aut Christus, vt alia omittam, si ipsi vxori maritus displicuerit Christianus, eique proposuerit, aut à se diuortium aut à Christo: hic ille quid eligat nisi Christum, & dimittat vxorem laudabiliter propter Christum. Ambobus quippe Christianis Dominus præcepit, ne quisquam dimittat vxorem, nisi causa fornicationis. Vbi autem quælibet in eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur: vt si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat vxorem: Similiter & vxor fidelis, virum, si cum illa habitare consenserit. Quod si infidelis (inquit) discedit, discedat. Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi. Id est, Si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. Hoc de filijs ac parentibus, hoc de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cùm proponitur ista conditio, vt Christum dimittat, si illos secum habere desiderat. Hoc ergo & de domo & agris, hoc & de his rebus quæ iure pecuniario possidentur, hoc loco accipiendum est. Simul enim etiam de his non ait: Quicunque vendiderit propter me, quæcunque licitum est vendere: sed, quicunque dimiserit. Fieri enim potest vt dicatur Christiano ab aliqua potestate. Aut christianus non eris, aut si in hoc permanere volueris, domum possessionesque non habebis. Cùm verò etiam illi diuites, qui in suis diuitijs sic statuerant permanere, vt ex eorum bonis operibus Deum promererentur, hæc dimittant potiùs propter Christum, quàm propter hæc Christum; vt accipiant in

Matth.5.

1. Corin.7

ant in hoc seculo centuplum, cuius numeri perfectione significantur omnia. (Fideli quippe homini totus mundus diuitiarum est) fiuntque hoc mundo quasi nihil habentes & omnia possidentes, vt in futuro seculo possideant vitam æternam, ne propter ista (dimisso Christo) in mortem præcipitentur æternam. [*Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.*] Nimirum illa dicendo, significauit Dominus qua esset morte moriturus non quod hic mortem crucis vellet intelligi, sed, quod eum Iudæi fuissent Gentibus tradituri, hoc est, Romanis: Nam Pilatus Romanus erat, eumque in Iudæam Romani præsidem miserant. [*Factum est autem cùm appropinquaret Iericho. Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset: Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat. Fili Dauid miserere mei.*] Quid est autem, clamare ad Christum, nisi gratiæ Christi congruere bonis operibus? Hoc dico fratres, ne fortè simus strepentes vocibus, & muti moribus. Quis est qui clamat ad Christum vt pellatur interior cæcitas transeunte Christo, id est, dispensante nobis temporalia Sacramenta, quibus admoneamur ad æterna capienda? Quis est qui clamat ad Christum? Qui contemnit mundum, clamat ad Christum. Qui spernit seculi

2. Corin. 6.

Tomo. 9. Exp. in Euan. Ioan. Trac. 114.

Tomo. 10. De Verbis Domini Serm. 18.

culi

Galat. 6. culi voluptates clamat ad Christum: Qui dicit, non lingua, sed vita. Mihi mundus crucifi-
Psalm. 111 xus est, & ego mundo. Qui dispergit dat pauperibus, vt iustitia eius maneat in seculum seculi, clamat ad Christum. [*Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se: & cùm appropinquasset interrogauit illum, dicens: quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Iesus dixit ei: respice. Fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit de-*
Tomo. 4. *dit laudem Deo.*] Possumus appropinquantibus ad
Qu. Euan. li. 2. ca. 48 Iericho sic intelligere, vt iam inde regressi, propè tamen adhuc essent ad eam ciuitatem: quidē minus vsitatè dicitur, sed tamen videri posset hoc
Mat. 20. dictum, quoniam Matthæus egredientibus eis ab Iericho dicit illuminatos duos cæcos qui iuxta viam sedebant. De numero quippe nulla esset questio, si alter Euangelistarum de vno tacuisset, vni-
Marc. 10. us reminiscens. Nam etiam Marcus vnum commemorat, cùm & ipse egredientibus eis ab Iericho dicat illuminatum, cuius & nomen dixit, & patrem, vt intelligamus eum fuisse notissimum, alterum ignotum, vt meritò ille notus etiam solus decenter commemoraretur. Sed quoniā quæ consequuntur in Euangelio secundum Lucam apertissimè ostēdunt illud quod ipse narrat, adhuc venientibus eis Iericho factum esse: Nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum: semel in vno cæco, dum adhuc veniret in illam ciuitatē: & iterum in duobus, cùm inde egrederetur: vt illud vnum Lucas, illud alterum
Matt. 20. Matthæus enarraret. Neq; hoc sine aliquo sacramento. Si enim Iericho lunam, & ob hoc mortalitatem interpretatur, morti propinquans Domi-
Matt. 10. nus, Iudæis solis lumen Euangelij iusserat prædicari, quod significat ille vnus cæcus quem Lucas

comme-

commemorat. A morte autem resurgens atque Marc. 16.
discedens & Iudæis, & Gentibus, quos duos po- Act. 1.
pulos significare videntur duo cæci à Matthæo Matt. 20.
commemorati.

CAPITIS DECIMI NONI ARGVMENTVM.

Christus ingressus Iericho ad Zachæum diuertit, iudicij timorem sub decem minarum commißione incutit, super pullum asinæ Ierosolymam ingressus à templo negotiatores eijcit.

CAPVT XIX.

E*T ingressus perambulabat Iericho: & ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues, & quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.*] Statu- Tomo. 8.
ra breuis, & magnus in opere. [*Et præcurrens ascen-* Psal. 128.
dit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.] Sycomorus in regionibus nostris, aut om Tomo. 10.
nino nusquam, aut raro fortè alicubi nascitur, in De Verbis
illis autem partibus multum est huius generis Ap. Ser. 8.
ligni. Et poma sycomora dicuntur, pomo quidem fici similia, sed tamen distant aliquid, quod possunt nosse qui viderunt, vel gustauerunt. Quantum tamen indicant interpretatione nominis sycomora, fici fatuæ latinè interpretantur. Iam vide Zachæum meum, vide

illum

illũ obſecro te, volentem in turba videre Ieſum, & non valentem. Humilis enim erat, turba ſupe ba erat: & ipſa turba ad videndum benè Dominum, ſicut ſolet turba, ſeipſam impediebat aſcendit à turba, & vidit Ieſum non impediẽte turba. Turba enim dicit humilibus, humilitatis viã gradiẽtibus, iniurias ſuas Deo dimittẽtibus, vindictã de inimicis nõ requirẽtibus turba inſultat & dicit: indefenſe, qui te nõ potes vindicare. Turba impedit ne videatur Chriſtus, turba gloriãs & exultans, quãdo ſe potuerit vindicare, impedit ne videatur ille, qui pendẽs ait, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Hunc ergo volens videre Zachæus, in quo figurabatur perſona humilium, nõ attendit turbã impedientẽ, ſed † aſcẽdit ſycomorũ, quaſi fatui pomi lignũ. Nos enim (inquit Apoſtolus) prædicamus Chriſtũ crucifixũ: Iudæis quidẽ ſcandalũ: attende ſycomorũ, Gẽtibus autẽ ſtultitiã. Deniq; de cruce Chriſti nobis inſultãt ſapientes huius mundi, & dicunt: quale cor habetis qui † Deũ colitis crucifixũ? Quale cor habemus? Non vtiq; veſtrũ. Sapiẽtia huius mũdi, ſtultitia eſt apud Deũ. Non enim veſtrũ cor habemus. Sed dicitis cor noſtrum ſtultum: dicite quod vultis, nos aſcendamus ſycomorũ, & videamus Ieſum. Ideo enim vos Ieſum videre non poteſtis, quia ſycomorũ aſcendere erubeſcitis. Apprehendat Zachæus ſycomorũ, aſcendat humilis crucẽ. Parũ eſt aſcendat, ne de cruce Chriſti erubeſcat. In frõte illã figat vbi ſedes pudoris eſt: ibi omnino, ibi in quo mẽbro erubeſcitur, ibi figatur † vt nõ erubeſcatur. Puta quia tu irrides ſycomorũ, & ipſa me fecit videre Ieſum. Sed tu irrides ſycomorũ qui homo es, ſtultũ autem Dei ſapientius eſt, quàm hominum. [*Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum,*

Margin notes: Luc. 23. — † attendit. — 1. Corin. 1. — † Chriſtum. — 1. Corin. 3 — † vnde nõ erubeſcitur. — 1. Cor. 1.

lum,] Visus est, & vidit, sed nisi visus esset, non vi-
deret. Quos enim prædestinauit, illos & vocauit. *Rom.8.*
Ipse est qui Nathanael dixit, iam quasi adiuuante
testimonio suo Euangelium, & dicenti: A Naza-
reth potest aliquid boni esse. Dominus ad illum: *Ioan.1.*
Priusquã Philippus vocaret, cùm esses sub arbo-
re fici vidi te. Nostis vnde sibi succinctoria fecerũt
primi peccatores Adam & Eua? Quando peccaue *Genes.3.*
runt, de folijs fici succinctoria sibi fecerunt, & pu
denda texerũt, quia quod eis puderet, peccando
fecerunt. Ergo si sibi succinctoria primi peccato-
res fecerunt vnde originẽ ducimus, in quibus pe-
rieramus, vt veniret ille quærere & saluare quod *Luc.19.*
perierat, de folijs fici pudenda tegendo fecerunt,
quid aliud dictũ est: cùm esses sub arbore fici vidi
te, nisi non venires ad purgatorem peccati, nisi
prior te vidisset in vmbra peccati? Vt videremus,
visi sumus: vt diligeremus, dilecti sumus. Deus me
us misericordia eius præueniet me. Iã ergo Domi- *Psalm. 58*
nus qui Zachæũ in corde susceperat, in domũ eius
dignatus est suscipi. [*Et dixit ad eum: Zachæe, festinans
descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans
descendit, & excepit illum gaudens.*] Magnum benefi-
cium ille arbitrabatur Christũ videre: quia mag-
num & ineffabile beneficium putabat transeun-
tẽ videre, subitò meruit in domo habere. Infundi *Galat. 5.*
tur gratia, operatur fides per dilectionẽ, suscipi-
tur Christus in domũ, qui iã habitat in corde. [*Et
cùm viderent õnes, murmurabãt, dicentes, quod ad hominem pec-
catorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: ecce
dimidiũ bonorũ meorũ domine do pauperibus, & si quid aliquem
defraudaui, reddo quadruplũ.*] Quasi diceret: ideo mihi
dimidiũ teneo, non ꝙ habeã, sed vnde reddã. Verè
ecce ꝙ est suscipere Iesũ, in cor suscipere: ibi enim
erat Christ⁹, in Zachæo erat, & de illo sibi dicebat,
quod

Ephes.3. quod ex ore eius audiebat. Sic enim Apoſtolus dicit, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Iam ergo quia Zachæus erat, quia princeps publicanorum erat, quia valdè peccator erat: quã ſi ſana illa turba (quæ impediebat videre Ieſum) admirata eſt, & reprehendit quod in domũ peccatoris intraſſet Ieſus. Hoc erat reprehendere, quod in domum ægroti intrauit medicus. Quia ergo velut peccator Zachæus irriſus eſt: irriſus eſt autem ab inſanis, ſanatus: [*Ait Ieſus ad eum: quia hodie ſalus domui huic facta eſt.*] Ecce quare intraui, ſalus hodie facta eſt. Vtique ſi ſaluator non intraſſet, ſalus in illa domo facta non eſſet. [*Eo quod & ipſe*
Tomo.8. *filius ſit Abrahæ.*] Vt noueritis quia nos imitando
Pſalm.75 fidem, filij Abrahæ ſumus: Iudæi autem qui de carne ſuperbiunt, à fide degenerauerunt. [*Venit enim*
Tomo.10 *filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.*] Si
De Verbis homo non periſſet, filius hominis non veniſſet. Er-
Ap.Ser.8. go perierat homo, venit Deus homo, & inuentus eſt homo. Perierat homo per liberam voluntaté,
Tomo. 7. venit Deus homo per gratiam liberatricem. Ve-
De Prædeſt. & Grã.ca.13 nit ſanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat: poteſtatem habens dimittẽdi peccata, quod non debebat donare: quod ei debebatur, dimittere: Deletiſque omnibus veteris culpæ maculis, quá fecerat, reparare naturam. [*Hæc illis audientibus, adijciens dixit parabolam, eò quod eſſet prope Ieruſalem, & quia exiſtimarent, quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. Dixit ergo: homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reuerti. Vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factum eſt vt rediret accepto regno, & iußit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam, vt ſciret quãtum quiſque negotiatus eſſet. Venit autem primus, dicens:*

Domine,

Domine, mna tua decem mnas acquisiuit: Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua quam habeo repositam in sudario.] Habet eam in sudario ligatam, id est, delicatis & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus inuolutã & oppressam. [*Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dixit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?*] Quasi dicat: Serue nequam & piger, quia me sciebas molestum, & durum esse: metere vbi non seminaui, & colligere vbi non sparsi: ipsa auaritia mea debuit te docere, quia lucrum quæro de pecunia mea. Oportuit te ergo vt dares pecuniam meam nummularijs, & ego veniens cũ vsuris exegissem meum. [*Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit.*] Dabit habentibus, id est, cum benignitate vtentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit [*ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.*] Quod non habet, auferri non potest, sed aliud non habet, vt meritò auferatur quod habet. Non habet charitatẽ vtendi, vt auferatur quicquid aliud habet quod sine charitate non prodest. [*Veruntamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*] [*Homo nobilis.*] Ipse Dominus Iesus Christus intelligitur. [*Regio longinqua,*] Ecclesia Gentium vsque ad fines terræ. [Reuerti] se tamen dicit. [Abijt] enim vt plenitudo Gentium intraret: [Reuertetur]

Tomo. 1. De vera Religio. cap. 54.

Tomo. 10. De verbis Domini Serm. 49.

Tomo. 3. De Doctr. Christian. li. 1. cap. 1.

Tomo. 4. Ad Simplicia. li. 2 Quæst. 1.

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 46

Rom. 11.

 vt om-

Exod. 20. vt omnis Israel saluus fiat. [*Per decem mnas,*] legem significat, propter decalogũ. [*Decem autem seruos,*] quibus sub illa positis gratia prædicata est. Sic enim intelligendũ est, eis datas mnas ad vsum, cũ intellexerint eã ipsam legẽ, remoto velamine, ad Euangeliũ pertinere. [*Ciues eius*] qui post eum miserunt legationẽ, dicentes, se nolle vt regnet sibi,
Act. 9. Iudæi sunt: Qui etiã post resurrectionẽ eius mise-
Act. 13. runt persequutores Apostolis, & prædicationẽ E-
Matth. 24. uangelij respuerunt. [*Redit autem accepto regno,*] quia in manifestissima & eminentissima claritate vẽturus est, qui eis humilis apparuit, cũ diceret: regnũ
Iohan. 18. meũ non est de hoc mundo. [*Quod autem serui*] redd̃etes rationẽ ex eo quod acceperãt laudãtur quia lucrati sunt: significat, eos bonã reddere rationẽ, qui bene vsi sunt eo quod acceperũt, ad augẽdas diuitias domini, per eos qui credũt in eum. Quod qui facere nolũt, in illo significati sunt [*qui mnã suã in sudario seruauit.*] Sũt enim homines hac sibi peruersitare blãdiẽtes, vt dicãt: sufficit vt vnusquisque de se rationẽ reddat, quid opus est alijs prędicare aut ministrare, vt etiã de ipsis reddere rationẽ quisq; cogatur? Cũ apud Dñm etiã illi sint inexcusabiles,
Rom. 1. quibus lex data nõ est, neq; audito Euãgelio dormierũt, quia per creaturã poterãt cognoscere creatorẽ, cuius inuisibilia à cõstitutione mũdi, per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur. Hoc est enim quasi [*metere, vbi nõ seminauit.*] Id est, etiã eos impietatis reos tenere in quibus verbũ legis aut Euãgelij nõ est ministratũ. Hoc autẽ, veluti periculũ iudicij deuitãtes, pigro lãguore à verbi ministratione cõquiescũt, & hoc est quasi [*in sudario ligare quod*] acceperũt. Mensa quo dãda erat pecunia, pfessionẽ ipsam religionis accipimus, quę tanquã publicè proponitur ad vsum necessariũ saluti. Quod autẽ

vnus

vnus eorũ qui bene vsi sunt, decẽ acquisiuit, & alter quinq;: significat eos esse acquisitos in gregem Dei, à quib⁹ ipsa lex per gratiã intellecta est: siue quia decalogo cõtinetur, siue quia ille per quẽ lata est, libros quinq; cõscripsit. Ad hoc pertinẽt & decẽ & quinq; ciuitates quib⁹ eos prǫponit. Multiplicatio enim intelligẽtiæ in ipsa veritate quæ de vnoquoq; prǫcepto, vel de vnoquoq; libro pullulat, ad vnũ redacta, quasi ciuitatẽ facit viuentiũ rationũ æternã. Est enim ciuitas non quorũlibet animantiũ, sed rationaliũ multitudo, legis vnius societate deuincta. Quod autẽ ab illo qui vti noluit aufertur quod acceperat, [*& ei datur qui decem habebat:*] significatur & illum posse amittere mun⁹ Dei, qui habens non habet, id est, nõ vtitur: & in eo, augeri qui habens habet, hoc est, bene vtitur. [*Inimicos ergo suos,*] quos iubet corã se interfici, significat impietatẽ Iudæorum, qui ad eũ conuerti noluerũt. [*Et his dictis, præcedebat ascendens Ierosolymã. Et factũ est cũ appropinquasset Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, dicens: ite in castellum quod contra vos est. In quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum cui nemo vnquam hominum sedit.*] Pullum asinæ in quo nemo sederat, intelligimus populum Gentium, qui Legem Domini non acceperat, [*Soluite illum, & adducite. Et si quis vos interrogauerit, quare soluitis? sic dicetis ei: quia Dominus operam eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: quid soluitis pullum? At illi dixerunt: quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.*] Domat Deus iumentum cui insidet, quia iumento expedit vt insidatur. Non enim defatigatus Deus ambulando pedi-

Tomo. 9. Exp in Euan. Ioan. Tract. 51.

Tomo. 8. Psalm 31.

bus, insedit iumento. Aut verò non plenum mysterium est, quod asellus adductus est domino! Populus mitis & mansuetus, portans bene dominum asellus est, & tendit in Ierusalem. [*Euntes autem illo substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo & gloria in excelsis.*] Maledictus ergo ille qui venit in nomine suo: sicut in Euangelio dicit. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. [*Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.*] Qui lapides, nisi qui colunt lapides? Si parui pueri tacebunt, maiores & minores Gentes clamabunt. Qui lapides? Nisi lapides de quibus dicit ipse Ioannes, qui venit vt testimonium perhiberet de lumine! Cùm enim videret ipsos Iudæos superbire de genere Abrahę, ait illis: Generatio viperarũ. Illi se dicebant filios Abrahę. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quos præuidebat in spiritu de illis dicebat. Nos siquidẽ, præuidebat. Potẽs est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. De quibus lapidib⁹, inquit, si isti tacebunt, lapides clamabunt. [*Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem absc̃odita sunt ab oculis tuis.*] Quasi dicat. Et tu si cognouisses tempus visitationis tuæ, forsitan permansisses, nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis. [*Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terrã prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem su-*

Margin notes: *Tomo.8.* *Psal.117.* *Ioan.5.* — *Tomo.10. De Temp. Serm.28.* *Ioan.1.* — *Matth.3.* *Luc.3.* — *Tomo.2. Episto.79*

dem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis Tomo. 10.
tuæ.] Post quadraginta enim duos annos passionis De Temp.
dominicæ facta est obsidio Iudæorũ à Vespasiano Serm. 204
& Tito, in solẽnitate Paschali, vt iusto dei iudicio
ex omnibus prouincijs congregati Iudæi, in ipsis
diebus pœnã sibi debitã sustinerent, in quibus do
minum & saluatorẽ nostrum in cruce suspende-
rant. Illo enim (id est) quadragesimo secundo an-
no à die passionis Domini nostri, quasi diuina ma
nu acti Iudæi, Ierosolymis (sicut solebant) ad cele
brandũ Pascha cõuenerant. In historijs legimus,
ꝙ tũc tricies cẽtena milia hominũ ex Iudęis Iero-
solymis fuerunt congregata, ex quibus ferro & fa
me vndecies centena milia legũtur esse consump-
ta, & centũ milia iuuenũ Romam perducti sunt in
triumphũ. Duobus enim annis obsessa est ciuitas
illa, & tãta multitudo mortuorũ de ciuitate pro-
iecta est, vt muris ipsa cadauera coequarentur. [*Et
ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes, dicens
illis: Scriptũ est, quia domus mea, domus orationis est. Vos autem
fecistis illam speluncam latronum.*] Templũ in Euangelio Tomo. 4.
ipsum hominẽ intelliges: Vel etiã adiuncto corpo Qu. Euan.
re eius, quod est Ecclesia. Secundũ autẽ illud quod li. 2. ca. 48
est caput Ecclesię, dictũ est: Soluite tẽplum hoc, & Ioan. 2.
in triduo suscitabo illud. Secundum id vero quod
etiã adiuncta Ecclesia intelligitur tẽplum, videtur
dixisse: Auferte ista hinc, scriptũ est enim: Domus Ibidem.
mea, domus orationis vocabitur, vos autẽ fecistis Isai. 56.
eã domum negotiationis, vel speluncã latronum. Iere. 7.
Significauit enim futuros in Ecclesia, qui sua nego
tia potiùs agerẽt, vel receptaculũ ibi haberent ad
scelera sua occultanda, quã vt charitatẽ Christi se
querentur, & peccatorum confessione, accepta ve
nia, corrigerentur. [*Et erat docens quotidie in templo prin-
cipes autem Sacerdotum, & Scribæ & principes plebis quærebant*

 illum

Tomo.5. illum perdere, & nō inueniebant: quod facerent illi. Omnis enim
De Ciuit. populus suspensus erat audiens illum.] Populus est coetus
Dei.li. 19. multitudinis rationalis, rerum quas diligit, con-
cap. 24. cordi communione sociatus: tanto vtiq; melior, quanto in melioribus: tantoque deterior, quanto est in deterioribus concors.

ARGVMENTVM CAPITIS VIGESIMI.

Potestatem suam Iudæis celat, illos sub vineæ agricolis locatæ parabola reprobos indicat, Censum Cæsari debitū, resurrectionem expectandam, & se Dei filium probat.

CAPVT XX.

ET factū est in vna dierū docente illo populū in templo & euangelizante, conuenerūt Principes Sacerdotū & Scribæ cum Senioribus & aiunt, dicentes ad illū: dic nobis in qua potestate hæc facis? Aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos: interrogabo vos & ego vnum verbū. Respondete mihi: baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: quia si dixerimus, de cælo, dicet: quare ergo non credidistis illi?] Quia ille Christo perhibuerat testimonium, & dixerat: Non sum ego Christus, sed ille. [*Si autem dixerimus ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos. Certi sunt enim Ioannem Prophetam esse.*] Timentes lapidationem, sed plus timentes veritatis cōfessionē, responderunt mendacium veritati, & mentita est iniquitas sibi. [*Et responderunt se nescire vnde esset.*] Noluerunt dicere ex hominibus, timentes homines ne lapidarētur ab eis, eò quod Ioannem Prophetā haberent. Dicere de cælo, plus formidabāt, ne fa-

Tomo.9. Exp. in Euan. Ioan. Tract 2. Ioan.1. Ioan.14. Psal. 26. Tomo 8. Psalm. 57

ne faterentur ipsum Christum, quia Ioannes prædicauerat Christũ. Coartati vtrinq; ex hac parte, & ex hac parte: qui parabant obijcere crimen, responderunt ignorantiã, dixerunt: nescimus. Calũniam enim præparabant, quando dixerunt: in qua potestate ista facis? Vt si diceret, Christus sum, quasi arrogantem, superbũ, sacrilegũ inuaderent. Noluit dicere, Christus sum: sed quæsiuit de Ioanne, qui dixerat, quod ipse esset Christus. Illi non sunt ausi reprehendere Iohannem, timentes ne à populo occiderentur. Non sunt ausi dicere, verum dixit Iohannes, ne diceretur eis: credite illi. Obmutuerunt, se nescire dixerunt. Et dominus, quia ipsi contra se clauserant, negando se scire quod nouerant, nec ipse illis aperuit, quia non pulsauerunt. Dictũ est enim: pulsate, & aperietur vobis. Non solum autẽ illi non pulsauerunt vt aperiretur, sed negando, ostium ipsum contra se astrinxerunt. [*Et Iesus ait illis: neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.*] Quasi dicat: vos dicitis vos nescire quod scitis, ego vobis non dico quod quæritis. Et sic confusi sunt per Ioannem, impletumque in illis est: paraui lucernam Christo meo, inimicos eius induam confusione. [*Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis,*] Qui redderent ei fructum temporibus proprijs: [*& ipse peregre fuit multis temporibus. Et in tempore illo misit ad cultores seruũ, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.*] Et fructum reddere contempserunt. [*Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes, eiecerunt. Dixit autem Dominus vineæ.*] Ille paterfamiliâs cultor agri sui, & plantator & locator vineæ suæ: [*Quid faciã?*

Tomo. 9. Exp. in Euan. Ioan. Tract. 2.
Matth. 7.
Tomo. 8. Psalm 80
Tomo. 9. Exp in Euan. Ioan. Tract. 2.
Psal. 131.
Tomo. 10. De Ver dñi Serm. 59.

Mittam filium meum dilectum, forsitan cùm hunc viderint, ve-
Matth.21. *rebuntur.*] Et misit etiam filium suum. [*Quem cùm vidissent coloni, cogitauerunt intra se dicentes: Hic est Hæres. Occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam alijs.*] Plantata est vinea, lege data in cordibus Iudæorum. Missi sunt Prophetæ, quęrentes fructum, bonā vitā eorum. Prophetæ ab eis contumelijs affecti & occisi sunt. Missus est Christus vnicus filius patrisfamiliâs, & ipsum occiderunt hęredē, & ideo perdiderunt hęreditatē. In contrarium eis vertit malū consilium. Vt possiderent occiderūt, & quia occiderunt, perdiderunt. [*Quo audito, dixerūt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?*] Vt duos

Tomo.8. Psal.117. conderet in se, in vnum hominē faciens pacem, & cōmutaret vtrosque in vno corpore Deo, circuncisionem scilicet & præputium. [*Omnis qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum.*] Aliud est conquassari, aliud conte-

Tomo.8. Psalm.45 ri. Conquassari minus est quam cōteri. Sed neminem conterit excelsus veniens, nisi quē conquassauerit humilis iacens. Modò autē antequam veniat Dominus noster, humiliter iacuit Iudæis, & offenderunt in illum, & conquassati sunt: Veniet postea in iudicio suo clarus atque altus, magnus & potens, & non infirmus vt iudicetur, sed fortis vt iudicet, & conterat eos qui conquassati sunt, in eum offendendo. Lapis enim offensionis & pe-

1.Pet.2. Tomo.9. In Epist.Io. Tract.3. tra scandali non credentibus ipse est. Discernenda ergo sunt verba Christi. Offendentē dixit conquassari, super quē autem venerit, conteri. Primo quia humilis venit, offenderunt in illū homines: Quia excelsus venturus est ad iudicium, super quē

venerit,

venerit, conteret eum. Sed illũ non conteret venturus, quē non quassauit cùm venit. Qui in humilē non offendit, non formidabit excelsum. Omnibus enim malis lapis offensionis est Christus. [*Et quærebant Principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora, & timuerunt populum. Cognouerunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone: & traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces, & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: Licet nobis tributũ dare Cæsari, an non?*] Calumniari volebant ei propter *Tomo. 8.* tributum. Non dixit ille licet reddere tributum, *Psal. 57.* aut nó licet reddere. Et volebat dentes eorũ, quibus inhiabant vt morderent, † coërcere: sed in ore † contere. ipsorum volebat. Si diceret, Soluatur Cæsari tributum, calũniarentur illi quod maledixisset genti Iudæorum eam tributariã faciendo. Ex peccato enim tributum reddebant humiliati, sicut illis in lege prædictum erat. † Teneamus illum (aiunt) ma- † Teneledictorē gentis nostræ, si nos iusserit tributũ per- mus, & soluere. Si autem dixerit: nolite soluere, teneamus infra. quod contradixerit nobis deuotos esse Cæsari. Talē bicipitē laqueum, quasi capiẽdo domino posuerunt. Sed ad quē venerunt? Qui nouerat cõterere dentes eorũ in ore ipsorum. [*Considerãs autem dolum* *Psal. 57.* *eorũ, dixit ad eos: Quid me tentatis Hypocritæ?*] De tributo soluendo cogitatis? Iustitiam facere nõ vultis, *Matt. 22.* consilium iustitiæ quæritis? Si verè vtique iustitiã *Psal. 57.* loquimini, rectè iudicate filij hominum. Nunc autem quia alia loquimini, alia iudicatis, hypocritæ estis. [*Quid me tentatis?*] Nunc conterã dẽtes vestros in ore vestro. [*Ostendite mihi denarium.*] Et demõstrauerunt ei. Et ille non dixit, Cęsaris est: sed interrogat cuius est, vt eorũ dentes, in ore ipsorum conterantur,

rãtur, ait enim: [*Cuius habet imaginem & inscriptionem?*] Quærente autem illo, cuius haberet imaginem & inscriptionem. [*Respondentes dixerunt, Cæsaris.*] Iam nunc Dominus conteret dentes eorum, in ore ipsorum. Iam respondistis, iam contriti sunt dentes vestri in ore vestro. [*Et ait illis: reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*] Quærit Cæsar imaginem suam, reddite. Quærit Deus imaginem suam, reddite. Non perdat ex vobis Cæsar nummum suũ: non perdat in vobis Deus nummũ suũ. Tanquam si diceret, quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & Deus. Vt quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima, lumine vultus eius illustrata atque signata. [*Obserua.*] Tunc reddimus Cæsari debitum suum, quando duliã prælatis nostris reddimus. Hęc enim dulia cõsistit, in reuerentiæ exhibitione & dilectione. Hoc autẽ facere debemus non solũ pastoribus, sed & Sãctis Dei: & tũc reddimus per obediẽtiã quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Sed tũc reddimus quę sunt Dei, Deo quãdo in latria perseueramus: hęc enim soli Deo cõuenit. Hęc enim cõsistit, in oratione & gratiarũ actione, cultus exterioris exhibitione, & interioris mentis deuotione. [*Et non potuerunt verbũ eius reprehendere corã plebe, & mirati in responso eius, tacuerunt. Accesserunt autem quidã Saducæorũ, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerũt eũ, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis, si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eã frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erãt, & primus accepit vxorem, & mortuꝰ est sine filijs. Et sequens accepit illã, et ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illã, similiter & omnes septem, & nõ reliquerũt semen, & mortui sunt. Nouißimè omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerũt eã vxorem. Et ait illis Iesus:*

Tomo. 1. Psalm. 4.

Tomo. 10. Ad Fratres in Herem, Serm. 7.

sus: filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias,] Quis autem ambigat seculi nomine homines significasse, qui nascendo in hoc seculum veniunt? [*Illi verò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent.*] Quod ad fœminas pertinet, [*neque ducent vxores,*] Quod ad viros: [*neque enim vltra mori poterunt.*] Quia connubia propter filios, filij propter successionẽ, successio propter mortẽ: vbi ergo mors non est, neque connubia. Sicut enim nunc sermo noster decedentibus & succedentib⁹ syllabis peragitur atque perficitur: ita & ipsi homines, quorum sermo est decedendo ac succedendo peragunt atq; perficiunt ordinẽ huius seculi, qui tẽporalium rerum pulchritudine cõtexitur. In illa autẽ vita quoniã verbum Dei est quo fruemur nulla decessione & successione syllabarum complectur: sed õnia quę habet, semper manẽdo, simul habet: ita participes eius, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascẽdo succedẽt. Non ergo ibi quæritur successor, vbi non erit decessor. Neq; ibi erit generatio, cùm illuc perduxerit regeneratio. Et quid erit? [*Aequales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.*] Æquales vtique Angelis immortalitate atq; fœlicitate, nõ carne, sicut nec resurrectione, qua nec indiguerunt Angeli, quoniã nec mori potuerunt. Nisi forte putas quod Angeli epulis quotidianis, & vino quo te inebrias, gaudeãt: aut hoc forte arbitraris quod Angeli, vxores habeant. Nihil eorum est apud Angelos. Vnde gaudent Angeli, nisi vnde Dominus ait: nescitis quia Angeli eorum semper vident faciẽ patris? Si ergo ad faciem patris gaudent Angeli. Ad tale gaudium te præpara. [*Quod verò resurgũt mortui & Moyses ostendit secus rubũ, sicut dicit Dominũ, Deũ Abrahã, et Deũ Isaac, & Deũ Iacob. Deus autem*

Tomo. 7. De Peccato. meritis & remiß. li.1 ca. 20

Tomo. 5. De Ciuit. Dei. lib. 22 cap. 17.

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 49

Tomo. 8. Psalm. 43

Tomo. 5. De Ciuit. Dei. li. 15. cap. 17.

Ibidẽ. Lib. 22. cap. 17

Tomo. 8. Psalm. 43

Matth. 18.

Tomo.6. *autem nõ eſt mortuorum, ſed viuorum. Omnes enim viuũt ei.*] Vi
Con. Ad ta vtiq; vera: quia iuſti viuunt, etiã quando corpo
uer.leg.et re moriuntur. [*Reſpondentes autem quidam Scribarũ, dixe-*
proph.li.2 *runt ei: Magiſter, benè dixiſti. Et amplius non audebant cũ quu-*
Cap.5. *quam interrogare. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chri-*
ſtum filium eſſe Dauid, & ipſe Dauid dicit in libro Pſalmorum:
Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam
inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Dauid ergô dum illum vo-
cat, & quomodo filius eius eſt?] Hic cauendum eſt, ne pu
Tomo.10. tetur Chriſtus ſe negaſſe filium eſſe Dauid. Non ſe
De Temp. filium Dauid negauit, ſed modũ quæſiuit. Dixiſtis
Serm.235 filium me eſſe Dauid, non nego. Sed ille eum domi
Matth.22. minum vocat, dicite mihi quomodo ſit filius, qui
eſt dominus? Dicite quomodo? Illi nõ dixerunt, ta
cuerunt. Dicamus & nos, exponẽte ipſo Chriſto.
Vbi? Per Apoſtolum ſuum. Prius inde probemus,
quia ipſe Chriſtus expoſuit. Apoſtolus dicit: An
2.Cor.13. vultis experimentũ accipere eius qui in me loqui-
tur Chriſtus? Ergo in Apoſtolum iſtã dignatus eſt
ſoluere queſtionẽ. Primum per Apoſtolum loquẽs
2.Timo.2. Chriſtus, quid dixit ad Timotheum? Memor eſto
Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine
Dauid, ſecundum Euangelium meum. Ecce Chri-
Philip.2. ſtus filius eſt Dauid. Quomodo eſt & dominus Da
uid? Dic Apoſtole. Qui cùm in forma Dei eſſet, nõ
rapinã arbitratus eſt eſſe æqualis deo. Agnoſce do
minum Dauid. Si agnoſcis dominum Dauid, Do-
minum noſtrum, dominum cœli & terræ, Domi-
num Angelorum, æqualẽ Deo in forma Dei: Si ag
noſcis, vnde filius Dauid attende quod ſequitur.
Apoſtolus dominum Dauid tibi oſtendit, dicẽdo:
Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus
Ibidem. eſt eſſe æqualis Deo. Filius Dauid vnde? Semetip-
Philip.2. ſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, in ſimilitu
dine hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.

Humiliauit

Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad morté, mortem auté crucis. Propter quod et deus illum exaltauit. Resurrexit Christus ex semine Da- *2. Tim. 2*
uid, filius Dauid, quia exinaniuit se. Quomodo exinaniuit? Sumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Exinaniuit se, humiliauit se. Cùm esset Deus, homo apparuit. Contẽptus est in terra ambulans, qui cœlum fecit. Contẽptus est quasi homo, quasi nullius virtutis. Non solum contẽptus, sed & insuper occisus. Lapis erat iacens, offenderunt in eum Iudæi, & quassati sunt. Quid autẽ ait ipse? Qui offenderit in lapidẽ istum, conquassabi- *Matth. 21.*
tur: Super quẽ venerit lapis iste, cõteret eum. Prius iacuit, & offenderunt: Veniet desuper, & conteret quassatos. Accepistis et filium Dauid, et dominum Dauid. Dominum Dauid semper, filium Dauid ex tẽpore. Dominum Dauid, natum de substantia patris: Filium Dauid, natum ex Maria virgine, con- *Luc. 2. et 1*
ceptum de spiritusancto. Vtrunque teneamus. V- *& Mat. 1.*
num horum erit nobis habitatio æterna, alterum horum nobis est à peregrinatione liberatio. Dominus enim noster Iesus Christus nisi dignatus esset fieri homo, perisset homo. Factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Homo verus, Deus verus, Deus & homo, totus Christus. Hæc est Catholica fides. Qui negat dominum Christum, Photinianus est. Qui negat hominẽ Christum, Manichæus est. Qui confitetur dominum æqualẽ patri Christum, & hominẽ verum, passum verè, sanguinem fudisse verum (Non enim veritas nos liberaret, si falsum prætium pro nobis daret) vtrunque qui cõfitetur, Catholicus est. Habet patriã, habet viã. Habet patriã: In principio erat verbum. Habet patriã: *Ioan. 1.*
Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus *Philip. 2.*
est esse æqualis Deo. Habet viã verbum caro factũ

est: habet

est: habet viam. Semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens. Ipse patria quò imus: ipse via quà imus. Per ipsum ad ipsum eamus, & nō erramus. [*Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis. Attendite à Scribis qui volunt ābulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conuiuijs. Qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.*] Non quia accipiunt, sed quia diligunt. Hic enim cor eorum accusauit. Accusator cordis autē esse non posset, nisi cordis inspector. Oportet enim vt seruo Dei, habenti aliquē honorem in Ecclesia deferatur primus locus: quia si non deferatur, malum est illi qui non defert, non tamen bonum est illi cui defertur. Oportet ergo vt in congregatione Christianorum, Præpositi plebis eminentius sedeant vt in ipsa sede distinguantur, & eorum officium satis appareat: non tamen vt inflentur de sede, sed vt cogitent sarcinam vnde reddituri sunt rationē. Quis autē nouit, vtrum hoc ament, aut non ament? Res ista cordis est, iudicem habere non potest, nisi Deum. Ipse autem Dominus admonebat suos ne inciderent in tale fermentum, quod alio loco dicit: cauete à fermento Pharisæorum & Saduceorum. Et cùm putarent illi propterea hoc eum dicere, quia panes non intulerant, respondit eis: excidit vobis quod milia saturati sunt ex quinq; panibus? Tunc intellexerunt, inquit, quia fermentum doctrinam eorum dicebat. Amabant enim illi ista temporalia, æterna verò nec timebant mala, nec bona diligebant.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 234.

Matth. 16.

ARGV-

ARGVMENTVM CAPITIS VIGESIMI PRIMI.

Viduam in gazophylatium mittentem cæteris præfert, Templum prædicit euertendum, & ciuitatē solo æquandam cum ciuium summa miseria, & signa iudicium præcedentia interim futura.

CAPVT XXI.

RESpiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylatium diuites.] Quid est autem Gazophylatium? Arca Dei vbi colligebātur ea quæ ad indigentiā seruorum Dei mittebātur. [Vidit autem & quandā viduā pauperculā mittentem æra minuta duo. Et dixit, verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquā ōnes misit. Nā ōnes hi ex abūdanti sibi miserūt in munera Dei, hæc autem ex eo quod deest illi omnem victū suum quem habuit, misit.] Hæc paupercula, diuitibus multa mittētibus, sola meruit à Deo collaudari, quia de penuria sua largiri non timuit. Diuites verò securi de diuitijs suis largiūtur, pauper autē securus de Dño. Benè igitur faciunt diuites dum largiuntur egenis, sed multò melius pauperes. Ac per hoc alia remuneratio pauperis & alia diuitis. Diues enim si hoc nō fecerit, vapulabit: a paupere enim nō exigitur tantū. Ideoq; laudabilis est pauper misericors. Sic respexit Dñs ad Abel, & ad munera eius. Sed prius respexit ad Abel quā ad munera. Sumēs enim mētē quā cognouit humilē & purā, remunerauit eius largitatis munera. Ad Cain verò non respexit, nec ad eius munera. Mentē enim ei⁹ quā viderat, quoniā nō cognouit humilē, eius munera nō recepit. In iudicio enim cordis, cōsiderāda est eleemosina tribuētis. Nec iā cōsiderādum est quātum,

Tomo. 8. Psalm. 65

Tomo. 4. Qu. Veter. & Noui. Test. Qu. 124.

Tomo. 4. De Vera et fal. pœnitē tia. cap. 15

Genes. 4.

tum, sed qua mēte, qua affectione dat quod potest. Vidua enim duob⁹ quæ habuit larga minutis, pl⁹ omnibus misit. Qui igitur vult peccata sua redimere tēporalium oblatione, caueat vt offerat mēte prius. Dominus enim nō copia largitatis, sed beneuolētia & deuotione largiētis delectatur & pascitur. [*Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Interrogauerunt autem illū, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt & quod signum cum fieri incipient? Qui dixit: Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum, & tempus appropinquauit. Nolite ire post eos. Cùm autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri. sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ,*] Pestilentia est morbus latè per uagatus, & omnes aut pene omnes inuoluens.] *& fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.*] Fames, naturalis quidā morbus est, quia natura nobis facta est pœna ex vindicta. Medicamentum eius est cibus: sicut sitis, potus: & fatigationis somnus. [*Sed ante hæc omnia, iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in Synagogas & custodias, trahentes ad Reges & præsides propter nomen meum. Continget autem vobis in testimoniū. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit.*] Quid ergo de cæteris membris soliciti estis, vbi damnum capilli non erit? [*In patientia vestra possidebitis animas vestras.*] Non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo

Tomo. 9 De Rect. Cathol. Conuersationis.

Tomo. 8. Psal. 1.

Tomo. 8. Psal. 37.

Tomo. 8. Psal. 141.

Tomo. 4. De Patientia. Cap. 7

tanta suffert anima vt possideat vnde pereat, quãta debet sufferre ne pereat? Deinde vt illud dicam quod culpabile non est: Si tanta suffert pro salute carnis suæ inter manus secantium siue vrentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorũ? Cùm medici ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant: inimici autem pœnam & mortẽ corporis cõminando, vt anima & corpus in gehenna occidatur, impellant: quanquã & ipsi corpori tunc prouidentiùs consulatur, si temporalis salus eius pro iustitia contemnatur, & pœna vel mors eius pro iustitia patientissimè sufferatur. [*Cùm autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.*] [*Prægnantes*] sunt qui in spe intumescunt. [*Nutrientes*] autem, id est, lactantes: qui iã adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans, in spe tumet filij, nondum videt filium: quæ autem iam lactat, amplectitur quod sperabat. Prægnans est, qui res alienas concupiscit: nutriens est, qui iam rapuit quod concupierat. Et vt hoc apertiùs etiã simplices intelligere possint, aliquam similitudinẽ proponamus. Concupiscit aliquis villam alienam, & dicit: bona est ista villa vicini mei. O si mea esset, ô si adiungerem illam & facerem de isto fundo & de illo vnitatem. Amat & auaritia vnitatẽ. Quod amat bonum est: sed vbi amandum sit, nescit. Fortè diues est vicinus ille qui habet villam bonã, & suspicatur quod non possit illam tollere, quia potens homo est, & nõ præualet se contra illum defendere: nec concupiscit, nec imprægnatur, nihil

Tomo. 10. De verbis Domini Serm. 20.

 sperans

ſperans non concepit, non eſt prægnans animo. Si verò iuxta aliquis vicinus ſit pauper, qui vel in neceſſitate poſitus eſt vt poſſit vendere, vel poteſt opprimi vt cogatur vendere: inijcitur oculus, ſperat ſe poſſe tollere aut villam aut coloniam vicini pauperis, & immittit illi aliquas tribulationes. Verbi gratia: Agit ſecretius apud eos qui poſſunt vt illum exactores aut afflictum, aut in aliqua publica adminiſtratione cōſtringant, ex quibus contractis debitis multis neceſſe habeat infœlix vendere caſellam, vnde aut ipſe aut filij ſui ſuſtentabantur. Neceſſitate ergo cōpulſus, venit ad illum per cuius nequitiā premitur & affligitur, & neſciens quod ipſius immiſſione hoc patitur, dicit ad eum: Da mihi Domine, rogo te, paucos ſolidos, patior neceſſitatē, vrgeor à creditore. Et ille, non habeo modò in manibus. Ideo ſe dicit in manibus non habere, vt ille oppreſſus calūnia, neceſſe habeat vendere. Denique cùm ei dixerit, quod præ nimia afflictione ſua cōpellatur diſtrahere, ſtatim ille reſpondet. Et ſi non habeo pecuniā propriam, ſtudeo vndecunque mutuare, vt tibi amico meo ſubueniam: & ſi ita neceſſe eſt etiā argenteolum meū diſtraho, ne tu iniuriā patiaris. Quando beneficiū petebat, profeſſus eſt ſe penitus non habere: at vbi dixit, quod poſſeſſionē ſuam venderet, quaſi amico ſe ſubuenire dixit. Et cùm eum ad hanc neceſſitatem adduxerit, dicit illi vt venditionē facere debeat, & caſellā pro qua prius (verbi gratia) fortè centū ſolidos offerebat, vt eum opprimi viderit, nec medietatem precij dare acquieſcit. Iſtis enim talibus, ſicut iam ſupra dictū eſt, Euangeliſta proclamat: [*Væ prægnantibus & nutrientibus*] Iſtis enim væ erit in die iudicij, & ab auditu
Matth. 25. malo non poterunt liberari, ſed audituri ſunt: diſ-
cedite

cedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius: quia esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere. Hoc loco diligenter attēdat charitas vestra: Si in ignē mittitur qui non dedit rem propriā, putas vbi mittendus est, qui inuadit alienā? Si cum diabolo ardere habet qui nudum non vestiuit, putas vbi arsurus est qui expoliauit? Et ideo quotiescunque vobis Euangelica lectio recitata fuerit in qua dicit: [*Væ prægnantibus & nutrientibus,*] Nō hoc de mulieribus legittimos viros habētibus, credite. Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito cōcepit? Quare illi in die iudicij malè erit, quæ hoc fecit quod De⁹ iussit? Nō ergo de mulieribus, quæ iustè concipiunt & pariūt, hoc credendum est, sed de illis, quod suprà diximus, qui iniustè concupiscendo rem alienā, impregnati esse videntur. De quibus scriptum legimus: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. *Psalm. 7.*
[*Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.*] Hoc factum est, & fieri nulli dubium est. [*Et erunt signa in Sole & Luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum.*] Causa quę patimur & pœna cōpellit, si fortè non curet voluntas. Nam in vno tēpore & signa in cælo, & pressura gentium in terris ab hominibus videri & sustineri manifestum est. Gentes voluit intelligi, non pertinentes ad semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes; sed gentes quæ ad sinistrā stabunt, quando congregabuntur ante iudicem viuorum & mortuorum omnes gentes. [*arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ superuenient vniuerso orbi.*] Nullam patriam, nullum locum no-

Tomo. 2. Epist. 79.

Tomo. 2. Epi. 80 ad Hesychi. vide totam Epist.

Matth. 25.

ſtris temporibus nō affligi aut humiliari certum
Tomo. 2. Heſychi. ad Auguſ. Epiſt. 79. eſt, ſicut dictum eſt: [*Præ timore & expectatione quæ ſuperueniet vniuerſo orbi:*] & omnia ſigna quæ ſuperiùs Euangeliū legentibus manifeſtat, ex maxima parte completa ſunt. [*Nam virtutes cælorum mouebuntur.*] De Angelis dicit, Tremor enim illos apprehendet
Tomo. 10. De Temp. Serm. 130. & timor magnus. Cuius rei cauſa? dic mihi. Quia tunc tam terribile erit iudicium illud, vt etiam ab angelis timeatur. Omnis enim natura generis humani incipiet iudicari, & aſtare terribili iudici. Quāobrem ergò tunc Angeli contremiſcent, & vnde tremor apprehendet eos? Non enim illi habent iudicari. Sed quemadmodum principe iudicante, non ſolum rei, ſed & officia, quæ nihil ſibi conſcia ſunt, timore & tremore cōprehēduntur, propter iudicis terrorem: ita & tunc, cùm genus humanum iudicabitur, etiā cæleſtes miniſtri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiſcent. [*Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate.*] Quod video duobus modis accipi poſ-
Tomo. 2. Epiſt. 8. ad Heſychi. ſe: ſiue in Eccleſia tanquā in nube venientem, ſicut etiam nunc venire non ceſſat, ſecundū quod
Matth. 26. ait: Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis, & veniente in nubibus cæli. Sed ideo tunc [*cum poteſtate magna & maieſtate,*] quia maior poteſtas & maieſtas illius appparebit, ſanctis, quibus magnā virtutem dabit, ne tanta perſecutione vincantur. Siue in corpore ſuo, in quo ſedet ad dexterā Patris, in quo etiā mortuus eſt, & reſurrexit, & aſcendit in cælum, ſecundum quod ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: his dictis,
Act. 1. nubes ſuſcepit eum, & ſublatus eſt ab eis. Et quia illic etiā dictum eſt ab Angelis: ſic veniet, quomodo eum videtis euntē in cælum; meritò credendus eſt,

dus eſt,

dns est, non solum in eodē corpore, verumetiam in nube venturus, quoniã sic veniet sicut abijt, & nubes eum suscepit abeuntē. Sed horum duorum quid hic potiùs legendũ sit, iudicare difficile est. Promptior quidē sensus, vt quisquã cùm audierit vel legerit: [*Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate:*] Ipsum prorsus accipiat eius aduentũ, non per Ecclesiã, sed per se ipsum, quando venturus est ad viuos & mortuos iudicandos. Vbi se tunc impij videbũt? Vbi adulteri, vbi ebriosi, vbi maledici se recognoscent? vbi amatores luxuriæ, vbi raptores, vbi superbi & inuidi apparebunt? Quid infœlices pro sua defensione dicturi sunt, quos totiens admonitos, et tamē imparatos dies ille repererit? Cùm ad illam Archangeli tubam, omni buccina clariorē, totus simul cœperit mugire mundus. Cùm (sicut dicit Propheta) venerit Dominus ponere orbē terræ desertũ, & peccatores perdere ex eo: quãdo (sicut dicit scriptura) peccatores & impij mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorũ ascendet in secula seculorũ. Qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminosos quosque negligentes ac tepidos occupabunt? [*His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita quoniã appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneã & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiãt. Cælũ et terra transibunt, verba autem mea nõ transibunt. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.*] [Cum enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido nõ se talem

Tomo. 10. De Temp. Serm. 54.

1. Thess. 4.

Apoc. 14.

Tomo. 4. Qu. Vete. & Noui Testamen. Quest. 120.

homo aspicit qualis est: ita & si esca & crapula
fuerit grauatus alterum se sentit quam est. Tunc
excitatur libido, accenditur ira, inflammatur su-
Ephes. 5. perbia, generatur luxuria. Vnde Apostolus: Nolite
(ait) inebriari vino, in quo est luxuria. Quod si
temperatum fuerit corpus, interposito ieiunio,
recognitione sui recepta, anima intelligit qua de
uotione obsequi debeat redẽptori. In omnibus er
Tomo. 10. go ebrietatẽ cauete, hæc enĩ subuersio magna est
Ad Fratres animę. Sicut enim ignis facilè incendit stipulas &
in Herem. leuiter siccas exurit paleas: sic ebrietas corpus cor
Serm. 64. rumpit, & animã simul & corpus in graue pecca
torum incendium deijcit, & præcipuè in iuueni
bus. Vinũ enim & iuuentus duplex incendiũ. Pro-
pterea qui ab ebrietate non cauet, peccatum non
euadet. [*Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui se-
dent super faciem omnis terræ. Vigilate ergo omni tempore oran-*
Tomo. 9. *tes,*] Semperq́ue mementote quod regnum cæ-
De Cõflict. lorum non tepidi, neque molles, neque desides,
vitior. & sed violenti atque ferventes diripiunt. [*vt digni ha*
virtutum *beamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium*
cap. 12. *hominis.*] Ne ergo in istum veniatis cruciatum a-
Matth. 11. nimæ, expergiscamini dum corrigendi tempus
Tomo. 10. est, vt voluntatem Domini (tanquam boni serui
De Temp. & vtiles requiratis: vt cùm dies ille iudicij tremẽ
sermo. 54. dus & nimirum etiam bonis expauescendus adue
nerit, non cum mortalibus (qui per diuersas vo-
luptatum contentiones diuiduntur) flammis vl-
tricibus cruciemini in inferno, sed simplicitatẽ
& castitatẽ præferentes, spiritalibus virtutũ pen-
nis eleuemini in cælum secundum illud quod ait
1. Thess. 4. Apostolus: Simul (inquit) rapiemur in nubibus
obuiam Christo in aëra, & sic semper cum domi-
no erimus. [*Erat autem diebus docens in templo, noctibus
verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. Et om-*
nis populus

eis populus manicabat ad eum in templo, audire eum.

ARGVMENTVM CAPITIS VIGESIMI SECVNDI.

Iudas cum Iudæis super Iesu traditione paciscitur. Christus cœna facta à Iuda post orationem in monte Iudæis traditur, ad Caipham ductus, à Petro negatur, & facie velatus colaphis cæditur.

CAPVT. XXII.

A*Ppropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.*] Sic autem appropinquabat, vt esset post biduũ, sicut alij duo apertius consonant. Lucas nõ expressit biduum, sed hanc propinquitatẽ quam commemorauit, in ipso interuallo bidui debemus intelligere. [*Et quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo eum interficerent: timebant verò plebem. Intrauit sautem atanas in Iudam qui cognominabatur scarioth, vnum de duodecim, & abijt & loquutus est cum principibus Sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit. Et quærebat opportunitatem vt traderet illum sine turbis.*] Ecce vbi ostenditur quod iam intrauerat satanas in Iudam. Prius ergo intrauerat, immittendo in cor eius cogitationẽ qua traderet Christũ: talis enim iã venerat ad cœnãdum. Post panẽ autẽ intrauit in eum, nõ ad hoc vt alienum tentaret, sed vt propriũ possideret. Non autem vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus accepit: intelligendũ est enim quod iam omnibus eis distribuerat dominus sacramen

Tomo.4. De Conf. Euan.li.2. Cap.78. Matth.26. Marc. 14.

Tomo.9. In Euang. Io.Trac.62

tum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat (sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat) ac deinde ad hoc ventum est, vbi secundum narra-

Ioan. 13. tionem Ioannis apertissimè dominus per bucellā tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem. [*Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans:*] Quod verò Marcus

Tomo. 4. De Con. Euā. li. 3. c. 5 lagenam dicit, quod Lucas amphoram: Ille vasis genus, ille modum significauit, vterque tamen veritatem sententiæ custodiuit. [*sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliâs domus: dicit tibi magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt*

Marc. 14.

Tomo. 9. In Euang. Io. Trac. 55 *Pascha.*] Pascha autem fratres, non sicut quidā existimant Græcum nomen est, sed Hebræū. Oportunissimè tamē occurrit in hoc nomine quædam congruentia vtrarumque linguarum. Quia enim passio Græcè πασχιν dicitur, Ideo Pasch a passio putata est, velut, hoc nomine à passione sic appellatum esset. In sua verò lingua, hoc est, hebræa, pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primum pascha celebrauit populus Dei, quando ex

Exod. 13. Aegypto fugiens, rubrum mare transiuit, [*Et cùm*

Exod. 14. *facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cùm eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis: quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam com-*

memoratione

memorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.] Gaudete dilectissimi & exultate in Dño, qui nobis in hac cœna salutiferæ consolationis mysteria consecrauit. Vnde autem commendauit Dominus corpus & sanguinẽ suum? Vnde, nisi de humilitate sua? Nisi enim esset humilis, nec manducaretur nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbum. Ecce qualis est cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus. Manducãt & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascendere? Quia ergo ad illum panẽ homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse ad hominẽ descendere: & hoc cum ineffabili pietate factum est, quia oportebat vt mensa illa Angelorum lactesceret, & ad paruulos perueniret. Sic ergo fecit sapientia Dei, sic nos per carnis assumptionem pauit pane cælesti. Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panẽ Angelorum manducauit homo: id est, verbum illud, vnde pascuntur Angeli, sempiternum, quod est æquale Patri, manducauit homo. Liquido apparet, quãdo primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honore tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam † exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad ilud sacramentum accipiẽ

Tomo. 10. De Temp. Serm. 127

Iohan. 1.

Iohan. 6.

Ioan. 1.

Psalm. 77

Tomo. 2. Epist. 118. Ad Inquis. Ianuar. li. 1. cap. 6.

† alias cæteri.

1. Corin. 11 dum conuenire debent? aut sicut faciebant quos Apostolis arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Nāque saluator, quò vehementius cōmendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriç Discipulorū, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo nō præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis (per quos Ecclesias dispositurus erat) seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morē nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc Sacramento loquens. Propter quod fratres cum conuenitis ad manducandū inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudiciū conueniatis: statim subiunxit. Cætera autem cùm venero ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multū erat vt in Epistola totum illū agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbē seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, qui nulla morum diuersitate variatur. Vnusquisq; vero ātequā corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi accipiat seipsum probet, & secundū Apostoli præceptum, sic de pane illo edat, & de calice bibat: quia qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quando enim illud accipere debemus, ātea ad confessionem & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata noxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem & veram pœnitentiā abluere: ne cum Iuda proditore, diabolum inter nos celantes, pereamus: protrahentes & celantes peccatum nostrum de die in diem. [*Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit. Veruntamen væ homini*

1. Corin. 11

Tomo. 4. De Salut. Documen. cap. 33.

1. Corin. 11

mini

mini illi per quem tradetur.] O induratam frontem ta lia de se audire, & adhuc delectatur accumbere. Videt publicari suam conscientiam, & adhuc ma num porrigit ad buccellam. Tu Iuda quem possedit cupiditas, omnia in te nouit diuinitas: sed væ tibi in quo semel perijt humanitas. [*Et ipsi cœperunt quærere, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*] In Christo, fratres mei, maxime nobis humilitas cō mendatur, Viā enim nobis fecit per humilitatem: quia per superbiā recesseramus à Deo redire ad eum nisi per humilitatē non poteramus, & quem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, vel Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis: vt vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. [*Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*] Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Quotiens ergo, Domino dispēsante, tribulari permittimur, vel aliquas aduersitates cōtra iustitiā sustinemus, patienter & ęquanimiter (auxiliante Domino) sufferamus, propter illud quod Apostolus ait: non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futurā gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nemo enim potest coronari, nisi qui legittimè certauerit, Nullus

Tomo. 10. De Temp. Serm. 121.

Tomo. 8. Psalm. 33. Genes. 3.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 105 Eccle. 27. Rom. 8.

Tomo.10. Ius autem legittimè certat, nisi qui in campo vsq;
Ad Frat. ad finem certat: & si certat vsque in finem, legitti
in Herem. mè certat, ideo meritò coronatur. Non est igitur
Serm.8. magnum bonum inchoare quod bonum est, sed
2.Timo. 2 cōsummare hoc solum perfectum est. Multi enim magna aggrediuntur, sed deficiunt in via: multi exeunt in desertum, sed pauci perueniunt ad terram promissionis. O fratres mei non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum. [*Et ego dispono vobis sicut disposuit*
Tomo.8. *mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meā*
Psal. 121. *in regno meo: & sedeatis super thronos.*] Thronos Græci, sellas dicunt, tanquam honorabiles. [*Iudicantes duodecim tribus Israel.*] Has enim populus Israel duo-
Tomo.8. decim habebat, secundum filios Iacob. Sed noli-
Psal.90. te putare puod ipsi soli sedebunt iudicantes. Vbi
1.Cor.15. enim sedebit Paulus Apostolus, qui plus illis omnibus laborauit, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Ille enim tertiusdecimus est, Nam ex duodecim ce-
Act.1. cidit Iudas: in locum autem Iudæ traditoris Matthias ordinatus est, vt in Actibus Apostolorum legimus. Impletę sunt duodecim sedes: non ibi sedebit qui plus omnibus laborauit? An duodecim sedes perfectio est tribunalis? Nam milia sedebunt in duodecim sedibus. Sed vnde mihi probas, ait aliquis, quia & Paulus inter iudices erit? Audi illū dicentem: nescitis quia Angelos iudicabimus, in-
1. Cor. 6. quit. Et ipse non dubitauit in præsumptione, quia credidit computari se inter illos qui iudicabunt
† Ecclesiæ. cum Christo. Qui ergo iudicabunt cum Christo, Principes † Ecclesiarum sunt, perfecti sunt. Tali-
Matth.19. bus dixit: si vis esse perfectus, vade, vende omnia tua,

tua, & da pauperibus. Quid est, si vis esse perfectus? Vis mecum iudicare, & non iudicari. Ille enim contristatus abscessit. Sed multi hoc fecerũt, & multi hoc faciunt. Ergo isti cũ illo iudicabunt. Sed multi promittunt sibi quia cum Christo iudicabunt, quia dimittunt omnia sua & sequuntur Christum: sed habent præsumptionem de se, habent quendam typum & superbiam quam Deus solus potest nosse, & non possunt euitare dæmonium meridianum, id est, casum feruentis caloris nimiæ persecutionis. Tales multi cùm essent illo tempore qui distribuerunt omnia sua pauperibus, & sibi iam promittebant quia sessuri erant cum Christo & iudicaturi gentes, feruente calore persecutionis (tanquã à dæmonio meridiano) defecerunt in tormentis, & negauerunt Christũ. *Psal. 90.*

[*ait autem dominus Simoni: Simon, ecce sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*] Quid est, vexare sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primum attritum vt panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primo per tribulationes euerterit, conterit vt manducet. Tu autem quando tribularis, si maneas granum, non conturberis, nihil tibi contingit. Quomodo quando boues triturant, nunquid in solum triticum intrant? simul mittũtur cum tribula in area. Sed nunquid timendum est tritico? Absit. Non conciditur, nisi palea à tritico spoliatur, superfluit, & veniet ventilatio, & inueniet puram massam. Quem inuenit granum, mittit in horreum suum, & aceruũ paleæ comburet igni inextinguibili. *Tomo. 8.* *Psal. 110.* *Matt. 3.*

[*Qui dixit ei: Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et dixit illi: dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.*]

Videte

Tomo. 10. De Temp. Serm. 124. Videte fratres chariſſimi, verus & cæleſtis medicus venam cordis inſpexerat, & qua hora tentationis pondus, vel infidelitatis frigus venturum eſſet, prædixerat. Medicus prædicebat, ægrotus negabat. Sed vbi ad horam ventum eſt, falſum fuit quod promiſerat homo, & verum apparuit quod prædixerat Deus. Quid enim homo ſine gratia Dei poſſit, timor beati Petri Apoſtoli euidenter oſtendit. Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adiutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum.

Eſai. 40. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cùm negaret Chriſtum? Et niſi quod ait Propheta: omnis caro fœnum. Et ideo beatum Petrum paululum Dominus ſubdeſeruit, vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine Dei gratia præualere: Et vt Eccleſiæ rectori futuro, ignoſcendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ, imo creditæ ſunt ei claues regni cælorum. *Matth. 16.* Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vitijs, paſſionibus, culpis inuoluta atque peccatis. Denique ſic ad eum Saluator dicit: tibi (inquit) dedi claues regni cælorum. Deinde ſequitur, dicens: quæcunq; ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo: *Ibidem.* videlicet vt in clauibus fidelis ianitor, in ſententijs eſſet clementiſſimus diſpenſator. Erat enim, re vera, hic Petrus paulo durior & ſeuerus, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui principis Sacerdotũ declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque ſeuerus, ſi dono non peccandi à domino fuiſſet indemptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcirco diuinæ prouidẽtiæ ſecre-

tum ita temperauit, atq; permisit, vt primus ipse laberetur ac rueret in peccatũ, quo erga peccãtes duriorẽ sententiam, proprij casus intuitu, temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga salutẽ hominum, quantum curæ quantumque solicitudinis impẽdatur, aduertite. Totius corporis morbum, in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo qui dixerat: & iã si me oporteat mori tecũ, nõ te negabo. [*Et dixit eis: quando misi vos sine sacculo & pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* At illi dixerũt: nihil. *Dixit ergo eis: sed nũc qui habet sacculũ tollat, similiter et perã. Et qui non habet, vendat tunicã suã, & emat gladiũ. Dico enim vobis, quoniã adhuc hoc quod scriptũ est, oportet impleri in me: et cũ iniquis deputatus est. Etenim quæ sunt de me finem habent. At illi dixerũt: domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: satis est.*] *Matth. 26*
Sciens Dominus bellũ Iudaicũ aduersus se futurũ, dixit Discipulis suis vt gladios sibi pararẽt. Sed quid opus erat, vt hic qui spiritali fretus erat virtute, gladios iuberet parari carnales? Et qui prius iussit in via nec peram ferri, nec pecuniam, nec virgam: nunc iuberet haberi quæ prius prohibuit? Incipiamus ergo, cur gladios iusserit parari, & occidi prohibuerit, explanare. Non solum enim inimicorum, verum etiam ipsorum Discipulorum suorũ causa, ad superuenturum bellũ arma procurari præcepit. Noua enim & mirabilis res futura erat, vt is qui noua & inaudita signa faciebat, sic subitò humiliaretur, vt & verberibus subijceretur & morti. Ne ergo velut impræscius hęc pati videretur, & à quo forte virtus recessisset: hæc õnia sic prædixit, vt nõ dubitaret de his, sed præscius cõtra hæc se pararet, & quia voluntarie humiliatus *Tomo. 4. Qu. Vet. et Noui Testamen. Quæstio. 104. Luc. 9.*

liatus est, non resistere acrius inimicis iuberet: in tantum se ipsum esse qui fuerat ostendens, vt iam detentus, aurem quæ abscisa fuerat, restitueret: vt quod gladio operante deciderat, redderet, nó quasi carnalis vtique medicus, sed quasi corporũ conditor opus suum truncatũ refinxit. Nec enim possunt medici abscissa corporis membra reparare. Vt autem Dei virtus in illo non diminuta, sed ita vt fuerat inesse videretur, & illud firmaret q̃

Ioan.10. dixerat. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hac ergo causa gladios parari, non tamen occidi iussit. [*Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum. Sequuti sunt autem illum & discipuli. Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et*

Tomo, 4. Qu. Euan. li.2.ca.50 *ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.*] Quod dixit Dominus Discipulis: orate, ne intretis in tentationem, & ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: tanquam hoc eos admonuerit, vt in eũ dirigerent lapidem, id est, vsque ad eum perducerent intentionem legis, quæ scrripta erat in lapi-

Deut.9. &.10. Rom.10. de: vsque ad illum enim potest peruenire ille lapis, quoniam finis legis est Christus ad iustitiã omni credenti.

Tomo.5. De Ciuit. Dei. lib.16 cap.2. [*Et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me.*] Per calicem (sine dubio) suam significat passionem. [*Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*] Meritò ergo per vnius obedientiam iusti constituuntur multi.

Tomo. 2. Epist.121. De Orãdo Deo ad Probam. ca.14 [*Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*] Quid ostendebat quando per corpus o-

Tomo. 3. De vera Innocencia. Sentẽt.68. rantis globi sanguinis distillabãt, nisi quia corpus eius, quod est Ecclesia, martyrum iam sanguine defluebat. Orans cum sudore sanguineo Dominus Iesus Christus, significabat de toto corpore, quod

quod est Ecclesia, emanaturas martyrũ passiones. [*Et cũ surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum.*] Proditorem osculo libenter suscepit, non quia Deus, Dei filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat. [*Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis tradis?*] Fũgebaris disciplina virtutis, & discipulus factus es concilij iniquitatis? Officio sanguinẽ fundis? pro pignore amoris vulnus infligis? pacis argumẽto mortẽ immittis? seruus dominũ tradis? discipulus magistrum prodis! Vtiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. [*Videntes autem ij qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculã eius dexteram. Respondens autem Iesus ait: sinite, vsque huc.*] Non moueat quasi contrarium sit, quod Lucas dixit, Interrogantibus discipulis, si percuterent in gladio, Dominũ respondisse, [*sinite, vsque huc:*] quasi post illam percussionem, ita dictum fuerit, vt placuerit ei vsque huc factũ, sed amplius fieri noluerit: Cùm in verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur potius totũ factum quo vsus est gladio Petrus, domino displicuisse. Illud enim verius est, quod cùm eum interrogassent, dicentes: [*Domine si percutimus in gladio.*] Tunc respondit: [*Sinite vsque huc,*] Id est, Non vos moueat quod futurum est, permitttendi sunt huc vsque progredi, hoc est, vt me apprehendant, & impleãtur quæ de me scripta sunt. Sed inter moras verborum interrogantiũ Dominum, & illius respondentis, Petrus, defensionis auiditate, & maioris pro domino commo-

Tomo. 10. De Temp. Serm. 117.

Prouer. 27

Tomo. 4. De Cons. Euan. li. 3. Cap. 5.

Matth. 26.

tione, percussit: Sed non potuerunt etiã simul dici, quæ simul fieri potuerunt. Non enim diceret: [*Respondens autem Iesus,*] nisi illorum interrogationi responderet, non facto Petri. Nam de facto Petri

Matth. 26. quid iudicauerit, Matthęus solus dicit. Vbi etiam non dixit Matthæus: Respondit Iesus Petro, Conuerte gladium tuum, sed dixit: tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuũ, quod post factum apparet dixisse Dominum. Illud verò quod Lucas posuit: [*Respondens autem Iesus, ait: Sinite vsque huc,*] Illis qui interrogauerãt responsum esse, accipiendum est. Sed quia (vt diximus) inter verba interrogantium & respondentis Domini, facta est vno ictu percussio, hoc ordine iudicauit esse narrandum, vt etiam inter verba interrogationis & responsionis eam insereret. [*Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.*]

Tomo. 10. De Temp. Serm. 117. Gene. 1. 2. Limus suum agnoscit cooperatorem, & caro suã sequitur operatricem. Iubere potuit, operari maluit, qui è limo terræ corporis membra formauit: qui hostes suos non passus est vulnerari, Illi iusto mortẽ inferebãt, persecutorũ vulnera iste sanabat. [*Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se principes Sacerdotũ & magistratus templi & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus: cùm quotidie vobiscũ fuerim in templo, non extendistis manus in me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.*]

Tomo. 3. De vera Innocentia. Sent. 370. Omne tempus ab illo est dispositum qui tempori subditus non est: Quoniam quæ futura erant per singula tẽpora, in Dei sapientia habẽt efficaces causas, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hora passionis Domini fato vrgente venisse, sed deo potius ordinante. Non enim causa necessitatis Christo intulit crucem, nec sidera coegerunt mori siderum conditorem: qui in tẽporalis cũ patre, sic tempus quo carne, moreretur, quemadmodum & quo de matre nasce-

ere nasceretur, elegit. [*Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis Sacerdotum.*] Ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba Tribunus & cohors, & ministri Iudæorum, sicut Ioannes commemorat. [*Petrus verò sequebatur eum à longe.*] Neque enim negare potuisset, si Christo Domino adhæsisset. Quòd ad passionem euntē dominum à longe sequebatur Petrus: significat Ecclesiam sequuturam quidem, hoc est, imitaturam passionem Domini, sed longe differenter: Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia.

Tomo. 4. De Cons. Euan. li. 3. Cap. 6. Ioan. 18. Tomo. 10. De Temp. Serm. 117. Tomo. 4. Qu. Euāg. li. 1. ca. 46

[*Accenso autem igne in medio atrij, & circunsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: & hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum.*] Quid agis ô Petre, futuræ rector Ecclesiæ? quid loqueris? Intuere quid sis interrogatus, vel quid interroganti responderis. Vox tua repente mutata est. Hoc est omne illud quod citò, sed nō cauto sermone promiseras? Hoc est totum quod etiam omnibus negantibus te, vsque ad mortē perseuerare iuraueras? Nondum fidē tuam aliquis tentauit atque discussit, nondū te ob Christi confessionem aduersarius traxit ad publicum, nondum es apud Reges & Præsides propter nomen eius exhibitus. Non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta. Quis porrò est qui te interrogat, quod tam citò negasti? Non est seruus, non liber, non Pharisæus, non Scriba, non Sacerdos, non Miles, non Centurio, non spiculator: nullus postremo eorum qui autoritate sua posset formidinem incutere confitenti. Mulier te simplici voce interrogat, & fortasse nec proditura confessum. Nec verò tantum mulier, sed puella, & non tantum puella, sed

Tomo. 10. De Temp. Serm. 124.

Ioan.18. ostaria, vile procul dubio & abiectum mancipiũ. O res stupenda! pu ella accedens fidẽ Petri discussit: & mirũ si soliditatẽ Petri nõ turbo, nõ imber sed roris leuissima gutta transfixit. Petrus labia puellæ non sustulit, sed vbi loquuta est, ille turbatur. Processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est. Veruntamen instabat illa interrogans, & dicebat: Et tu hesterno cum homine hoc eras? Petrus autem eo magis oppressus formidine, hominem se scire negauit. [*Et post pusillum, alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente, cantauit gallus.*] Negat territus Christum, qui se promiserat animam pro eo positurum. Prostrauit eũ anicula decrepita, quasi grauis febricula. Pressit eum lethargicus somnus, & cœpit eum præco impiger matutinus. Audit gallum cantantẽ, & vidit se discipulus dominum offendisse. Sub ancilla cœpit põdere vergi atque demergi. Non erat qui adiuuaret, nisi de interioribus prætorij Petrum Dominus respexisset. [*Et conuersus Dominus, respexit Petrum.*] Sane in eo quod ait Lucas, quod [*conuersus Dominus respexit Petrum,*] quomodo accipiendum sit, diligẽtius considerandum est. Quamuis enim dicantur etiã interiora atria, tamen in exteriore atrio fuit Petrus inter seruos, qui simul se ad ignem calefaciebant. Non est autẽ credibile quod vbi audiebatur Dominus à Iudæis, vt corporalis fieret illa respectio. Namque cùm dixisset Matthęus: Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt: alij autẽ palmas in faciem eius dederunt, dicẽtes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Secutus est, dicens: Petrus verò sedebat

Tomo. 10. De Temp. Sermo.121.

Tomo.4. De Conf. Euan.li.3. Cap. 6.

Matth,26.

ro sedebat foris in atrio. Quod non diceret, ni- *Ibidem.*
si illa cum domino intus agerentur. Et quantum colligitur in narratione Marci, non solum in interioribus, sed etiam in superioribus, domus agebantur. Nam posteaquam Marcus talia narrauit, sequutus ait: Et cùm esset Petrus in *Marc. 14.*
atrio deorsum. Sicut ergo eo quod Matthæus *Matth.26.*
ait, Petrus verò sedebat foris in atrio, ostendit, *Marc.14.*
quod ea intus agerētur: sic eo quod dicit Marcus, Et cū esset Petrus in atrio deorsum, ostendit, non solum in interioribus, sed etiā in superioribus gesta quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Dominus Petrum facie corporali? Quapropter mihi videtur illa respectio diuinitus facta, vt ei veniret in mentem quotiens iam negasset, & quid ei Dominus prædixisset: atque ita domino misericorditer respiciente, pœniteret eum, & salubriter fleret. Sicut quotidie dicimus: domine, respice in me. Et, respexit eū dominus, qui de aliquo periculo vel labore, diuina misericordia, liberatus est. Et sicut dictum est: Respice, & exaudi me, & conuertere *Psal.12.6.*
Domine, & libera animam meam. Ita dictum arbitror: Conuersus Dominus respexit Petrū. [*Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priusquam gallus cantet, ter me negabis.*] Denique cū frequentius soleant Euangelistæ in narrationibus suis ponere Iesum quàm Dominum, modò Lucas dominum posuit, dicens: [*Conuersus Dominus respexit Petrum, Et recordatus est Petrus verbi Domini.*] Matthæus autem & *Matth. 26.*
Marcus quia de ista respectione tacuerūt, non ver *Mar.14.*
bi domini, sed verbi Iesu eum recordatū esse dixerunt: Vt etiā ex hoc intelligamus illam respectionē à Iesu, non humanis oculis, sed diuinitus factā. *Tomo. 10.*
[*Et egressus foras Petrus fleuit amarè.*] Maluit ipse suum *De Temp.*
accusare peccatū, vt iustificaretur fatendo quam *Serm.117.*
 grauarè- *& 124.*

grauaretur negãdo lachrymas lego, ſatisfactionẽ non lego. Petrus negauit in nocte, ſed confitetur in die. Agnouit enim ſibi vt homini, peccati irrepſiſſe pernitiẽ: quod totum hactenus (vt memini) diuinitus procuratũ eſt. Videte ergo fratres chariſſimi, quemadmodũ exiguæ culpæ permittitur ſubiacere tantus Apoſtolus, & emendatus elationis vitio atque correctus integro veſtiatur moderationis & clemẽtię indumento. Iã enim eruditus
Matth.16. es & edoctus in Petro, quẽadmodum eum dominus tui cauſa patitur circunſcribi delicto, quẽadmodum illum fidei pietatisq; ſigniferum et generis humani columnã permiſerit, metu dominãte, quaſſari, vt populorum doctoribus & magiſtris eſſet exẽplum, à deo ſibi non peccandi gratiã mi-
Galat.6. nime condonatã, ſicut dicit Apoſtolus Paulus: cõſiderans te, ne & tu tenteris. Cum forte quis fuerit in Eccleſia delicto præuentus, non ſtatim abijciat, non condẽnet: ſed cõpatiatur ac lugeat, cõſoletur & reuocet: Cõmodet iacenti affectum, porrigat manũ, erigat lapſum ſpẽ ei diuinæ clemẽtiæ repromittẽs, ſub qua etiã ſeruire exẽplo tãtorum cõprobat magiſtrorum. Hæc autem nos (vt ſupra memorauimus) nõ iuſtos culpãdo, ſed peccatores ad ſpẽ erigendo, protulimus. Et primo quidẽ virtutes eius extulimus, vt & Iuſtis formã cautelæ, & peccatoribus ſalutis mõſtraremus exemplum.
[*Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, et velauerũt eum & percutiebant faciem eius, & interrogauerunt eum, dicentes: Prophetiza, Quis eſt qui te percuſsit? Et alia multa blaſphe-*
Tomo.4. *mantes dicebant in eum.*] Hæc intelligitur paſſus domi
De Conſ. nus vſq; ad mane in domo principis Sacerdotum,
Euan.li.3. quo prius adductus eſt: vbi etiã Petrus tẽtatus eſt.
Cap. 6. [*Et vt factus eſt dies, conuenerunt Seniores plebis et principes Sacerdotum et Scribæ, et duxerunt illum in conciliũ ſuum, dicentes:*

ſi tu es

si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.] Intellige dexterã, ne quæras ibi sinistram. Dextera dei dicitur æterna fœlicitas. Dextera dei dicitur Ineffabilis, inæstimabilis, incõprehẽsibilis beatitudo atq; prosperitas. Hæc est dextera Dei. Ibi sedet. Quid est, ibi sedet? Ibi habitat. Sedes enim dicuntur, vbi quisq; habitat. [*Dixerunt autem omnes: tu ergo es filius Dei? Qui ait: vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.*] *Tomo. 10. De Temp. Serm. 119.*

ARGVMENTVM CAPITIS VIGESIMI TERTII.

Pilato mane præsentatus & interrogatus innocens reperitur, attamen Barabba dimisso crucifigendus traditur, crucifixus ridetur, moritur, deponitur, & sepelitur.

CAPVT. XXIII.

E*T surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatũ. Cœperunt autem accusare eũ, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostrã, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.*] Forsitan mirum videtur nobis fratres, cur dominus apud præsidẽ Pilatum à principibus Sacerdotum accusetur, nec aliquem iam eorum responsione conuincat: cum vtique ingratam accusationem non nisi repellere solet subsequuta defensio. Mirum, inquam, sit fratres, quod arguatur Saluator & taceat. Taciturnitas enim negat quod obijcitur, cùm non vult respondere quod quæritur. Accusationem suam Dominus ta- *Tomo. 10. De Temp. Serm. 118.*

 cendo

cendo non firmat, sed despicit nō repellendo. Bene enim tacet, qui defensionē non desperat. Ambiat defendi, qui metuit superari. Festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cùm condemnatur, exuperat: cum iudicatur, vincit: sicut ait Propheta: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudiciū, cui ipsum iudicium erat plena victoria?

Psal. 50.

[*Pilatus autem interrogauit eum, dicens: tu es Rex Iudæorū? At ille respondens: ait: tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine.*] Vicit ergo cū iudicatur Christus, quia sic innocens approbatur. Melior est igitur causa quæ non defenditur, & probatur: plenior iustitia quæ nō verbis astruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa veritas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quæ & in malis causis obticere cō sueuit. Nolo sic defendi iustitiā, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, nō rationis est sed virtutis. Sciuit enim Saluator, qui est sapiētia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret: atque ideo causam suā maluit approbare, quàm dicere. [*At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam incipiens a Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset.*] Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth ciuitate erant parentes eius. Secundum Mariā dixi parentes, non secundum virile semen. Non enim quæsiuit in terra patrē, quia iam habebat desuper patrē. Nam vtraque eius natiuitas mirabilis fuit: diuina, sine matre: humana, sine patre. [*Et vt cognouit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod*

1. Corin. 1.

Tomo. 10. De verbis Domini Serm. 47.

quod audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus, at ipse nihil ei respondebat. Stabant autem principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad inuicem.] Tunc enim iniusti secum concordant, quando in perniciem iusti conspirant: non quia se amant, sed quia eum qui amandus erat, simul oderunt. Tomo. 8. Psal. 36. [*Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos: obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto ex ijs in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem.*] O cæcitas Iudæorum, ô furia phreneticorum: Noli ipsum dimittere, sed Barabbam. Fuit autẽ Barrabas (vt Euãgelista narrat) insignis latro. Quid fuit aliud dicere, quã occidatur Christus Saluator, quia suscitauit mortuũ: dimittatur latro, vt iterum properet homicidium? Tomo. 9. De Symb. ad Cathe. li. 3. Ca. 5. Ioan. 18. [*Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eũ, qui propter homicidiũ & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. Iesum verò tradidit voluntati eorum.*] Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reũ addixisse nequitiæ: nisi Tomo. 10. De Temp. Serm. 116.

quod grauius peccatũ eſt vnum eundemq́; et pronũciare iuſtũ, & tradere criminoſis? Ipſe enim iniquitatis ſuę teſtis eſt, qui ore abſoluit, et corde cõ-

Matth.27. dẽnat. Lauerit licet manus Pilatus, tamen ſua facta nõ diluit. Quãuis abſtergere ſe putauerit iuſti ſanguinẽ de ſuis membris, eodem tamẽ ſanguine mẽs eius tenetur infecta. Ipſe enim occidit Chriſtum, qui eũ tradidit occidendũ. Iudex enim bonus & conſtans, ne ſanguinẽ innocẽtis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timere. [*Et cũ ducerent eũ, apprehenderũt Simonem quendã Cyrenenſem venientem de villa, et impoſuerũt illi crucem portare poſt Ieſum. Sequebatur autem illũ multa turba populi & mulierũ, quæ plangebãt & lamentabantur eũ. Conuerſus, autem Ieſus ad illas, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniã ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles, & ventres qui nõ genuerunt, & vbera quæ nõ lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos: & collibus, operite nos, quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem et alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et poſtquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.*]

Cuius rei cauſa non in tẽplo offertur hæc hoſtia,

Tom. 10. ſed extra ciuitatẽ & extra muros? Vt illud adim-

De Temp. pleretur, quod ſcriptum eſt: quoniã inter iniquos

Serm 130. deputatus eſt. Cuius igitur rei cauſa in altitudine

Iſai.53. crucis immolatur, & nõ ſub tegmine ædificij? Ob hoc ſcilicet, vt aëris naturã mundaret, propterea non in altari, nec tecto ſuperpoſito, ſed ſub cælo. Aër enim purgabatur, cum in altitudine immolaretur ouis: terra etiã purgabatur, † quando ſtillabat ſanguis domini ſuper eã. Ideo nõ ſub tegmine neq; in tẽplo Iudæorum, vt non ſubtraherent ſacrificium ſalutare Iudæi: neq; exiſtimes pro illa tã-

† quia

Hebr.13. tummodo gẽte hãc hoſtiã offerri. Propterea enim

extra

extra ciuitatem & extra muros, vt intelligas quia *Deut. 12.*
cõmunis est hostia pro genere humano oblata: &
ideo cõmunis est purificatio, non ex aliqua parte,
quẽadmodum fuerat in Iudæis. Nam Iudæis ideo
pręcepit deus relinquere vniuersam terrã, & in vno loco offerre sacrificia, et vota reddere: quoniã
immunda erat tunc vniuersa terra fumo ararũ &
nidore bustorũ, cæterorũq; coinquinatorum, eorum quæ de profanis Gentilium sacrilegijs inferebãtur super eã. Nobis verò iã, cùm Christus adueniens vniuersam terrã expiauit, omnis locus oratoriũ factũ est. Et idcirco B. Paulus hortatur, & *1. Timo. 2.*
præcipit, sine intermissione orare vbique, dicens:
Volo orare viros in omni loco, leuantes manus
sanctas: videsquomodo mundatꝰ est orbis terrarũ.
Et ideo vbiq; santas manus leuare possumꝰ quoniam vniuersa terra sanctificata est, vt sanctior sit,
quã illa quæ in interioribus tẽpli veteris erãt sancta sanctorũ. Ibi namq; irrationabile animal, ouis,
offerebatut, hîc autẽ spiritalis oblata est. Et quãto
maior est oblatio, tãto & eminẽtior sanctificatio.
[*Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis. Non enim sciũt quid faciunt.*] Pendens in cruce videbat oẽs inimicos, sed *Tomo. 10.*
multos ex illis futuros amicos præuidebat, ideo *De Sanctis*
omnibus veniã postulabat. Illi sęuiebãt, et ille orabat. Illi dicebãt Pilato, crucifige: ille clamabat, Pater ignosce. In clauis asperis pẽdebat, sed leuitatẽ *Serm. 4.*
nõ amittebat. Illis iã petebat veniã, à quibus accipiebat iniuriã. Illi sæuiebãt, illi circũlatrabãt, illi
insultãdo caput agitabãt ꝙ † sanctum nõ habebãt † sanum
quia caput ꝙ est Christus non habebant: & quasi
in vno summo medico, in medio cõstituto, phrenetici circunquaq; seuiebãt: pendebat ille, et sanabat. Pater (inquit) ignosce illis. Nõ enĩ sciunt quid *Tomo. 8.*
faciũt. Quẽ petit? Pro quibꝰ petit? Quis petit? Vbi *Psal. 85.*
petit?

petit? Patrem, filius: pro impijs crucifixus. Inter ipsas iniurias, non verborum sed mortis illatæ. Pendens in cruce, tanquã ad hoc extentas manus habuerit, vt sic pro illis oraret, vt dirigeretur oratio eius, tanquã incensum in conspectu patris, & eleuatio manuum eius sacrificium vespertinum. *Psal. 140.* [*Diuidentes vero vestimenta eius, miserunt sortes.*] Vestimenta eius, Sacramenta ipsius. Attendite fratres, vestimenta ipsius, Sacramenta ipsius potuerunt diuidi per hæreses: Sed erat ibi vestimentũ quod nemo diuisit. Et super vestimentum meum miserunt sortẽ. Erat ibi tunica (dicit Ioannes) desuper texta. Ergo de cælo, ergo à Patre, ergo à Spiritusancto. Quæ est ista tunica, nisi charitas, quã nemo potest diuidere? Quæ est ista tunica, nisi vnitas? In ipsam sors mittitur, nemo illam diuidit. Sacramenta sibi hæretici diuidere potuerunt, charitatem non diuiserunt. Et qui diuidere non potuerunt, recesserunt: illa autẽ manet integra. Sorte obuenit quibusdam. Qui habet hanc, securus est. Nemo illam mouet de Ecclesia catholica. Et si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus oliuæ à columba. *Tomo. 8. Psal. 21. Psal. 21. Ioan. 19. Genes. 8.* [*Et stabat populus expectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.*] Quia principes dixit, nec addidit Sacerdotũ: magis nomine generali omnes primates complexus est, vt ibi possint intelligi & Scribæ & Seniores. *Tomo. 4. De Con. Euan. lib. 3. Cap. 15.* [*Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis: hic est Rex Iudæorum.*] Vt omnes qui transirent, legerent gloriã Regis: & ad ignominiam ipsorum Iudæorum, qui reijcientes verum Regem, elegerunt vulpẽ Cæsarem. *Tomo. 8. Psal. 62. Iohan. 19.* [*Vnus autem de ijs qui pendebant*

bant latronibus blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluũ *Tomo. 4.*
fac te ipſum & nos.] Quomodo ergo ſicut Matthæus *De Conſen.*
dicit: latrones qui crucifixi erant cum eo impro- *Euan li. 3.*
perabant ei: vel ſicut Marcus dicit: & qui cum eo *Cap. 16.*
crucifixi erãt, conuitiabãtur ei? Quandoquidem *Matth. 27.*
vnus eorũ conuiciatus eſt, ſecundũ Lucæ teſtimo *Marc. 15.*
niũ, alter & cõpeſcuit eum, & in dominũ credi-
dit? Niſi intelligamus Matthęũ & Marcum breui-
ter perſtringẽtes hũc locũ, pluralem numerũ pro *Hebr. 11.*
ſingulari poſuiſſe. Sicut in Epiſtola ad Hebræos
legimus pluraliter dictũ: clauſerunt ora leonũ, cũ
ſolus Daniel ſignificari intelligatur. Et pluraliter *Dan. 6. 14.*
dictũ, ſecti ſunt, cũ de ſolo Iſaia tradatur. In Pſal- *In vita Pa.*
mo etiã quod dictum eſt: aſtiterunt reges terræ, *Pſal. 2.*
& principes conuenerunt in vnum &c. Pluralem
numerũ pro ſingulari poſitũ, in Actibus Apoſto- *Act. 4.*
lorũ exponitur. Nam Reges propter Herodẽ, prin
cipes propter Pilatũ intellexerunt, qui teſtimoniũ
eiuſdẽ pſalmi adhibuerunt. Sed quia & Pagani ſo
lent calumniari Euãgelio, videant quẽadmodum
loquuti ſunt autores eorum: Phedras, Medeas, &
Clytemneſtras, cùm ſingulæ fuerint. Quid autem
vſitatius, verbi gratia, quã vt dicat aliquis: & ru-
ſtici mihi inſultãt, etiã ſi vnus inſultet? Tunc enim
eſſe contrariũ quod Lucas de vno manifeſtauit, ſi
illi dixiſſent, ambos latrones conuiciatos domi-
no. Ita enim non poſſet ſub numero plurali vnus
intelligi. Cùm verò dictũ eſt, latrones, vel, qui cũ
eo crucifixi erant, nec additũ eſt, ambo, nõ ſolum
ſi ambo feciſſent, poſſet hoc dici, ſed etiã quia v-
nus hoc fecit, potuit vſitato loquutionis modo
per pluralẽ numerũ, ſingularis ſignificari. [*Reſpon-
dens autem alter increpabat eum, dicens: nec tu times Deum, qui
in eadem damnatione es. Et nos quidem iuſtè, nã digna factis reci* *Tomo. 10.*
pimus. Hic verò nihil mali geßit.] Audiſtis latronẽ & la-

tronem,

tronem,ambos,in cruce,ambos ex conuersatione latronum,ambos ex eadē malignitate venientes:sed iam nō ambo in ijsdē mentibus & meritis sunt cōstituti. Nam alius quidē regnū adipiscebatur,ali⁹ vero in gehennā mittebatur.Ita & pridie in discipulis simile discrimen fuit . Nam & Iudas quidē discipulis fuit,vt illi vndecim,sed illi quidē
Luc.22. dicebāt domino:Vbi vis paremus tibi pascha mā
Matth.26. ducare?Iste verò ad tradendū dominū se præparabat,& dicebat: Quid vultis mihi dare,& ego vobis eū tradā:Et illi quidē ad ministerium diuinū se pręparabāt,hic autē ad tradendū festinabat.Ita& in hoc loco,latro et latro,sed vn⁹ quidē im̄ꝑperabat,alius adorabat.Alius blasphemabat,alius laudabat & blasphemantē,corripiebat,dicēs:[*Nec tu times Dominū tuum?*] Vidisti fiduciā latronis, vidisti liberā voluntatē in cruce. Audisti philosophiā in tribulatione,& reuerētiā diuini timoris in supplicio.Quoniā quidē in seipso erat et clauis cōfixus, non sauciū intellectū,neq; confixum sensum habebat.Quis nō admiretur & cōpungatur? Nō solum enim ꝙ in ipso erat,sed & ea quæ circa seipsum erāt relinquēs, de altero curā gerebat in cruce,doctor effectus,& corripiēs et dicēs: [*Nec times Dominū tuum?*] Noli,inquit,attendere iudicio huic qđ deorsum est,alius iudex inuisibilis est.Ne ergo cōsideres,quia deorsum à iudice mortali condemnatus est,nō enim talia sunt superna iudicia . Hìc autē in terreno iudicio et iusti condēnantur,et iniusti effugiunt: & rei dimittuntur, & innocentes puniūtur.Volentes nanq; et nolentes multū errāt qui iudicāt. Ignorantes enim iustitiā seducūtur, vel certè scientes,per auaritiā corrūpuntur,vt sanguinē innocentē vendāt:in supnis vero nihil tale. Iudex enim iustus est,& iudiciū eius tanquā lumē prodijt,

prodijt,nō habens tenebras,neq; ignorantiā. Vt er
go nō diceret,quoniā dānat⁹ deorsum in terris,&
adiudicatus est pœne,perduxit eū ad iudicium su
pernū,cōmemorauit tribunal illud horribile,† tā † tātum
tūmodo dicēs sibi:Respice te,&nō portabis sentē non
tiā dānationis æternę,nec stabis in sorte iudicum
corruptorū, respiciēs ad salutē futurā in superius
iudiciū. Vidisti philosophiā latronis,vidisti intel
lectū et doctrinā:subitò,in ictu oculi,de cruce in
cęlū transiliuit,ita iā ex abundantia receptę iusti-
tiæ proximū illum vel socium quondā suum argu
ens,vt diceret ei:[*Non times,*] inquit,[*quoniā in ipso iu
dicio sumus?*] Id est,In eadē condēnatione. Nōne,in-
quit,& tu in ipsa cruce es? Quamobrē in quo so-
cium increpas pœnæ teipsum pro eo reū statuis.
Quēadmodum enim is qui in peccatis est , si alios
audeat accusare,seipsum ante illos accusat:Ita &
is qui in erūna positus est,si alijs eā(sui oblitus) ex
probrat,sibi ante illos dicit opprobriū:quoniā,in
quit,in ipso iudicio sumus. Quid agis ô latro? Sa-
tisfacere incipiēs,socium tibi dominū fecisti:nō,
inquit, emendo hāc de me opinionē in subsequē
tibus. Nā ne existimes ꝙ propter dānationis cōsor
tiū,criminis cōsortem quoq; fecerit dn̄m,subte-
xuit emendationē dicēs: [*Et nos quidem iustè,*] digna
enī patimur his quę cōmisimus. Vidisti cōfessionē
perfectā, vidisti quomodo in cruce se exuit à pec
catis. Dic,inquit,tu iniquitates tuas prior,vt iusti
ficeris. Nemo cōpulit,nemo vim fecit: sed ipse se *Isai.* 43.
diuulgauit,ipse condēnauit,dicēs:[*Et nos quidē iustè
digna factis recipimus,hic autem nihil mali gessit. Et dicebat ad Ie
sū:dn̄e,memento mei cū veneris in regnū tuū. Et dixit illi Iesus
Amen dico tibi,hodie mecū eris in paradiso.*]Si bene cōspici *Tomo.* 10.
mus,nō illi soli hoc pręstitū esse deprehēdem⁹. Nā *De Temp.*
dū tantū reū benigne relaxat,dum tāto debitori *Serm.* 120
refundit

refundit inanis debiti cautioné, humano generi conſcripſit ſecuritatẽ: vt conſolatio ac ſpes fieret totius populi, abſolutio vnius deſperati, & priuatum domũ in publicũ creſceret beneficiũ. Quare indubitanter credendũ eſt, vt quod latroni illi ad cõmendationem fidei ſuæ venerat, etiã cauſa ſpei noſtræ & vtilitatis acceſſerit. Immenſa enim Dei noſtri bonitas libenter tribuit, quę etiã generaliter profutura prænoſcit. Et ideo iuxta fiduciam tantæ clemẽtiæ ſi quis noſtrum crimina ſua probabili cõuerſatione dãnauerit, & Chriſtum toto corde crediderit, etiam cum latrone in ſemetipſo ingreſſum paradiſi ſe apperuiſſe nouerit. Quantũ auté ſit in ſpe ſalutis humanę magnitudo fidei, & altitudo diuitiarũ miſericordiæ Dei, & patientiæ magnitudo, oſtenditur: cũ hominẽ ſceleribus inuolutũ, pœna miſit ad innocentiã, & offenſa perduxit ad gloriã. Qué ſaluti culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus abſoluit, dãnatio conſecrauit. Sed nõ ſine cauſa tantũ meruit. Videamus quo tẽpore fidelis apparuit. Ecce inter ſigna atq; virtutes, atteſtãtibus miraculis & acclamãtibus, aliquotiẽs in diſcipulis mẽs iã robuſta titubauit: et nũc Chriſti ſupplicijs quodãmodo cõtradicẽtib⁹, in latrone fides nouella cõualuit. Sub ipſo paſſionis tẽpore ab ancilla interrogatus vnus ex diſcipulis B. Petrus, peculiarius Chriſto cognitus, ita reſpondit: Non noui hominẽ iſtum. Et iſte qui ante nõ nouerat, exclamat: [*Memento mei domine cùm veneris in regnũ tuũ.*] Quã ſingularis & quã ſtupẽda deuotio. Sub illo tẽpore credidit reus, quo negauit electus. Laudabilius hoc vtiq; in latrone et magnificẽtius fuit, ꝙ hominẽ addictũ, et inter extrema deficientẽ ſupplicia, Deũ credidit, quã ſi inter virtutũ opera crediſſet. Non itaq; ſine cauſa tantum meruit.

Matth. 26.

meruit. Aduertamus plenius quo tēpore dominū cōfitetur. Feruebat impietas persequentiū, exultabat impietas blasphematū: cōtritio, liuores, & vulnera solū Christum hominē demonstrabāt. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio & reuerenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Euæ manus ad interdictum ligni cibum ingemiscenda seculo transgressione porrectas. Hęc, inquam, confixio, per omnia infirmitatem hominis asserebat. Illisæ per latus lanceæ tremenda percussio, quantum ostendebat hominem, tantum abscondebat Deum. Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalo crucis & mortis. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris. Et ideo adhuc in latrocinijs positus, inuisibilem Deum angelicis iam oculis videt. Illuminarat credo nascentē fidem, lateri iam credentis in Christum propius corpore admota diuinitas, que se largius, sub momēto illo, pro peragenda redemptione infuderat. Videamus autē qualis fuerit ipsa deprecatio confitentis: [*Memento, inquit, mei Domine cùm veneris in regnum tuum.*] Non dixit: si Deus es, de presenti supplicio eripe me: sed magis, quia verè Deus es, de futuro iudicio libera me. Quàm cito eum repleuit sancti Spiritus eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, & si intolerabile probat esse quod sentit, grauius tamen intelligit esse quod metuit. Prædicat seculis Iudicem Regemque seculorum: nondum vocatus, & iam electus: nondum famulus, & iam amicus, nondum Discipulus, & iam magister, atque ex latrone confessor: quia & si pœna ceperat in latrone, nouo genere consummatur in martyre. [*Memento* (inquit) *mei Domine.*] De ligno crucis clamat, sed iam tempora retributionis cogitat.

Genes. 3.

Videamus quid inter ista respondeat diues & larga Dei bonitas, quæ sicut excedit vota, ita gratiã adiũgit ad merita. Hodie, inquit, tanquã si diceret quid me ô fidelissime comes, & vnice tãti testis triumphi, quid me tantopere exorandũ putas, vt die iudicij mei meminerim tui? quid me ad præsentẽ retributionẽ paratũ, in tẽpora tã lõga dissimulas? Quid in futura secula fidem in te perfectã fatigas? [*Hodie mecũ eris in paradiso.*] Ergo tanquã hæreditaria
Genes.3. & paterna sedes, quæ expulso Adam, quæ expulsis duobus clausa est, innumeris populis, te introeunte, reserabitur. Ingredere illuc primus, sed ingressu foeliciori quã primus. Intra paradisum, nequaquã vltra cũ Adã visurus infernũ. Nullũ illic cibũ lætalẽ, nullã iã legẽ, nullã arborẽ pertimescas. Ego tibi illic ero victus & vita: & ne forte verearis ne tibi aliquis hostis, in illo beato nemore, ne ãtiqu' ille latro, insidietur, possessio tibi illic, me introducẽte, firmabitur. Recedat ergo infidelitas quę Deũ & hominem nõ recognoscit. Nã sicut diabolus est qui de paradiso expulit, ita Deus est qui reducit: Hæc charissimi per omnẽ gestorũ ordinẽ, Deũ sub homine agnoscamus operantẽ. Positus in patibulo verus arbiter, in medio damnatorum, negantẽ reppulit, suscepit cõfitentẽ. Hunc deputat regno, illũm relinquit inferno. Per hæc ergo credam' in Maiestate iudicaturum, quem iam in cruce & misericordiam videmus exercere & iudicium. Credamus (inquam) Deum, vel ex sola virtute patientiæ, qui dum ab homine crucis neci traditur, sic quoque homini gloriã pollicetur: qui illas ipsas iniurias & plagas in corpus suum, conuertit in præcum nostrum. Sed & ipsa totius mundi irrationa
Matth. 27 bilis creatura, motibus suis Deum loquitur. Nam in media passione Domini Saluatoris, cælestia & terre-

terrena turbantur, lux cum nocte miſcetur, elementa quatiuntur,& ab antiquis miniſterijs effugantur. Apertè rerum natura perſpicitur commoueri, velut in vindictam autoris ſui velit armari. Terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis, quaſi quæ crucem Domini vix ſuſtineat,tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Dies refugo lumine(quo modo poteſt)ſumit lamentum, & fuſco triſtium tenebrarum habitu (more lugẽtis)induitur:& vt tota cęli facies Dominicę natiuitatis gloriã noua luce teſtatur: ita crucis iniuriam nouis tenebris deteſtatur. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter iſta non credunt: quandoquidem creatura irrationabilis,quæ reſpicere non poteſt credulitatis affectum, dat tamen Deo confeſſionis obſequiũ,& cum pro ſolo homine Chriſtus mortuus ſit, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi teſtimonium diuinitatis, ad quam non peruenerunt beneficia paſſionis. Quæ cum ita ſint chariſſimi,agnoſcat homo quantum valeat,&quantum illum Deo obnoxium faciat natura vel gratia. Agnoſcat homo quantum ab illo expectet Deus: & quem tanta dignatione habuit charum, quã velit eſſe in conuerſatione precioſum. Agnoſcat homo quantum valeat,& quantum debeat,& dũ precium ſuum cogitat, vilis ſibi eſſe deſinat, & potius vicem muneris Saluatori, ex ipſo bono ſuo,id eſt, de conſeruata ſalute, reſtituat. Cuſtodiamus ergo ſolicitè,quod tanti ſui cruoris commertio Chriſtus redemit. Reus itaque erit nõ parui precij, ſed ſanguinis Chriſti,qui violat & com maculat animam Chriſti ſanguine & paſſione mũ datã blaſphemus, homicida, caſtitatis proditor. Hæc tria capitaliter occidunt. Conteſtamur charitati veſtræ cauſas æternorum malorum. Blaſ- *Luc. 2.*

 phemus

phemus,homicida,proditor castitatis suæ,expugnator alienæ,id est,qui legittimi cubilis iura trãsgreditur,qui extra coniugẽ suã,per mortiferos errat ãplexus,reus erit æternę,quia vilẽ in se habuit
1. Cor. 6. sanguinẽ redẽptoris. Et quia clamat Apostolus:neq; rapaces,neq; adulteri regnũ Dei possidebũt,abstineamus manus ab alienis,oculos ab aliena fœmina caueamus,ne corpori illi q' de nostro Christ⁹ assumsit iniuriã faciamus in nostro corpore. Caueamus ita peccatis & criminibus vitã prodere, vt ad nos nõ respiciat prophetia illa terribilis:nõ est Deus in cõspectu eius, polluuntur viæ eius in
Psalm. 9. õni tẽpore,auferuntur iudicia tua à facie eius. Irremediabile periculũ est,sic aliquẽ vitijs & cupiditatibus frena laxare,vt se rationẽ Deo nõ meminerit redditurũ. Puto quia magna sit iã peccati pœna,metũ ac memoriã perdidisse futuri iudicij. Nõ nobis ita dulcia sint pauperũ spolia,postmodum nimis amaricatura. Nihilominus(sicut dictũ est)refugiamus carnis alienæ abominãda cõtagia, vitemus obscena inimicę voluptatis incẽdia. Hæc qui agit charissimi,de stipula ac lignis inquitatũ,perpetuos sibi succẽdit ignes,& nunquã extinguendos cõcinnat vapores. Nõ tãti est vita,si ad hoc viuat homo vt in paucis huius vitæ annis cõsummãdæ sub breui fine,cõgreget sibi pœnas æternas,et sine fine mãsuras. Sed ne fortè chariss. aliquẽ min⁹ securũ faciat aut remissum tã noua fœlicitas credulitatis,ne fortè dicat aliquis in corde suo: non me vsq; adeò cõturbet & cruciet rea consciẽtia, nõ me vsq; adeo contristet culpabilis vita, video sub momẽto,video sub exiguo spacio latroni crimina sua donata,& mihi resoluta mente cõcipiuntur.
1. Primùm cõsiderandum in latrone illo,nõ solum credulitatis cõpendium,sed deuotio, sed tẽporis

poris illius quo hæc agebātur occasio, quo iustorum legitur titubasse perfectio. Deinde, āte mihi 2.
fidē latronis ostende, & tunc tibi beatitudinē latronis pollicere. Immittit diabolus securitatē, vt inferat perditionē, neq; dinumerari possent, quātos hæc inanis spei vmbra deceperit. Deterreant quæso nos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tali securitate nudi & vacui bonis & malis pleni, ex hac luce præcepti. Quotidie expauescēda trāsitus nostri & cōmigrationis incerta, quæ & modò vel insperata, vel subita sunt, & in æternum remedijs caritura sunt: præueniēdus est dies, qui præuenire cōsueuit. Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat, potest mihi extremi tēporis indulgētia subuenire. Non est hoc. Primū
quia periculosissima est in vltimum diē promissa 1.
securitas: deinde, stultissimum est, vt causa quę a- 2.
gitur de necessitatibus æternis, in vtilitatib9 vitæ deficientis cōmittatur extremis. Odibile est apud Deum, quādo homo sub fiducia pœnitētiæ in senectutē reseruate, liberius, peccat. Credite chariss. difficilè est vt callida dissimulatio ordinādæ consummationis obtinere digna sit facultatē: apud illum cordis interpretē, ars non admittetur ad salutē. Ille autē, de quo loquuti sumus, beatus Latro, beatus, inquā, non iā iuxta viā insidias tendēs, sed viā ipsam in Christo tenēs, ac vitæ prædā subito rapiens, immutato genere, & noua spolia de morte propria reportans, ille nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momēta vltima in foelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit, nec religionem ante nec Christum sciuit. Quod si scisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior est factus in regno. Er-

go etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad fidem consequendã non fuit extrema hora illa, sed prima. Opus est ergo vt sibi homo quotidiano actu prouideat, & procuret consummationem: opus est vt tota vita nostra talis sit in conuersatione, vt liberi mereamur esse in fine. Incessabiliter diem transitus nostri, & tempus iudicij cogitãtes, nos quoque cum latrone iugiter proclamemus, [*Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.*] Est autem sensus multo expeditior, & ab omnibus ãbiguitatibus liber, si non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat Christus, dixisse accipiatur: [*Hodie mecum eris in paradiso.*] Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat: Deus vero, idem ipse Christus, vbique semper est. Est enim lux quæ lucet etiam in tenebris, quamuis eam tenebræ non comprehendant. Est virtus & sapientia Dei, de qua scriptum est: quod attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter: & attingat vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrat. Vbicunque ergo sit paradisus, quisquis beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui vbique est. [*Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam.*] Et ita impleta est prophetia Amos Prophetæ, qui ait: & erit in illa die dicit Dominus, occidet sol in meridie, & contenebrescet super terram dies lucis. [*Et obscuratus est sol.*] Solis defectio iuxta crucem, non (vt solet) quando luna accenditur facta erat: sed in plena luna, scilicet quintadecima die mensis ne casu putaretur fuisse quod euenerat: & tantam lucem solis media die tenebræ obscurauerunt, vt per tres illas horas defectionis stellæ in

Tomo. 2. De Pãtia Dei ad Dard. Ep. 57. ca. 2. 3

Ioan. 1.

1. Cor. 1.

Sapien. 8.

Tomo. 4. Qu. Vet. et Noui Test. Qu. 105.

Amos. 8.

Tomo. 3. De Mirab. sac. script. li. 3. ca. 12

læ in cęlo visæ sint. Expauit enim scelus hominũ, *Tomo. 10.*
natura rerum: & quem creatura rebellis non ag- *De Temp.*
noscit, eum mundi Dominum terra tremens testa *Serm 114.*
tur, & cæli regem Sol fugiens confiteretur. [Et *Matth. 27*
velum templi scissum est medium.] Velum templi scindi
tur, quia Synagoga honore nudatur. Obseruatio
antiqua dissoluitur, Ecclesiæ vnitas præmonstra-
tur. [*Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas
commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.*] Quo
significata est mors corporis, anima exeunte. Do *Tomo. 3. De Trini. li. 14. cap. 16.*
minus Iesus Christus pendens in cruce voluntate
& præcepto Patris, carnem humanam, quam de
sancta virgine Maria suscepit, in manus hominũ *Tomo. 4.*
dereliquit, & Diuinitatem suam in manus Patris *De Trinit.*
commendauit, dicens: [*Pater in manus tuas commen- & vnit.*
do spiritum meum,] quia Maria moriturum corpus *Dei, ca. 6.*
peperit, Deus autem immortalis, immortalem fi-
lium genuit. Ergo mors Christi, non diminutio
est diuinitatis, sed depositio corporis. Sicut enim
generatio eius ex virgine, non fuit corruptio Dei
tatis ipsius, sed susceptio corporis ipsius: ita & in
morte ipsius, non fuit passio defectio Deitatis ip-
sius, sed separatio carnis ipsius. Sicuti enim qui
vestimenta conscindit, induto facit iniuriam: ita
qui carnem eius crucifixerunt, diuinitati ipsius
contumeliam intulerunt. [*Vel.*] Humanum spi- *Ibidẽ ca. 7*
ritum intelligimus filium commendasse Patri,
quod est, anima. [*Videns autem Centurio quod factum fue
rat, glorificauit Deum, dicens. Vere hic homo iustus erat.*] Non *Tomo. 4.*
est contrarium quod Mathæus viso terræmotu *De Cons.*
dicit admiratum Centurionem & eos qui cum il *Euang. li. 3. cap.*
lo erant: cum Lucas dicat: hoc eum admiratum,
quod emissa illa voce expirasset: ostendens quàm
in potestate habuerit quando moreretur. In eo
quippe quod idem Matthæus non solum dixit,

viſo terręmotu, ſed etiam addidit: & his quæ facta erant: integrum locum fuiſſe demonſtrauit Lucæ, vt diceret Centurionem ipſam Domini mortem fuiſſe miratum: quia & hæc inter illa eſt, quæ tunc mirabiliter facta erant. Quanquã & ſi Matthæus illud non addidiſſet, intelligendum erat, cũ multa miranda facta fuerint, & omnia Centurio & qui cum eo erant mirari potuerint; liberum fuiſſe narrantibus, quid quiſque illum miratum commemorare voluiſſet. Nec eos ſibi repugnare cùm alius illud, alius illud diceret fuiſſe miratum, quando omnia ille fuerat miratus. Quod autem alius ait, centurionem dixiſſe: verè filius Dei erat iſte. Alius autẽ: verè homo hic filius Dei erat: non mouebit eum, cui non exciderunt tam multa ſuperius ſimiliter dicta & expoſita. Ad vnã quippe ſententiam vtraque verba concurrunt, nec quod vnus tacuit, homo, alius dixit, vllo modo contrarium eſt. Magis quod Lucas non ait, cẽturionẽ dixiſſe: filius Dei erat, ſed, iuſtus erat, poteſt putari diuerſum. Sed vel vtrunque dictum à Centurione intelligere debemus, & aliud illos aliud iſtum commemoraſſe. Vel fortaſſe Lucam exprimere voluiſſe ſententiam Centurionis, quo modo dixerit Ieſum filium Dei. Fortè enim non eum vnigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat, ſed ideo filium Dei dixerat, quia iuſtum crediderat: ſicut multi iuſti dicti ſunt filij Dei. Quod autem etiam ipſe Lucas dicit: [*Videns autem Centurio quod factum erat,*] in eo genere incluſit omnia quæ in illa hora mirabiliter facta erant, tanquã vnum mirabile factum cõmemorans, cui' quaſi membra & partes erant omnia illa miracula. Quod autẽ Lucas nõ dixit, timuit, ſed glorificauit Deũ, quis non eum intelligat timendo glorificaſſe.

Matth. 27
Marc. 15.
Luc. 23.

caſſe. [*Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.*] Tundere pectus quid eſt, niſi Tomo. 10.
arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu De Temp.
occultum caſtigare peccatum? Qui autem tun- Serm. 48.
dit pectus & non corrigitur, ſolidat peccata, & & 239.
non tollit. [*Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres quæ ſequutæ eum erant à Galilea hæc videntes.*]
Eos dicit, [*notos,*] quibus & ipſe notus erat, quã- Tomo. 8.
tum eum tunc noſſe potuerunt, certè vel hacte- Pſal. 87.
nus quod ſciebant eum innocentem, etiam ſi hominem tantummodo & non Deum putabant. [*Et ecce vir nomine Ioſeph qui erat decuris, vir bonus & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, & depoſitum inuoluit in ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam po-* Tomo. 10.
ſitus fuerat.] Beatum ergo corpus Domini noſtri De Temp.
Ieſu Chriſti, quod cùm naſcitur, ex vtero virginis Serm. 133
gignitur: cum recedit, Iuſti tumulo commendatur. Beatum plane corpus, quod virginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit enim illud Ioſeph tumulo incorruptum, ſicut ſeruauit illud Mariæ vterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi non tangitur, ſic mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur ſanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus concluſit. [*Et infra.*] Videamus autem quare Saluator in aliena ſepultura ponatur, ac ſuam non habeat ſepulturam: ideo in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Mors enim iſta non illi accidit, ſed nobis proficit: mors iſta non illi illata eſt, ſed nobis delata. Vt quid ergo ei propria ſepultura, qui in ſe mortẽ propriam non habebat? Et quid illi tumulus in

terris, cuius sedes manebat in cælis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spacio, nõ tam in sepulchro mortuus iacuit, quam veluti in lecto conquieuit? Ipsa enim temporis breuitas declarat potius somnum fuisse, quã mortem. Sepulchrum autem mortis est habitaculum. Necessariũ ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est, nec opus habebat semper viuens habitaculo defunctorum. Rectè autem hanc vitam in nostro sepulchro condimus, vt viuificet mortem nostram, vt cum ipso à mortuis resurgamus. Sepultura illa cum creditur, fit recordatio Noui Testamenti, quod resurrectio ad vitæ nouitatem prębere testimonium, sicut nasci turo vterus virginalis. Nã sicut in illo monumẽto nullus alius mortuus sepult⁹ est, nec ãte nec postea: sic in illo vtero nec ante nec postea quicquã mortale conceptum est. [*Et dies erat Parasceues, & sabbatũ illucescebat.*] Parasceues, interpretatur præparatio. [*Subsequutæ autem mulieres quæ cũ eo venerãt de Galilæa videsũt monumentũ et quemadmodum positũ erat corpus eius, & reuertentes parauerũt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundũ mandatum.*] Sabbatum est quædam vacationis indictio.

Ioan. 14.

Tomo. 3. De Fide & Symbolo. cap. 7.

Tomo. 4. De Cons. Euan. lib. 3. cap. 13.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 59.

ARGVMENTVM CAPITIS VIGESIMI QVARTI.

Mulieres monumentum cum aromatibus visitantes, audiunt ab Angelis Christum iam suscitatum, quod audiens Petrus ipse visitans non inuenit corpus. Iesus autem peregrinantibus in Emaus se sociat, & postea in medio vndecim palã comedit, & tandem ipsis cernentibus in cælum ascendit.

CAPVT

CAPVT XXIIII.

VNa autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes quę parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento, & ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.] Iudæi perfidi monumenti lapidẽ signauerãt, vt non haberet Christus egressum. Sed sicut eũ mundus non capit, nec sepultura custodit. Tenetur ibi, sed vbiq; regnat. Difficile surgeret, si nõ, ãtequã resurgeret, regnaret. Nã quomodo de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate, processit? [Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem & declinarent vultũ in terram, dixerunt ad illas: quid quæritis? viuentem cum mortuis?] Hoc est, quid quæritis in tumulo, quẽ adorare debetis in cælo? Quid quæritis apud inferos, quẽ redisse iã constat ad superos? [Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter loquutus est vobis cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.] Quomodo in inferno fuit tribus diebus & tribus noctibus, cum feria sexta, quæ est in parasceue, hora nona emiserit spiritum, & prima sabbati ante lucem, quæ est Dominica, resurrexerit? Ecce nõ sunt tres dies pleni nec tres noctes. [Responsio.] Antiqui patres nostri hoc senserunt, vt prima dies, quæ est Parasceue, à parte vltima, & vltima, que est Dominica, à parte prima debeat computari: & ita de nominando à parte totum, tres dies fuerunt, vltima pars feriæ sextæ, totum sabbatum, & prima pars Dominicæ cum suis noctibus. [Et recordatæ sunt verborum eius, & regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalenæ & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erãt,

Tomo. 10 De Temp. Serm. 138
Matt. 27.
Luc. 2.
Tomo. 10. De Temp. Serm. 133.
Tomo. 4. Qu. 65. Dial. ad Oros. Qu. 13
Matth. 27
Ioan. 20.

quæ

quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut delira-
Tomo. 10. *mentum verba ista, & non crediderunt illis.*] Magna infide
De Temp. litas conditionis humanæ. Quando loquuta est E-
Serm. 144 ua quod dixerat serpens, audita est, cito mulieri
Genes. 3. creditum est. Fœminis vera dicentibus quod viue ret Christus, minus creditũ est. Nam hoc est quod egit Dominus Iesus Christus, vt prius illud sexus fœmineus nuntiaret. Quia ergo per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo: quia virgo Christũ peperit, fœmina resurrexisse nuntiabat: per fœminã mors, per fœminã vita. Sed nõ crediderunt Discipuli quod dixerãt fœminæ, delirare putauerunt, quãdo veritatẽ nuntiabãt. [*Petrus autem surgens cucurrit ad monumentũt, & procũbens vidit linteamina sola posita, & abijt secũ mirãs quod factũ fuerat. Et ecce duo ex illis ibãt ipsa die in castellũ quod erat in spatio stadiorũ sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus, et ipsi loquebãtur ad inuicem de ijs õnibus quæ acciderãt,*] In Ierusalẽ. Scilicet, de iniquitate Iudæorum, de morte Christi: ãbulabant fabulãtes, & quasi mortuum dolẽtes, resurrexisse nesciẽtes. [*Et factũ est dum fabularentur, & secũ quærerent, & ipse Iesus appropinquãs ibat cũ illis.*] Apparuit & ipsis, factus est tertius viator, miscuit cum eis amica colloquia. [*Oculi autem eorũ tenebãtur ne eũ agnoscerent.*] Apparuit Iesus, videbatur
Tomo. 10. oculis & nõ agnoscebatur. Magister ãbulabat cũ
De Temp. illis in via, & nondum † ãbulant illi in via: ipse e-
Serm 140 rat via, sed inuenit eos exorbitasse de via. Quando
† ambu- enim cum illis fuerat ante passionẽ, omnia prædix
labant. erat, passurum se fuisse, moriturum, tertia die re-
Matth. 16. surrecturum. Omnia prædixerat, sed sermo illius
& 20. obliuio eorũ fuit, sic perturbati sunt, quãdo eum viderunt in ligno pendentem, vt obliuiscerentur docentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. Quomodo autem oculis

agnoscerent,

agnoſcerent, à quo, mente titubabant? Factum *Tomo.8.*
erat aliquid in oculis eorum, ſimile mentis ipſorũ. *Pſal.68.*
Oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita *Tomo. 4.*
permanere permiſſum eſt vſque ad fractionem pa *De Conſ.*
nis, certi myſterij cauſa, vt eis in illo alia oſtende- *Euang. li.*
retur effigies, & ſic eum non niſi in fractione pa- *3. cap. 25.*
nis agnoſcerent, ſicut Luca narrante monſtratur.
Pro merito quippe mentis eorum, adhuc ignorã-
tis quod oportebat Chriſtum mori & reſurgere,
ſimile aliquid eorum oculi paſſi ſunt: non veritate
fallente, ſed ipſis veritatem percipere non valen-
tibus, & aliud quàm res eſt opinantibus: ne quiſ-
quam ſe Chriſtũ agnouiſſe arbitretur, ſi eius cor-
poris particeps non eſt, id eſt Eccleſiæ. Cuius vni-
tatem in ſacramento panis commendat Apoſto-
lus, dicens: vnus panis, vnũ corpus multi ſumus:
vt cum eis benedictum panem porrigeret aperi- *1. Cor. 10.*
rentur oculi eorum, & agnoſcerent eum. Aperirẽ
tur vtique ad eius cognitionem, remoto ſcilicet
impedimento quo tenebantur ne eum agnoſce-
rent. Neque enim clauſis oculis ambulabant, ſed
inerat aliquid, quo nõ ſinerentur agnoſcere quod
videbant: quod, ſcilicet, & caligo & aliquis hu-
mor efficere ſolet. Non quia Dominus non pote-
rat transformare carnem ſuam, vt alia reuera eſſet
effigies quam ſolebant contueri: quandoquidem
& ante paſſionem ſuam transformatus eſt in mon *Matth.17.*
te, vt facies eius clareſceret ſicut Sol. Quale vult
enim admirabile corpus, de qualicunque corpo-
re, verum de vero facit qui de aqua vera, verum
vinum fecit. Sed non ita fecerat cum apparuit il- *Ioan. 2.*
lis duobus in alia effigie. Non enim aliter quam e- *Marc. 16.*
rat, ſed ſicut erat apparuit eis, quorum oculi tene
bantur ne agnoſcerent eum. Non autem incon-
gruenter accipimus hoc impedimentum in ocu-
lis eorum

lis eorũ à ſatana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Ie
ſus: ſed tamẽ à Chriſto eſt facta permiſſio vſq; ad
Sacramentũ panis, vt vnitate corporis eius parti
Tomo. 10. cipata, remoueri intelligatur impedimẽtum ini-
De Temp. mici, vt Chriſtus poſſit agnoſci. [*Et ait ad illos: Qui*
Serm. 144 *ſunt ij ſermones quos cõfertis ad inuicem ambulantes, & eſtis tri-*
ſtes?] Quærit ab eis quid inter ſe loquerentur, vt
quod ipſe ſciebat, illi faterentur. [*Et reſpondens vnus*
cui nomen Cleophas, dixit ei: tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem,
& nõ cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus?] Mirari cœ
perũt, quia de re clara & tã manifeſta, velut à neſ
ciente, interrogabãtur. [*Tu ſolus* (inquiunt) *peregri-*
nus es in Ieruſalem,] & neſcis quę ibi geſta ſunt? [*Qui-*
bus ille dixit, quæ? Et dixerũt de Ieſu Nazareno qui fuit vir Pro-
pheta, potens in opere & ſermone,] Potẽs factis & dictis,
[*corã Deo et omni populo:*] O diſcipuli, Propheta erat
Chriſtus dominus Prophetarũ? Iudici nomẽ præ-
conis imponũt, ad alienigenarũ verba deuenerãt.
Quid eſt quod dixi? Recolite quod quãdo Ieſus ait
diſcipulis ſuis. Quẽ dicunt homines eſſe filium ho
Matth. 16. minis? Reſpõderunt opiniones alienas: Alij dicunt
quod Helias es, alij quia Ioãnes baptiſta, alij quia
Ieremias, aut vnus ex prophetis. Verba iſta alieno
rũ erant, non diſcipulorũ. Ecce ad iſta verba diſci
puli venerũt. &c. [*Et quomodo eũ tradiderunt ſummi Sacer*
dotes & principes noſtri in dãnationem mortis, et crucifixerunt eũ.
Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël.] O
diſcipuli ſperabatis, ergo iã nõ ſperatis? Ecce Chri
Tomo. 10. ſtus viuit, ſpes mortua eſt in vobis. Prorſus viuit
De Temp. Chriſtus. Mortua diſcipulorũ corda inuenit, quo
Ser. 140. rũm oculis apparuit, & non apparuit: & videba-
tur, & abſcondebatur. Nam ſi nõ videbatur, quo-
modo illum interrogantẽ audiebant, & interro-
ganti reſpõdebant? In via cum illis tanquam co-
mes ambulabat, & ipſe dux erat. Vtiq; videbant,
ſed

ſed non agnoſcebant. Tenebantur oculi eorũ (ſicut audiuimus ne eũ agnoſcerent. [*Et ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt.*] Dixerat enim dominus moriturũ ſe, & reſurrecturũ tertia die. Factum eſt quod prædicabat, & non credebant quod audierant. Ecce, inquiunt, iam triduum eſt, ex quo iſta facta ſunt. [*Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.*] Venerunt enim mulieres ad monumentum, corpus in monumento non inuenerunt, reſurrexiſſe dominum ab Angelis audierunt, fœminæ viris nuntiauerunt. [*Et abierunt quidã ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt.*] Facta nãque præda in inferno viuus exijt de ſepulchro. Ipſe ſe ſua potentia ſuſcitauit, & iterũ ſe immaculata carne veſtiuit. Diſcipulis ſuis apparuit, vt dubitationẽ auferret incredulis. [*Et ipſe dixit ad eos: ô ſtulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ. Nónne hoc oportuit pati Chriſtũ, et ita intrare in gloriã ſuã?*] Paſſus eſt autẽ quicquid pati deberet, ex ſua voluntate, nõ ex peccati neceſſitate. [*Et incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quo ibant, & ipſe ſe finxit longius ire.*] Non ad mendacium pertinet. Non enim õne quod fingimus mendaciũ eſt, ſed quando id fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cùm autẽ fictio noſtra refertur ad aliquã ſignificationẽ, non eſt mendaciũ, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ à ſanctis & ſapientibus viris, vel etiã ab ipſo dño figuratè dicta ſunt, mendacia deputabuntur: quia ſecundũ vſitatum intellectũ, non ſubſiſtit veritas in talibus dictis. Nõ enim homo qui habuit duos filios quorũ

Tomo. 10. De Temp. De Temp. Serm. 144

Ibidem Serm. 137.

Tomo. 8. Pſal. 86.

Tomo. 4. Qu. Euan. li. 2. ca. 51.

Luc. 15.

iunior accepta parte patrimonij ſui, profectus eſt
in regionē longinquā, & cætera quæ in illa narra
tione contexuntur, ita dicuntur, tanquā verè fue
rit quiſquā homo qui hoc in filijs ſuis duob⁹ aut
paſſus ſit, aut fecerit: ficta ſunt ergo iſta ad rē quā-
dā ſignificandā, tam longè alteq́ue maiorē, & tā
incomparabiliter differentē, vt per illū fictū homi
nē Deus verus intelligatur. Sicut autē dicta, ita e-
tiā facta fingūtur ſine mendacio, ad aliquā rē ſig-
Matth, 21. nificandā. Vnde eſt etiam illud eiuſdē Dñi, quo in
fici arbore quęſiuit fructū eo tēpore quo illa po-
ma nondū eſſent. Non enim dubiū eſt illā inquiſi-
tionē non fuiſſe veram: quiuis enim hominū ſci-
ret, ſi non diuinitate, vel tempore, poma illā arbo-
rē nō habere. Fictio igitur quæ ad aliquā veritatē
refertur, figura eſt: quæ nō refertur, mendaciū eſt.
Quid ergo ſignificat, quod ſe ire lōgius Dñs finxit,
cū comitaretur diſcipulos, exponēs eis ſāctas ſcrip
turas, vtrū ipſe eſſet, ignorātibus. Quid putamus,
niſi quia hoſpitalitatis officio ad ſuā cognitionem
peruenire poſſe homines intimauit? Vt cū longius
ipſe ab hominibus abſceſſerit ſuper ōnes cælos,
tamen ita cū eis ſit qui hæc exhibent ſeruis eius,
Matth. 25. vt cū dicere cœperint: domine quādo te vidimus
hoſpitē & adduximus, tanquā (ſcililicet) qui lōge
abſceſſerat. Reſpōdeat ille: cū vni ex minimis meis
feciſtis. Tenet ergo Chriſtū ne longius ab eo eat,
Galat. 6. quiſquis cathechizatur verbo, in ōnibus bonis, ei
Rom. 12. qui ſe cathechizat, cōmunicat, ſicut Apoſtolus di-
cit: cōmunicet qui cathechizatur verbo ei qui ſe
cathechizat in omnibus bonis. Et alio loco, cùm
dixiſſet: neceſſitatibus ſanctorū communicātes,
ſtatim ſubiecit: hoſpitalitatem ſectantes. Et iſti e-
nim cathechizati erant verbo, cùm eis exponeret
ſcripturas. Et quia hoſpitalitatem ſectati, ſunt eū
quem

quem in ipſa expoſitione ſcripturarum non cog-
nouerunt, in panis fractione cognoſcunt. Non e- *Roma. 2.*
nim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed fa-
ctores legis iuſtificabuntur. [*Et coegerunt illum, di-
centes: Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit, & incli-
nata eſt iam dies. Et intrauit cum illis: Et factum eſt dum recum
beret cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrige-
bat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe
euanuit ex oculis eorum.*] Eia fratres, vbi voluit domi- *Tomo. 10.*
nus agnoſci? In fractione panis. Securi ſumus, pa- *De Temp.*
nem frangimus, & Dominum agnoſcimus. No- *Serm. 140*
luit agnoſci niſi ibi propter nos, qui non eum vi-
ſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius
carnem. Quiſquis ergo fidelis es, quiſquis non
inaniter Chriſtianus vocaris, quiſquis Eccleſiam
non ſine cauſa ingrederis, quiſquis verbum Dei
cum timore & ſpe audis, conſolatur te fractio pa
nis, abſentia domini nõ eſt abſens. Habeto fidem,
& tecum eſt quem non vides. Illi, quando cum
eis Dominus loquebatur, nec fidem habebant,
quia eum reſurrexiſſe non credebant, nec reſur-
gere poſſe ſperabant. Perdiderant fidem, perdi-
derant ſpem, ambulabant mortui cum viuente,
ambulabant cum ipſa vita. Cum illis ambulat vi
ta, ſed in eorum cordibus nondum erat vita. Tu *Ioan. 14.*
verò ſi vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt
agnoſcas dominum, hoſpitio ſuſceperunt. Simi-
lis enim erat Dominus tanquã in longinqua per-
genti, illi verò tenuerunt eum. Poſteaquã vene-
runt ad locum quo tendebant, dixerunt: Iam hic
nobiſcum mane, declinauit in veſperam dies. Te
ne hoſpitem, ſi vis agnoſcere Saluatorem. Quod
tulerat infidelitas, reddidit hoſpitalitas. Dominus
ergo pręſentauit ſeipſũ in fractione panis. Diſcite
vbi Dominũ quęratis, diſcite vbi habeatis, diſcite

vbi agnoſcatis, quando mãducatis. Norunt enim fideles aliquid quod meli⁹ intelligũt in iſta lectione quã illi non nouerunt. Dominus hic cognitus eſt, & poſteaquã cognitus eſt, nuſquam cõparuit

† Abceſſit ab eis

eis. † Abfuit corpore dũ tenebatur fide. Ideo enim Dominus noſter abſentauit ſe corpore ab omni eccleſia & aſcendit in cælũ, vt fides ædificetur. Si enim non noſti niſi quod vides, vbi eſt fides? Si autẽ credis & quod non vides, cũ videris gaudebis. Ad quod modò credis, ædificatur fides, quia reddetur ſpecies, veniet quod non videmus. [*Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora regreßi ſunt in Ieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: quod ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.*]

Tomo. 4. De Conſ. Euan. lib. 3. Cap. 25.

Oſtendit illos vndecim Apoſtolos fuiſſe. Nam cũ adiunxit: [*& eos qui cum ipſis erant:*] ſatis vtique declarauit, eminentius illos vndecim appellatos, cum quibus erant cæteri, ac per hoc illi intelliguntur qui iam vocabantur Apoſtoli. [*Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.*]

Tomo. 10. De Temp. Serm. 145

Tam inopinatum fuit & incredibile, vt nec videntes viderent. Videbant enim viuum, quem planxerant mortuum: videbant in medio ſui ſtantem, quẽ doluerant in cruce pendentẽ. Videbãt ergo, & quia ſuis oculis non credebant vt verũ viderent, falſum putabãt. [† *Exiſtimabãt* (ſicut audiſtis) *ſe ſpiritum videre.*] Quod

† Aeſtimabãt.

poſtea crediderunt de Chriſto peſſimi hæretici, prius hoc crediderunt titubantes Apoſtoli. Sunt enim hodie, qui non credunt carnem habuiſſe Chriſtum, quia & partum virginis deſtruunt, &

nolunt

nolunt eum natum ex fœmina credere. Verbum *Ioan.1.*
caro factum est: prorsus à sua fide, vel potiùs à
sua infidelitate, totam istam dispensationẽ salu-
tis nostræ, quòd factus est homo pro inueniendo
homine, qui Deus fecerat hominem, totum hoc
quod Christus in remissionẽ peccatorum nostro- *Gene. 1.2.*
rum verum, non falsum sanguinem fudit, & de
vero suo sanguine chirographum peccatorũ no *Coloß.2.*
strorum deleuit: hoc totũ hæretici dãnabiles eua
cuare conantur, totũ hoc Manichęi non credunt.
Ecce loquitur & Euangelium: [*Stabat dominus Iesus inter discipulos suos,*] nondum credentes quod resur-
rexerat. Videbãt eum, & putabãt [*se spiritũ videre.*]
Si nihil mali est credere Christum fuisse nõ carnẽ,
si nihil mali est, dimittãtur in ista opinione disci-
puli. Attendite, vt intelligatis quod volo dicere.
deus autẽ donet vt dicã, vt sic dicã quomodo vos
audire expedit. Ecce hoc ipsum repeto. Aliquãdo
ipsi detestabiles, carnẽ detestantes, & secundũ car
nẽ viuentes: aliquando hoc dicunt, et sic decipiũt:
Qui melius credunt de Christo, illi qui dicunt, q̃a
carnẽ habuit: an nos qui dicimus, Deus erat spiri
tus, & oculis hominũ nõ corpus, sed Deus appare *Ioan. 4.*
bat? Quid est melius, caro an spiritus? Quid respõ
suri sumus, nisi spiritũ carne esse meliorẽ? Si ergo,
dicis, cõfiteris quia spirit⁹ melior est quã caro: Me
lius ergo sentio de spiritu, qui eũ spiritũ fuisse di
co, nõ carnẽ. O infœlix error. Quare ergo spiritũ
& carnẽ dico fuisse Christũ? Tu dicis spiritũ: Ego,
spiritũ & carnẽ. Nõ tu melius dicis, sed minus di-
cis. Audi ergo totũ ꝙ dico ego, Id est, Catholica
fides, & ꝙ dicit fundatissima fides, & serenissima
veritas. Tu qui dicis spiritum tãtum fuisse Christũ
quod est et spiritus noster, idest, anima nostra, hoc
dicis tãtum fuisse Christum. Audi quid dicas, dic

quod dicas. Erat ipſe ſpiritus, ex ea natura & ſubſtãtia vnde & noſter ſpiritus. Quãto minus dicas attẽde: Erat ibi verbum. Tu dicis, human⁹ ſpiritus ſolus. Ego dico, verbum, ſpiritus, corpus, Deus & homo. Si duo nolo dicere, iſto vtor cõpẽdio: deus & homo, verus Deus & verus homo. Sed de iſto homine ſi quæris à me, duo iterum dico: Anima humana, caro humana. Tu homo es propter animã & carnem, ille Chriſtus propter deũ & hominẽ. Ecce quod dico. Sed tu melius te dicere putas, quia dicis: ſpiritus erat, ſpiritus apparebat, ſpiritus videbatur, ſpiritus in homine cõuerſabatur. Hoc dicis? hoc dixi: hoc putabant & diſcipuli. Si nihil malum dicis, ſi bonũ eſt quod dicis, bonum erat quod diſcipuli putabant. Si dominus eos didimittit vt ſic putent, dimittendus es & tu. Hoc enim credebant quod & tu: ſi bonũ eſt quod tu credis, bonum erat quod illi credebant. Sed non erat bonum. [*Et dixit eis: quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?*] Cogitationes iſtæ terrenæ ſunt: ſi enim cæleſtes eſſent, deſcenderent in cor, non aſcenderent. Quare enim dicitur nobis: Surſum cor veſtrum, niſi vt terrenæ cogitationes nõ ante ſe inueniant cor noſtrum, quod ſurſum poſueramus? Ergo [*quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendũt in cor veſtrum?*] [*Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum.*] Quid eſt, [*Ego ipſe ſum?*] niſi, quia alter non

Tomo. 9. De Aſſum. Mariæ. c. 5

ſum, quàm qui tunc eram quando paſſus ſum; Et hoc ſiquidẽ cognoſcere poteſtis, qui in manibus & pedibus meis clauorum ſigna clarè videtis.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 145

[*Palpate & videte.*] Parum eſt vobis attendere? Manum mittite, ſi parum eſt attendite. Nec ſufficiat attendere, palpate. Nec tangere ſolum dixit, ſed palpate & contrectate. Probent ſibi manus veſtræ, ſi mentiuntur oculi veſtri? Præbuit ſe palpandum,

dum, qui se prębuit crucifigendum. Crucifigendum inimicis, palpandum amicis. Medicus tamen omnium, & illorum impietatis, et istorum incredulitatis. [*Palpate & videte.*] oculos & manus habere. Quid palpate, & quid videte? [*quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*] Errabas cum discipulis? Corrigere cum discipulis. Humanum est, concedo. Putatis spiritum Christum, hoc & Petrus, hoc & cæteri qui spiritum putauerunt se videre, sed in isto errore non permanserunt. Vt scias prorsus hoc fuisse in cordibus eorũ, medicus non dimisit, accessit, medicamentum adhibuit: vulnera in cordibus videbat, & vnde vulnera cordium sanaret, in corpore cicatrices ferebat. Sic ergo credamus, scio quia creditis sic, sed ne fortè in agro isto domini sit herba mala, etiam eos alloquor quos non video: nemo credat de Christo, nisi quod de se credi voluit Christus. Antequam nobis expedit vt credamus quod credi de se voluit qui nos redemit, qui salutē nostram quæsiuit, qui pro nobis sanguinē suũ fudit, qui pro nobis quod nobis nō debebatur attulit: hoc credamus, quod Christus est filius dei, verbũ dei. Quid est verbum dei? Quod dicere non potest verbũ hominis, hoc est verbũ dei. Quęris à me quid sit verbũ dei? Si tibi vellē dicere quid sit verbũ hominis, nō explico, fatigor, hæsito, succũbo, non possum explicare vim verbi humani. Ecce antequã dicã vobis, quod volo dicere, iam verbũ est in corde meo, nōdum à me dictum est, & apud me est: dicitur à me & peruenit ad te, & non recedit à me. Intenditis vt audiatis verbum à me, mētes vestras pasco cum loquor. Diuideretis inter vos cibum si afferrē vētribus, nec totus perueniret ad singulos. Sed quãto plures estis, tãto in plura frusta quod ponerem

Tomo. 9. Expos. in Epist. Ioã. Tract. 2.

Tomo. 10. De Temp. Serm. 145.

diuideretis:& tãto minus quisq; acciperet, quãto maior esset multitudo accipiẽtium. Modo autem cibũ attuli mentibus: dico accipite, sumite & cõmedite. Accepistis, commedistis, & nõ diuisistis. Quicquid loquor, & omnibus totũ est, & singulis totũ est. Ecce quomodo non potest satis explicari quantã vim habet hominis verbũ, & dicitis mihi, quid est verbum Dei? Verbũ Dei pascit Angelorũ tot milia. Mente enim pascuntur, mente replẽtur. Implet Angelos, implet mũdum, implet virginis vterũ: nec ibi spaciatur, nec hic angustatur. Quid
Ioan. 10. est verbum Dei? Ipse breuiter de se dicit, sed magnum est ꝙ dicit: Ego & Pater vnum sumus. Nolo murmures, verba appẽde. Quid ergo? Plura verba de vno verbo non sufficiunt explicando verbum.
Ioan. 1. Ergo quod nõ potest explicari, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Suscepit totũ quasi plenum hominem, animam & corpus hominis. Et si aliquid scrupulosius vis, animam & carnem habet & pecus. Cùm dico animam humanam & carnem humanam, totam animam humanam accepit. Fuerunt enim qui hinc hæresim facerent, & dicerent quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem: sed verbum Dei illi fuit pro mente, & pro intellectu, & pro ratione. Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creauit, totum suscepit, totum liberauit, verbum. Vbi mens hominis & intellectus, ibi anima viuificãs carnem. Caro vera & integra erat ibi, peccatũ solum non
Tomo. 2. *Epist.* 49. *De sex. Qu contra Paganos Quest.* 1. erat ibi. [*Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes.*] Sciat quilibet, Christum post resurrectionẽ, cicatrices nõ vulnera, demonstrasse dubitãtibus: propter quos etiã cibum ac potũ sumere voluit, non semel sed sępius, ne illud nõ corpus, sed spiritũ esse arbi-

se arbitrarẽtur,& sibi nõ solidè,sed imaginaliter apparere. Tunc enim illæ falsæ cicatrices fuissent si nulla vulnera præcessissent: & tamen nec ipsæ essent,si eas esse noluisset. Voluit autem certę dispensationis gratia,vt eis, quos ædificabat in fide nõ ficta,nõ aliud pro alio,sed hoc quod crucifixũ viderãt,resurrexisse mõstraret. Contra istam euidentiam disputabant homines. Quid enim aliud facerent homines,qui ea quæ sunt hominum sapiunt quàm sic disputare de Deo contra Deum? Ille enim Deus est, isti homines sunt. Sed Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. In homine carnali tota regula est intelligendi, consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt:quod non solent, nõ credunt. Præter consuetudinẽ facit Deus mirabilia,quia Deus est. Maiora quidẽ mirabilia sunt, tot quotidie homines nasci qui nõ erãt, quã paucos resurrexisse qui erant. Et tamen ista mirabilia, nõ consideratione cõprehensa sunt,sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta res est. Corpus erat,caro erat, pependit in cruce, emisit animam, positus in sepulchro, exhibuit illam viuam, qui viuebat in illam. Quare miramur? Quare non credimus? Deus est qui fecit. Considera autorem. & tolle dubitationem. [*Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.*] Quærunt hic homines, vtrum corruptio ista corporis quam sentiunt in carne sua,futura sit in resurrectione mortuorum. Dicimus non futuram. Respondent nobis: Si corruptio non erit, quare mãducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducauit? Modo cũ

Tomo. 10. De Temp. Serm. 158.

Psal. 93.

Euangelium legeretur audiuimus, quia cùm exhiberet se viuum oculis manibusque discipulorum suorũ, parum illi visum est ad demonstrandã euidentiã corporalem, sed addidit: [*Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt illi partem piscis assi, & fauũ mellis. Et cũ mãducasset corã eis, sumens reliquias, dedit eis.*] Dicitur enim nobis: si corruptio corporis nõ resurgit, quare manducauit Dominus Christus? Legitis quia manducauit, nunquid legitis quia esuriuit? Quod manducauit Iesus potestatis fuit, nõ egestatis. Si desideraret mãducare, egeret: rursus, si manducare non posset, minus valeret. Nunquid
Gen.18.19 & Angeli quãdo suscepti sunt hospitio à patribus non manducauerunt? Et tamen corruptibiles nõ fuerunt. Rursus dicunt, Resurgunt vitia? Et respõdetur à nobis, non. Quare ergo (inquiunt) dominus cũ suorum vulnerũ cicatricibus resurrexit? Quid ad hoc dicimus: nisi quia & hoc potestatis fuit, non necessitatis? Sic resurgere voluit, vt quibusdam dubitantibus exhiberet in illa carne cicatrices vulneris, & sanaret vulnus incredulitatis. [*Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos, cùm*
Tomo.9. In Euang. Io.Tra.64 *adhuc essem vobiscum.*] Quasi tunc non erat cum eis simul assistentibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus. Quid est ergo. [*Cùm adhuc essem vobiscum?*] Nisi, cùm adhuc essem in carne mortali, in qua estis & vos? Tunc enim quidem in eadẽ carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat [*quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.*] Et
Tomo.8. Psal.147. Luc.16. quia illi credebant Moysi et Prophetis: verũ enim erat quod dixit Abraham: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Quia ergo credebant Moysi et Prophetis, & nõ erãt de ipsis quos reprehendit Abraham

ham, audierunt quod ait Dominus: [*Non sciebatis quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me?*] Ecce qui crediderunt Moysi & prophetis, videte quēadmodum ex ipsorũ testi monio credunt ei, qui surrexit à mortuis. [*Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas & dixit eis: Quoniã sic scriptũ est, et sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die,*] Habes iã sponsum Ecclesiæ, & nõ hunc tacuit Moyses, non hunc tacuerunt Prophetę, Christum resurrecturũ à mortuis tertia die pas surũ & resurrecturũ. Descriptus est nobis spõsus, vt nõ erremus: sed nescio qui existunt, & quia nõ erramus in sponso, & ipsi videntur ea quæ & nos credere de spõso, vt à mēbris spõsi nos auocēt, dicunt nobis: ipse est quidē sponsus quē creditis, quē & nos credimus: sed spõsa nõ est ipsa Ecclesia quã tenetis. Et quę est illa? Pars donati. Et hoc est quod tu dicis. Hoc tu dicis, an spõsus? Tu dicis, an Deus per Moysen? Ecce ecclesiã teneo. Dictum est à Moyse: in semine tuo benedicētur oēs gētes. Tu dicis, *Gen. 12. 22*
an spiritus dei per prophetas? Eclesiã teneo. Dictũ *Psal. 21.*
est per Prophetã: Commemorabuntur & cõuertentur ad dominũ vniuersæ fines terræ. Ecce iam teneo testimoniũ legis & Prophetarũ: Audiamus et eũ qui surrexit à mortuis. Ostendit se sponsum, teneamus eum. Confirmauit demonstrando, exhibendo testimonia. Hoc enim Moyses, hoc Prophetæ, [*quia oportebat pati Christum, & resurgere tertia die.*] Iam ergo quia tenemus ambo sponsum ex ipsis verbis, & puto quia incipis mecũ credere, & his verbis Moysi & Prophetis credamus, & ei qui resurrexit à mortuis. Sequatur & dicat: ô Domine, video iam sponsum Christum, factum est ne quis me auocet à membris sponsę tuæ, & non sis mihi caput, si ego in membris eius nõ fuero, dic mihi

& de Ecclesia aliquid, quia iam de spôso eius non dubito, Audi & de Ecclesia. Sequitur & dicit.
[*Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum.*] Nihil verius, [*prædicari in nomine eius, pœnitentiam & remißionem peccatorum.*] Sed hoc vbi? Alij
Matth.24 enim dicunt, Ecce hic, alij ecce illic. Et quid ipse? Nolite credere: Exurgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dicent: ecce hic, ecce illic. Non enim de ipso capite dicunt, ecce hic, & ecce illic (notum est enim quod Christus in cęlis est) sed de Ecclesia vbi Christus est, qui ait: ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem secu-
Matth.28 li. Sed ait dominus, Nolite credere. Qui dicit, Ecce hic, & ecce illic, partes ostendit, ego totum emi. Dicat mihi hoc Euangelium. Dicat hoc ipse ex Euangelio, quia iã surrexisti à mortuis, vt cre-
Luc.16. dãt tibi, qui credunt Moysi & Prophetis. Dic mihi hoc tu. Audio: [*oportebat Christũ pati & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum, † per omnes gentes, incipientibus ab † Ierusalem.*]
†alias, in talias, Ierosolyma
Quid est hæretice? Cùm recitarem Moysen, cùm recitarem Prophetas, distulisti ad eum qui resurrecturus erat à mortuis. Ecce resurrexit, ecce dixit. Tam nullam habet dubitationẽ Ecclesia Christi & vxor Christi, quã nullã habet dubitationem
1. Ioan.1. corpus Christi, demonstratum oculis, contrectatum manibus discipulorum. Ecce qui resurrexit à mortuis vtrunque ostendit. Ostendit caput, ostendit membra, ostendit sponsum, ostẽdit sponsam. Aut vtrumque mecum crede, aut illud in damnationem tuam credis. Quid enim, quia resurrexit à mortuis, quia in eo corpore resurrexit. Bene quia cicatrices ostendit, quia vt crucifixus est, vt sepultus, ita redditus, ita demonstratus, *Optime* credis. Audi illum loquentem in
quem

quem credis: [*Prædicabitur in nomine eius pœnitentia & remißio peccatorum.*] Vbi? Per latas terras. Si vellem illud ego dicere, iam luctans aduersus hæreticos, iam pugnans, iam habens cum illis conflictum tantæ quæstionis, non illud dicerem sic cõtra præsentes hæreticos, quomodo illud dixit ille contra futuros. Quid vis amplius? Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Vbi prædicatur? [*Per omnes gentes.*] Vnde incipit? [*Ab Ierusalem.*] Communica huic Ecclesiæ. Quare litigamus? Cœpit enim hæc Ecclesia ab Ierusalem ista terrena, vt gaudeat de Deo in illa Ierusalem cælesti. Ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium fidei sumpsit. [*Vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.*] Delectat aspicere Christum Dominum portatorijs nubibus ascendentem, cùm resurgens à mortuis reuerti cœpit ad cælum, vnde venerat saluare genus humanum. Qui sunt qui expectant ascendentem? Qui viderunt resurgentem, fugerunt pendentem, & sequuntur oculis ascendentem. Timor in cruce, amor in nube, visus delectabilis in aëre. O dulcis descendentis affectus? O delectabilis euolantis aspectus. Facit vale, & benedicit in pace. *Tomo. 10. De Temp. Serm. 18.*

Illi se commendant, & ille benedictionis gratiam relinquit. Benedicit eos extensis manibus, & præparatis in occursum imponitur nubibus. Finit eloquium, etiam repetit cælum. Candida enim subitò apparuit nubis *Act. 1. Psal. 144.*

euectio

euectio parata in cælo. Apparuit nubes, intrauit in eam, qui educit nubes ab extremo terræ: vt oblectaret oculos eorum nubis amenitas, & irroraret eos ascendentis de cælo suauitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas. Credimus ergo in cælum ascendisse qui vitæ beatitudinem etiã nobis promisit, dicens: erunt sicut Angeli in cælis. Solet autem quosdam offendere, vel † ipsos Gentiles, vel hæreticos, quod credamus assumptum terrenum corpus in cęlum. At Gentiles plerumque philosophorum argumentis nobiscum agere solent, vt dicant, terrenum aliquid in cælo esse non posse: nostras enim scripturas non nouerunt, nec sciunt quomodo dictum sit: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Nõ enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in spiritum, & spiritus fiat: quia et nunc corpus nostrũ quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum est. Sed spiritale corpus intelligitur quia ita † coaptandum est, vt cælesti habitationi conueniat, omni fragilitate ac labe terrena, in cælestem puritatem & stabilitatem mutata atque conuersa. Hæc est immutatio de qua iterum dicit Apostolus: omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur: quam immutationẽ non in deterius, sed in melius fieri docet, cũ dicit: Et nos immutabimur. Sed vbi & quomodo sit in cælũ corpus dominicum curiosissimum & superuacaneũ est quærere, tantummodo in cælo esse credẽdum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.

Tomo. 3. De Fide & Symbolo. cap. 6.
Matth. 22.
† impios
1. Cor. 15.
† spiritui subditum est,
1 Cor. 15.
Ibidem

[*Et ipsi adorantes regreßi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes et benedicentes deũ. Amen.*]

Tomo. 3. Quicquid gestum est in cruce Christi, in sepultu-

ra, in resurrectione tertio die, in ascensione in cæ- *Enchir. ad*
lũ, & in sede ad dexterã Patris: ita gestum est, vt his *Laur. c. 53*
rebus non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis
configuraretur vita Christiana quæ hic geritur.
Nam propter eius crucem dictum est: Qui autem *Galat. 5.*
Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerũt cum
vitijs & concupiscentijs. Propter sepulturã: Con *Rom. 6.*
sepulti enim sumus cum Christo per baptismum
in mortem. Propter resurrectionem: vt quemad- *Ibidem.*
modũ Christus resurrexit à mortuis per gloriam
Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.
Propter ascensionem in cælum, sedemque ad dex
teram Patris: Si autẽ resurrexistis cum Christo,
quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est *Coloss. 5.*
ad dexteram Dei sedens: Quæ sur-
sum sunt sapite, non quæ super
terram. Mortui enim estis & vi-
ta vestra abscondita est cum
Christo in Deo.

QVOD DEO, ET MIHI.

INDEX RERVM
insignium quæ hoc libro continentur.

A

Christi

Dd Ex

I.

La- Manus

Sancto-

T.

FINIS INDICIS.

QVOD DEO, ET MIHI.

Errata sic corrigito.

In Epistola dedicatoria A ij. Linea 17. Lege introductusque. Pagina 9. linea 4. lege dicit. Ibidem 22. salutatione. 15. 26. cogitantem. 18. 12. sentiendum. 19. 9. comprehendit. Ibidem 18. qua. Ibidem. 30. exultant. 20. 25. vniuersæ. 21. 11. dicetur. 23. 10. recepit. Ibidem. 22. nec aliquid, adde, facit. 24. 31. qui. 32. 17. In qua re. 33. 16. apparere. Ibidem. 18. hinc. Ibidem. 25. obuoluitur. 43. 5. distēdi. 45. 10. hominis, 47 12. aspera. 48. 23. dele: potens est. 54. 29. dele: per. 56. 16. ille qui. 57. 4. in omnibus. 60. 26. Dele tres lineas scilicet à verbo, Hoc nō est verum, vsque, vocaretur, inclusiuè, & pone eas in margine. 64. 5. dimittendis. Ibidem. 27. numerum. 65. 28. admonemur. 66. 15. Sequitur. 73. 8. ipsum. 83. 25. noua. 87. 31. Publicani. 88. 21. filios sponsi. 102. 22. iudicari. 107. 32. possent. 114. 29. angimur. 125. 35. Pharisæe. 137. 1. consanguineas. 145. 2. discipulis. 147. 21. duodecim. Ibidem. 30. deditis. 149. 4. nos. Ibidem. 29. manducare. 152. 4. & adde, ego. 156. 15. sed. 157. 12. maleuolentia. Ibidem. 29, tradatur. 162. 34. electi 166. 25. debetis. 182. 28, viues. 183. 2 Angelos. 204. 7. diues est, adde, &. 207. 20. contemtibilia. 217. 15. Ego sum, adde, panis. 218. 1. non. Ibidem. 3. sententiæ, adde, sicut possit. 221. 23. Iudex. 222. 22. Seruas. 224. 34. iudicium. 235. 13. poteris. 237. 5. omnes. 239. 5. hominum. Ibidem. 19. peccatoribus. 250. 1. noluit. 257. 23. mundo. 259. 20, vobis. 265. 23. qua. 267. 14. saturari. 274. 25. peccator. 277. 13. Quoniam, 280. 14. delendus. 281. 31. ille. 282. 15. abundabat. 294. 35. permissione (&) cōsilio præmonuit. 301. 24. voce. 305. 26. creatura. 309. 9. salis. 328. 31. negotiamini. 333. 34. docens. 340. 8. dominum. 347. 16. quos. 349. 5. quisque. Ibidem. 25. capita (adde) vestra. 351. 17. Intrauit autem satanas. 354. 2. Apostolus. 356. 13. ego. 367. 20. omnis. Ibidē. 21. illum. 369. 25. perpetret. 370. 18. operite. 371. 16. Sanctas. Ibidem. 27. lenitatem. 373. 25. esset. 374. 7. Discipulus. 376. 1 immanis. 378. 33. prætium. 379. 35. vestræ. 380. 4. æternæ, (adde) mortis. Pagina 381. Linea 9. Lege præcepti. Pagina 385. Linea 13. Lege decurio.

RELIQVA LECTOR CANDIDUS facilè supplebit.

Cùm in hoc Commentario in B. Lucam Euangeliſtam nihil viderim, quod in Auguſtini operibus licet ſparſim, nō inueniatur, & nihil contineat quod catholicæ fidei aut bonis moribus contrarietur: non dubium eſt, quin cum fructu imprimi & legi poſsit.

Quod atteſtor Reynerus Brakel S. Theolog. Licentiatus, & inſignis Cathedralis Eccleſiæ S. Mariæ virginis Antuerpiæ Canonicus.

ANTVERPIAE, EXCVDEBAT ÆGIDIVS RADAEVS, ANNO M. D. LXXIIII. 9. IVNII.


154


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm